rſum ius·niſi alia racō ſubſit·xxix· ...
·de interdic·et·rele. l. legatorū ...
betur inſt·de iure naturali ... x nō ...
·vbi non ē ōtra iur; ſcripto· ... x· vel· xx·
ſuetudinē·ōz longū ē illo qd; ... ur· ... plo
rgo requiritur q̄ ōſuetudo excedat homi:

a perpetrare nō pa
ōſuetudinis nō nega
ig̃· anglorum epō.
udie ...
ternitas tua ...
ccl̃ie cōſuet ...
utrira· ...
mana ...
b; eccia ...
i deo poſſit ...
et in anglorū eccia
noua fide ...
de multis ...

...
quib· ... vel
ſit ē ſcripta
...
ius· vel ...
ta ſta ...
...
phi ...
ma. ...
...
loco ...
ut· ...
ar. ſi iure
duc ...
ē iur; otr
... ntur ...
tantur·

M ...
Q ...

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

BIBLIOTHÈQUE
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

60 I

S 25/208

HERMANNI KIRCHNERI, J.U.D. HIST. & Orat. Acad. Marp.

ORATIONES XXXVI.

DUOBUS VOLUMINIbus comprehenſæ.

Quorum unum Contrarias: alterum Panegyricas continet.

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

ERPHORDIÆ,
Impenſis Johannis Epiſcopi Bibliop.

M. DC. XXI

ILLUSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI & Domino, Dn. MAURITIO, LANDGRAVIO, Haſſiæ, Comiti in Cattimelibo-co, Decia, Ziegenhaina, & Nidda, &c. Domino & Evergetæ ſuo clementiſſimo.

Vitam, incolumitatem atq; felicitatem perpetuam.

ANnus nunc agitur, illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, vigeſimus, ex quo primùm publicam ſtudiorum meorum profeſſionem in Academia Marpurgenſi ſuſceperim. Quod quidem temporis ſpatium, antiquis bonarum literarum doctoribus ad honorarium otium & quietem, atque ad Comitivam, ut appellant, promerendam, legibus optimorum imperatorum, præfixum & definitum fuiſſe legitur. Qua ratione ſuperioris ætatis memoria M. Mantua Bonavitus in Patavina

vina Academia ſeſe tertium illud beneficium, exacto toties profeſſionis ſuæ juſto termino, emeruiſſe gloriatur. Rarum profectò exemplum! Nam ut hodierni ævi brevitas eſt, nobis meritò gratulari poſſumus, ſi ſtudia & labores noſtri ad eam metam ſemel pervenerint. Totius autem hujus mei temporis inter alia præcipuum ſtudium & cura fuit, ut eloquentiæ flos unà cum reliquis diſciplinis quàm maximè excoleretur. Adhibui itaq; quam potui aſſiduam diligentiam & induſtriam, ut tum publicè, tum privatim cultura ejus ſedula inſtitueretur, cùm omnium aliarum facultatum ſtudia à ſe ipſa relicta eſſe videantur, niſi facundiæ præſidio inſtructa & munita fuerint. Atq; id prudentiſſimè olim perpendit Academiæ noſtræ munificentiſſimus plantator, Illuſtris. & Celſiſſ. princeps PHILIPPUS, cùm ad optimè ordinandum ſtudiorum curſum, veteremq; elegantiam literarum revocandam, perquàm conſultò ſtatuerit, ut in oratoria fun-

ctione

ctione etiam duo eſſent, qui ſumma ope ac viribus maximè neceſſarium Eccleſiæ atq; reip. ſtudium promoverent. Quod quidem ut cum multorum aliorum fructu fieri poſſet, quas meis olim diſcipulis præſcripſeram, orationes, in manus publicas ſuperioribus annis emiſi, easq; Illuſtriſſ. Veſt. Celſ. tanquam ipſius eloquentiæ principi & antiſtiti, humilimè conſecravi. Redeunt nunc illæ ad Ill. V. Celſ. editione tertia recognitæ, & numero auctæ, ut quam primæ, quam ſecundæ, eandem ſibi lucem præfulgentem hæ tertiæ habeant: habeant eandem gratiam & clementiam. Mihi vero hujus opuſculi recognitio ideò etiam jucundior fuit, quòd ipſe mihi viſus fuerim ampliſſimum laboris mei fructum ex eo percipere, cùm pars eorum maxima, qui haſce declamatiunculas, meo ductu, habuerunt, felicitate ſtudii ſui ad graviſſima reip. munera pervenerint. Alios enim in conſiliis imperatoriis; alios inter aſſeſſores Cameræ: alios in regum

legationibus & interiore ſenatu: alios in Electorum & principum Curiis verſari hodie video, de quibus, quod olim Cyrus de arboribus manu ſua ſatis, idem cum ſingulari voluptate dicere poſſum. Ex eorum numero Johannes Schytto in Elſveſio, regis Sueciæ legatus, datis ad me Haga Comitis 14. Septemb. Anno 1610. literis, hæc verba ſcripſit: *Non ſolùm in hoc itinere variorum regnorum & ditionum ſecreta accuratiſſimè notavi, verùm etiam multorum principum favorem & benevolentiam mihi conciliavi, in primis verò ſereniſſimi Magnæ Britanniæ regis inuſitatam benignitatem, cũ ſtupenda pietate & humanitate conjunctam, expertus. Is enim diſcedenti mihi ex Anglia multa aureorum millia liberaliſſimè indulſit. O egregios eloquentiæ fructus, in cujus præſtantiſſimis divitiis tu ardorem meum, cùm in Academia Marpurgenſi commorarer, mirificè promoviſti, &c* Hæc ille: quæ ideò recitata volui, ut adoleſcentiæ ad eadem ſtudia diligentiſſimè conſectanda, majori ſtimulo & incitamento eſſe poſſint. Faxit DEus, ut divini illius muneris incrementa ad Eccleſiæ & reip. ſalutem conſervandam,

dam, indies longè uberrima fiant. Idem Illuſtriſs. Veſtram Celſ. quàm diutiſſimè ad artium & literarum omnium bonarum patrocinium ſalvam & incolumen tueatur. Dab. Marb. 16. Aug. 1613.

Ill. V. Celſ.

Subjectiſſimus

HERMAN. KIRCHNER.
D. & Profeſſor.

INDEX.

INDEX ORATIONUM primi Voluminis.

1 *Nobilem eſſe mitiùs puniendum quam ignobilem. fol.* 1.

2 *Nobilem non eſſe mitiùs puniendum quàm plebejum. fol.* 19.

3 *Expedire Reip. antiquum ſervitutis jus ac poteſtatem berilem revocari. folio* 34.

4 *Servitutis & dominii antiqui jus è Rep. exterminandum eſſe, nec revocandum. folio* 46.

5 *Peregrinandum eſſe adoleſcentibus, ac omnibus, qui eruditionis & rerum gerendarum, tum domi, tum foris laudem conſectantur. folio* 56.

6 *Non eſſe peregrinandum. folio* 83.

7 *Vaſallum non teneri domino auxilium ferre contra patrem. folio* 106.

8 *Vaſallum teneri etiam contra patrem domino auxilium praſtare. folio* 116.

9 *Papinianum Juriſconſultum imprudenter feciſſe, quòd interfici maluerit, quàm Caracalla fratricidium excaſare. folio* 125.

10 *Papinianum prudenter juſteq; feciſſe, quòd mori maluerit, quàm Caracalla fratricidium excuſare. folio* 135.

11 *Electione deferendum eſſe imperium. folio* 148.

12 *Praſtabilius eſſe hareditaria ſucceſsione, quàm electione imperia conſtitui. folio* 159.

13 *Neceſſa-*

13 *Neceſſariam eſſe principi literarum ſcientiam. folio* 171.
14 *Principis officio plurimum officere literarum ſtudium. folio 186.*
15 *Imperium Germanicum eſſe Ariſtocraticum. folio* 199.
16 *Statum Imperii eſſe monarchicum. folio* 213.
17 *Germaniæ perluſtrationem omnibus aliis peregrinationibus eſſe præferendam. folio* 241.
18 *Italicam peregrinationem fructuoſiſſimam eſſe folio* 259.
19 *Venationem laudatiſſimi ſtudii eſſe. folio* 273.
20 *Contra venationem. folio* 286.
21 *Julium Cæſarem juſtè eſſe interfectum. fol.* 279.
22 *Cajum Julium Cæſarem injuſtè eſſe trucidatum. folio* 311.
23 *Conſilium plus expedire bellicis rebus quàm arma. folio* 324.
24 *Conſilia remorari potius quàm promovere armorum curſum. folio* 336.
25 *Haſtarum ludos, & equeſtrium certaminum ſpectacula revocanda. folio* 347.
26 *Ludos equeſtres eſſe omninò tollendos. fol.* 362.
27 *Regna & principatus exteros jure poſſe à Romano Germanico imperio vindicari. folio* 377.
28 *Regna & principatus exteros nullo jure imperio Romano eſſe obnoxios. folio* 397.

ORATIO I.

Recitata à

JOHANNE FELTHAVSIO

LUBEC.

Nobilem eſſe mitius puniendum, quàm ignobilem.

QUod erat conſultandum maximè, & quod unum ad contemptum & infamiam nobiliſſimi ordinis, omniumq́; judiciorum iniquitatem ac injuriam tollendam maximè pertinet: & in quo, ſumma cum reipublicæ honeſtas, tum utilitas verſatur, id nobis hodierno die, prudentiſſimo conſilio, in hac nobiliſſimorum doctiſſimorumq́ue virorum lectiſſima corona, ad deliberandum, & orationis copia declarandum, exprimendumq́ue datum atque oblatum eſſe videtur. Inveteravit enim jam pridem opinio, pernicioſa reipublicæ, & univerſo nobiliſſimo ordini omnibusq́; qui in curiis atque in ſubſelliis judiciorum conſtituti ſunt, periculoſa: quę non modò in auguſtiſſimo hoc imperio Romano, ſed & apud exteras nationes omnes, omnium ſermone percrebuit; his judiciis, quæ nunc ſunt, quæ vigent, quæ florent, nobiliſſi-

biliſſimum quemque magnæque autoritatis virum, ſi fortè nocens ſit, cum infimæ conditionis, & nullius pretii hominibus ad eadem ſupplicia, ad eaſdem pœnas, ad idem mortis genus condemnari, trahi, rapi. Nunc autem in hoc ipſo diſcrimine judiciorum, cùm publicorum, tum privatorum, & in hac ſententiarum varietáte, cùm ſit paratus, quem hiſce meis oculis in hoc veſtro conſeſſu præſentem videre videor, qui prædictam vulgi opinionem, omnium jam ſententia & conſcientia damnatam, verborum pigmentis & lenociniis defendere, atque hanc nobilium injuriam inflammare denuò conetur: Ego hujus opinionis iniquiſſimæ, & nullius momenti, cum ſumma voluntate, animiq; ardore, & omniũ veſtrûm exſpectatione ſumma, refutator acceſſi, non quidem quantum cauſæ neceſſitas, & negotium hoc árduum exigit, ſed quantum ingenioli mei tenuitas, & temporis ratio ferret: neq; tamen ut aliquam invidiam ordini nobiliſſimo exuſcitarem, aut delinquendi vias aperirem, ſed ut communi hominum malevolorum maleq; ſentientiũ injuriæ & imbecillitati occurrerem, ab eaq; nobiliſsimũ ordinẽ aſſerrerem & vindicarẽ, ac deniq; iniquitatem judiciorum in ea re oſtenderẽ. Adducam enim non leves aut exigui ponderis rationes, ſed õnes omniũ firmiſsimas, fortiſsimasq; quibus

exiſti-

exiſtimationem judiciorum noſtrorum plusquàm divinam, ab interitu ferè vindicem, & planum, teſtatumq́; faciam, nihil tam abſonum, nihil à morib. & conſuetudinibus noſtris magis alienum, nihil deniq; à tribunalium noſtrorum curiarumq́; æquitate, ſententiarumque gravitate, remotius eſſe, quàm ejusmodi in decernendis præmiis, atq; in injungendis pœnis, ſublato omnium dignitatum, ordinum & auctoritatum diſcrimine, confuſionem, & juſtitiæ ac æquitatis inæqualitatem. De hac autem nobiliſſima controverſia, auditores nobiliſſ. ſpectatiſſimiq́;, ſi ſeverè & religiosè mecum judicaveritis, meamq; ſententiam benevolis & attentis auribus animisq́; penitùs intellexeritis, auctoritas ea, qua plurimum apud omnes hactenus valuiſtis, hærebit, & in vobis remanebit, atque ab omnibus cum veritatis, tum prudentiæ politicæ & juſtitiæ civilis ſervantiſſimi habebimini. Atqui ut hinc potiſſimum exordiar, neminem veſtrum, auditores, ignorare puto, omnem, quæ in repub. adminiſtratur, juſtitiam, omnem, quæ in curiis & judicum ſubſelliis pronunciatur, ſententiam, omne denique quod in foro exercetur, judicium, partim in arithmetica, partim in geometrica, partim in harmonica ratione conſiſtere. Quo præſuppoſito, fieri nullo modo poteſt, aut etiam debet, ut

utunaeademq; pœnarum & præmiorum ſimilitudo in omnibus reipub. membris, ſine delectu & omni perſonarum, qui tamen ſummoperè attendendus, reſpectu, conſtituatur. Vix enim ac ne nix quidem conveniet, neque reipublicæ commodum erit, arithmeticæ proportionis æqualitatem, nulla habita dignitatis, nulla ordinis ratione, invehi, & judiciorum ſubſelliis accommodari, præſertim cum non unius conditionis, unius ordinis, unius dignitatis, unius ætatis & ſextus homines mœnibus concluſi contineantur. Satius itaque erit, & reipublicæ benè inſtitutæ longè utilius, illa Arithmetica proportione profligata, muris & parietibus exterminata atq; exploſa, geometricam introducere, eaq; in conſtituendis & addicendis præmiis, irrogandisq; pænis, uti. Hæc enim, non ut illa, omnium rerum confuſionem & perturbationem gignit, ſed ex rationibus magnitudinum inter ſe ſimilium, ſine inæquali excuſſu conflata, ſuum unicuique tribuit, & largitur, habita tamen ratione perſonarum decente, & ad juſtitiæ partes exequendas ſummè neceſſaria. Quo quid utilius, quid magnificentius eſſe poſſit, non video, non intelligo. Qnid autem contra reipublicæ calamitoſius & peſtilentius, quid pernitioſius conſtitui poteſt, quàm ſi, diſcrimine dignitatum & ordinum, ut in præ-

miis,

miis,ita & in pœnis decernendis,è medio ſublato, benè maleq; meriti juxta habeantur. ; Quid indignius bona mente excogitari,quid injuſtius à juſto homine ſuſcipi poteſt , quam vilem & nullius virtutis, nullius exiſtimationis hominem,& nobilem ac præpotentem virum iiſdem judiciis ac legibus inflexibili norma, & ſeveritatis rigore eodem, cenſeri,judicari,damnari? Unde, quæſo, tot ſeditiones & factiones optimatum contra populum,populi contra optimates, emerſiſſe,unde tot bella, bellorũq; ſemina repullulaſſe putatis, niſi ex hac ipſa rerum omniũ confuſione & perturbatione emerſerint? Sed ut hoc tota noſtra cōtroverſia eò melius dijudicetur, in medio veſtrûm cōſtituam, & in conſpectũ producam, hac parte virum nobilem,illa infimæ conditionis hominem,unius tamen ejuſdemq; delicti conſcium convictumq;.Quorum utriuſq; ſtatum vitæq; conditionem ſi mecum penitiùs introſpexeritis , & ſecundum æquitatem , ut veſter animi candor eſt,judicaveritis,id,quod initio volui,vel ſine negotio me obtinere poſſe ſummopere confido. Inſpicite igitur mihi principio vilem illum & abjectũ homunculũ: in illo nulla dignitas, nulla fama, nulla exiſtimatio,nullæ facultates ac divitiæ,nulli honores,nulla majorum commendatio poſita,qua, exutus rebus illis omnibus, mulctari & puniri

poſſit

poſſit. Quid igitur reſtat, quid ſupereſt? Rem ipſam poſtulare, inficiari, ſi vel maximè velit, nemo poteſt, illum, qui in ære non habeat, in dignitate non habeat, in exiſtimatione & honore non habeat, quo plecti poſsit, ad corporis pœnam trahendum eſſe. Avertite nunc oculos, & in hunc ipſi aſtantem nobilẽ ac præpotentem virum conjicite, illumq; ut par eſt, & dignitati ejus convenit, mihi conſiderate: In hoc, ſingula illa, â quibus infimæ fœcis homuncio inops & nudus eſt, honor, dignitas, fama, exiſtimatio, facultates, copiæ, bona à majoribus relicta, domus, lares, penates, alterius capitis & alterius ſanguinis vitæq; locum tenẽt, & primas ſibi vendicant. Hunc igitur ſi eodem ſupplicio extremo, eadem pœna, eodem mortis genere, ob idem admiſſum, quo infimæ ſortis homunculum ferire & mulctare velis, nonnè vel ipſa Juſtitia & Æquitas clariſſima hac te voce inclamaret, & revocaret: Judex, quid agis, quid cogitas, quid ſentis, quid dicis, quid pronuncias? Itanè meâ, itàne dirigis itàne normâ meâ flectis? itàne æquitatis amuſſim intelligis? hoc tibi leges, hoc tibi decreta, hoc tibi ſẽtẽtiæ meæ loqũtur, hoc ſentiũt, hoc innuũt diſcrimine ordinis ac dignitatis habito, nobilem ac ignobilem, ſupremũ ac infimũ vilẽ & eminentem, fœcem & facẽ eodem loco habeas, iiſdem pœnis ac præmiis afficias

Cognoſce

bilem & ignobilem, inter benè meritum, & nullius unquam in rempublicam meriti virum interſit, penſi non habes, non cures, non perſpicias: aut ita civilium rationum expers & ignarus, ut, quàm civile caput, pretioſus quàm carius ipſo naturali cenſeatur, non intelligas. Hoc Solon ille meus, legumlatorum prudentiſſimus, optimè intellexit, hoc conſideravit, hoc perpendit, ad hanc normam leges ſuas direxit, ad eamq; tanquam ad Lydium lapidem eaſdem comprobavit, hac Draconiticum illum rigorem, ac iniquam illam acrimoniam, prudens correxit, emendavit, ſuſtulit. Hoc Rhadamantus meus æquiſſimus non ignoravit, quem ideò ſecula ſua juſtiſſimum appellarunt, & ipſi cœlites admirati ſunt, ipſumq; judicem mortalium omnium apud inferos conſtituerunt. Hoc divinus ille meus Plato in civitate ſua optimè inſtituenda, ſeveriſſimè obſervavit, hoc ſcripſit, hoc ſanxit, dum negavit beatam ullam rempublicam futuram, niſi Geometrica hac proportione gubernaretur, ad quam veluti Helicen atq; Cynoſuram aliquam univerſus hujus in republica navigationis, hoc eſt, judiciorum, conſiliorum & ſentiarum curſus, dirigatur. Hanc rationem non ſe ab hominibus, non ab illis veteribus heroibus, non á prudentiſsimis Ægyptiis, ſed ab ipſo Deo accepiſſe, didiciſſe &

intellexiſſe fatetur. Hæc enim illa eſt ratio, qua ipſe Deus utitur, & univerſum hunc mundum juſtiſſimè moderatur. Hæc illa æquiſsima regula Lesbia eſt, quæ ita ſe ad reipublicæ rationem, ad judiciorum normam accommodat, ita applicat, ita attemperat, ut in neutram partem detrimentum, nuſquam iniquitas oboriri poſsit. Hæc illa ratio eſt, quæ depravatas iniquiſsimis prorſus opinionibus hominum mentes, de Draconitico illo, in pœnis infligendis, rigore adhibendo, velut de integro interpolavit: hæc diſtractos, diſſipatosque variis ſententiis hominum animos in unius veræ mentis unanimitatem & conſonantiam revocavit: hæc magiſtra morum, & judiciorum eſt, quæ, veluti ſol exoriens nubium caliginem diſsipat, & tanquam ſydus, quod Caſtoris & Pollucis dicitur, exortu ſuo æſtum maris placat, tempeſtatemque diſpellit: ita hæc divinitus exorta, tenebras injuſtitiæ & iniquitatis diſcuſsit, ac illo ſuo ſalutari fulgore procellas veterum opinionum & errorum hinc inde obortas diſpulit. Hæc denique illa legis antiquæ Porciæ prudentia, hæc ratio eſt, quæ à civibus Romanis, tanquam rerum omnium dominis, & hominum nobiliſsimis, ſecuris & faſcium acerbitatem removebat, mitioresque pœnas ſtatuebat. Auditis, audi-

tores, quid quaſi de cœlo, ipſa juſtitia, atque æquitas, de hoc judicio clamitet, quid pronunciet, quid ſtatuat. Verùm ne ex meo, quæ dixi, cerebro fingere omnia videar, ſi plures rationes, earumq; momenta firmiſsima deſideraris, ipſarum legum civilium, in quibus æquitatis norma, & obruſſa ipſius divinitatis continetur, vobis producam auctoritatem, ipſa Juriſconſultorum quaſi oracula, eadem de re vobis exponam. Sed in hac tot præclarorum virorum copia ac multitudine, à quibus potiſsimùm exordiar? aut, quod, aut à quibus, hujus ſententiæ meæ perſpicuitati & veritati magis illuſtrandæ auxilium petam? Prodeat mihi primus Claudius *Saturninus*, nominis inter Juriſconſultos non postremi, qui de hac controverſia huncin modum ſcripſiſſe legitur: Aliter puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, aliter liberi. Quid verò præclarius, quid dilucidius in hanc meã ſententiam à quoquam dici poſsit, non reperio. Differentiã pœnarum, ex differentia perſonarum, Juriſconſultus habendam eſſe clarè ſtatuit. idem hæc mea oratio. Sed & audiamus Ulpianum, illud Juriſconſultorum lumen, qui & ipſe nobis pœnam ſceleris cujusq; pro qualitate perſonæ, proq; rei cõditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, vel ſeverius vel clemẽtiùs irrogãdã eſſe ſeverè præcepit. Quod &

ſa quaque cognoſcerent, & pœnam viro nobili denunciarent. Quid de Liberio Papa? hic illos, qui Eccleſiæ pacem violarint, ſtatum conturbarint, fluctusque in eo excitarint, ſi dignitatem, ſi cingulum militiæ habeant, iis ipſis denudari, privari, exui; ſi nobiles ſint, & honeſtiore quodam loco nati, iis ſubſtantiarum proſcripſionem irrogari: ſi verò ignobiles, & infimæ conditionis homines, eos non ſolùm verberari, ſed & exilio perpetuo caſtigari juſſit. Quid pontifex Gregorius? hic etſi in idolorum cultores, aruſpices, atq; ſortilegos, zelo ferventi, atq; pœnis & ſuppliciis, quibus ejus farinæ homines digni, ſeverè animadvertendum eſſe ſtatuerit, minori tamen pœna, liberum caput, quam ſervile, præpotentem, quàm vilem, nobilem, quàm ignobilem hominem plectendum cenſuit.

Sed ne in horum autoritatibus & ſententiis recenſendis, infinitus ſim, & in iis tota noſtra conſumatur oratio, aliò me convertam, & exemplis, quod velim, evincere conabor, & iis quidem non levioribus, minorisvè momenti, ſed multò gravioribus, & ad inſtitutum noſtrum maximè facientibus. Ac ut initio me ad Romanos conferam, aſpicite mihi Marcum illum Scaurum, quem in populari dominatione, nulla alia ratione, quàm antiquæ nobilitatis favore, ab exitio ſervatum

eſſe, ex Romanorum hiſtoriis clariſſimè conſtat. Et quamvis in ſtatu iſto populari, nobilitatis reſpectus cultusq́; minor ſemper fuerit, & idcircò diutius ille florere non potuerit: nihilominus tamen ipſa naturalis æquitas, atque adeò ipſa divina Aſtræa cœlitus delapſa, hoc dictavit, hoc ſuaſit, hoc animis etiam ignobilibus impreſſit, ut iniquiſſimum, imò ab omni humanitate alieniſsimum eſſe judicarent, nobilem cum plebe ignobili iiſdem pœnis teneri. Ex eo mecum in principatum & Imperatoriam poteſtatem oculos animosque veſtros conjicite, atque inde luce meridiana clariora geometricæ hujus proportionis exempla luceſcent: Quid enim? annon apertiſsima, & quæ vulgò perſpicua eſſe poſſunt, diſcrimina ſecuris & gladii habentur? illa ad ignobilioris, hic ad nobilioris pœnæ genus reſpiciebat. Nec vero tyrannicus animi æſtus, & odium pluſquàm Vatinianum, ita potuit Caracallam, tyrannorum iniquiſsimum, ab omni cum æquitate, tum pietate, detorquere, tranſverſumq́; agere, quò minus in Papiniani, Juriſconſultorum æterni luminis, interfectione, cùm ſecuri nobiliſsimum caput reſectum, amputatumque inaudiret, parricidam ipſummet vel invitum, fateri coëgerit, iniquè in eo actum, ſi non, ut profectò, cætera omnia iniquiſsimè, quòd

nobi-

nobiliſsimus vertex ignobiliori pœna eſſet affectus, atque ideò ille ad centurionem ſuum, in hæc verba: Oportuit te, inquit, gladio exequi juſſum meum. *S*ed utinam novus ille noſter Arp*i*nas, *i*dem *i*n conſulatu ſuo intellex*i*ſſet, *i*dem obſervaſſet, atque ejusdem geometricæ proportionis rationem aliquam, in accuſando, in condemnando, habuiſſet, non, opinor, in ſe omnium odia & invidiam derivaſſet, ſed magnis, magnis, dubio procul, ſeipſe imprudentiæ, quas perpeſſus poſtmodum eſt, pœnis liberaſſet. Quid enim, per Deum immortalem, cauſæ fuit, quòd ille in exilium actus, quòd fortunis, bonis, laribus, penatibus, exutus, quòd omnium odio & invidia ferè conſumptus: quid, inquam, cauſſæ, niſi quòd acerbiora iſta, & vix unquam audita, in Cethegos, in Lentulos, aliosq́, viros, antiquæ nobilitatis nomine, omnibus commendatos, extrema ſupplicia decreverit. Quid enim, bone Conſul, funes illi & teſtes tui infames? quid fractæ nobilium virorum gulæ? quid turpiſsima illa carnificis tui in tulliano tortura? Nonnè indignitas, & ſūma rei iniquitas, ōniū animos ita cōmovit, ita perculit, ut, niſi matura fuga tibi conſuluiſſes, talionis pœnam evadere non potuiſſes? Nunquam, nunquam, crede mihi, illa, tua optimè de republica, & de omni

memoria omnium ſeculorum meritiſſimá dextera, roſtris impoſita, omnium conſpectui miſerrimum ſpectaculum præbuiſſet, niſi ſeveriores tuæ in alios, nulla dignitatis, nulla exiſtimationis, nulla ordinis habita ratione, ſententiæ & pœnæ recordatio, omnium aliorum beneficiorum memoriam obruiſſet, priſtinumq; populi favorem à te ab alienaſſet. Illud erat, Auditores, quod in ampliſſimo ſenatu, in auguſtiſſimo tot prudentiſſimorum præclariſſimorumq; virorum conſeſſu, prudentiſſimus & auguſtiſſimus Cæſar, de mitiganda nobiliũ virorũ pœna, de tollendis acerbiorib. in illos ſuppliciis, diſſerebat, cùm Catonem rigidiſſimum iſtũ, ſtrictiq; juris acerbiſsimum cenſorem graviſsimè refelleret, ac refutaret. Si quid verò juris in eo eſſe poteſt, ut maximè poteſt, & eſſe debet, ſi quæ in eo vis, ſi quæ autoritas, quod omnium gentium inſtituta, quod prudentum conſilia, quod mores & conſuetudines populorum receperunt atq; approbarunt, non minima certè probationis pars hinc mihi emergere & emanare videtur. Perſarum juſtitia & diſciplina omnium laudatiſsima, florentiſsimaq; fuit, quæ, ut longiorem chlamydem non longiori, neque curtiorem tunicam breviori ſtaturæ, ſed illi, cui acquiſitionis & dominii jure deberetur, attribuebat: Ita in hac etiam parte omnium æquiſsima

ma habita eſt, quòd illorum inſtituto omnium profectò juſtiſsimo, ſi quid illuſtres & nobiles deliquiſſent, ſi quid graviùs etiam peccaſſent, veſtes & mitræ illorum cæderentur, tunicæ atque chlamides plagis afficerentur. Exiſtimarunt ſiquidem illi, non minorem injuriam, ac ignominiam, non minorem dolorem homini nobili & præpotenti viro accidere, ſi veſtimentum ejus publicè flagello fuſtève pulſaretur, quàm ſi vel ignobilis & plebei hominis tergum virgis cæderetur, aut ferro ſtigmatico frons notaretur, aut collum numellis includeretur. Idem illud intellexerunt, in barbarie extremà, Indi Orientales, qui ſi ejuſdem ſceleris convictum nobilem & plebejum tenerent, ignobili nares & auriculas, nobili verò capillos detruncabant. O Barbaros minimè barbaros, ô juſtos & æquos rerum æſtimatores! Quorſùm verò, quæſo, majores noſtros reſpexiſſe, quid cogitaſſe, quid conſideraſſe arbitramur? qui ignominioſas mortes, infameſque furcas, catenas & funes patibuli à nobilium pœnis remotiſſimos eſſe voluerunt. An non putarunt, ipſam rempublicam, ipſumque publicæ dignitatis majeſtatiſq; roborem, in eo confudi, & deformari? An non perviderunt, ipſam decoris & præmii exiſtimationem per hoc vileſcere, ipſamque virtutem in contemtum trahi? ſi in

pœnis infligendis nulla majorum recordatio, nulla inſignium geſtorum condecoratio, nulla meritorum præteritorum conſideratio, nobilem ab ignobili, ſupremum ab infimo, hominem abjectum ab eminente diſcerneret. Nihil enim profectò ad virtutem, & nobilitatis ſtudia inflammanda, vehementiùs, nihil ad animum alto veterno ſopitum excitandum, fortiùs, quàm ſi omnes intelligant, & manifeſtis, ac tanquam ante oculos poſitis, exemplis videant, eam eſſe, quæ quiſque conſecutus â republica ſit præmiorum, præſtantiam, eam veræ nobilitatis, quæ non niſi meritis ingentibus acquiſita, naturam, eam dignitatis, quæ quaſi reipub. patrimonium & dos publica exiſtit, excellentiam, ut nulla vitia & flagitia illam ſuis nebulis obfuſcare, è poſteritatis memoria delere, atque ita ex hominum animis penitus abolere, & ſi maximè velint, ſtirpitus evellere poſſint. Nam & tunicas, pallia, & reliqua veſtimentorum genera, veterum heroum majorumque noſtrorum, licet attrita, aliqua ex parte & vilia, ideò aſſervamus, religioſus, atque incluſa tenemus arctiùs, quòd nobis quandam quaſi fragrantiam, quendamque odorem, priſtinæ integritatis, ſimplicitatis, candoris ac virtutis, objiciant; quodque nobis exuſcitent, & ingerant memoriam

moriam eorum, qui illis induti & amicti fuerint: Ita neſcio quid, in nobilitatis externo illo cortice, in corpore, in ſanguine, licet aliquâ eorum culpâ virtutis interna flamma debilitata & extincta ſit, remaneat tamen & ſuperſit, tanquam umbra quædam, quæ, oculos ac animos noſtros intuitu & recordatione ſui afficiat, quæ ita eos feriat, ut vel invitos ad virtutum culmina & benefactorum præmia trahat, traducat. Quid? quôd & in ipſius extremitatibus, & nuda ſuperficie, reliquas quaſdam & quaſi evaporatas melioris ſeminii vires, in homine nobili latere cernimus, quæ, cùm in vili, & nullis unquam virtutibus imbuto ſanguine, reperiri non poſſunt, exinde fit, ut plebejorum & abjectorum hominum pœnis minùs moveamur, quàm nobilium, minus ad miſericordiam, minus ad commiſerationem flectamur. Convertamus enim vultum ac fluctus illos pueritiæ noſtræ, quibus ejecti, quietiorem jam portum conſcendimus, ad ludum, inquam, illum literarium. Quid ibi? ſi quem ingenuum & frugi bonæque indolis puerum acerbiùs caſtigari videmus aut etiam audimus; nonnè illico unuſquiſque, quàm citiſſimè, accurrimus, ferulam Orbilii rejicimus, & plagas, quoquo modo

poſſu-

poſſumus, avertimus? Quid veró, ſi degeneris & infimæ fœcis puſionis terga denudari conſpicimus? nonnè, neſcio qua fæditate illaudati ſanguinis commoti, in odium & iram ipſi convertimur? nohnè ipſi cæſum objurgamus, cædentem inſtigamus, & quaſi voluptatem quandam ex pœna plebei ſanguinis ac indolis ſui ſimulis capiamus? Hanc diverſitatem, cum in nobis ipſi deprehendamus, motusq; ejusmodi ſentiamus, cui, quæſo, mirum videri poteſt, aut incredibile, patrem quendam à populo lapidibus eſſe obrutum, eò, quòd filium ſuum flagellis ſervilem & inhumanum in modum caſtigaſſet; Quid vero facturum fuiſſe opinemur, ſi Papyrium aliquem nobilem adoleſcentulum duriùs vel à præceptore ſuo tractari vidiſſet, Verùm obſtrepunt hic nobis, verborum quidam captatores, vocum acupes, nugarum architecti, exclamantéque aſſa voce, audiendum eſſe divinum illum Platonem, philoſophorum facilè principem, attendendum eſſe illius de hac controverſia judicium exactiſſimum. In civem, docet ille, inquiunt, acrius animadvertendum eſſe, ſi quid ab eo peccatum ſit, quàm ſervum: quòd ille diſciplinis honeſtioribus informatus, artibus vivendi melioribus inſtructus; hic ab illis omnibus nudus, & deſtitutus ſit. Sed quonjam iis, quæ omnibus no-

tiſſima

tiſſima ſunt, fidem abrogare; extremæ dementiæ eſt, & animi prorſus diſſoluti, non negabimus verum eſſe, quod objicitur; illud ſaltem deprecabimur, ne propter hominum ſtultitiã res ipſa invidiam vocetur; nève, quorum judicia ſiniſtra meritò averſamur, etiam eorundem ſermonem immeritò repudiemus. Etſi enim illis hoc largiamur, quod ex Platonis verbis deſumunt, unquid ob id hæc noſtra diſciplina, pœnarumque diverſitas, Platonicæ coërcitioni, gravique illius judicio, erit contraria? non opinor. Popularis illa quidem fateor, & communis perſuaſio eſt, nobilium pœnas multò leviores, obſcurorum verò virorum multò graviores eſſe, cùm hi vitæ & capitis: illi exilio & fortunarum famæque & dignitatis amiſſione plectantur. At hæc, ſi attentiùs veram juſtitiæ & æquitatis normam examinemus, & ad eam omnem judiciorum curſum rectè inſtituamus, à vera & genuina ipſius rei explicatione, quàm longiſſimè abeſſe animadvertemus. Quis enim eſt qui cenſeat, ideò ſervum caſtigari acerbius, quàm ingenuum puerum aut puellulam, quôd ille flagello & fuſte: hi verò, molli ferula & ſandalio percutiantur? Inſpice mihi utriusque coria, quanta diverſitas ſit, quantum in utroque diſcriminis, altiùs perpende, penitiùs cognoſce: in illo vides ſervilis pellis craſſitiem,

perſpicis calloſos, & vibicibus aſſuetos humeros, tanquam elephanti cutem, non facilè pertundi, ſed quibusvis ictibus perferendis, plagisque ſuſtinendis ſufficere? in hoc animadvertis puerilem mollitiem & tenellam cuticulam, quæ, vel minimo ferulæ tactu, maximos dolores ſentit, & ad virgulæ ſtræpitum quemvis exhorreſcit. O ſtupidum igitur & iniquum civilium rerum æſtimatorem! O rudem & inertem! qui virum nobilem mitiores dolores percipere arbitratur, ſi domo, ſi laribus, ſi penatibus pellatur, ſi in exilium ejiciatur, quàm ſi alium, famæ & exiſtimationis nullius erronem, manus amputatione aut capitis amiſſione plectamus. Removeantur itaque à tribunalibus, depellantur à judiciis & curiis, illæ vulgi querimoniæ, taceant plebeja illa convitia, ſileant contumeliarum plauſtra, mitiùs cum nobilib. & potentioribus agi, corvis dari veniam, columbas vexare cenſuram, de corio humilium ludi, gratiam inſententiis dominari, judicem nobilitati favere, cornices ſibi oculos mutuò non confodere, pauperem ſemper & ubiq; jacere. Sileſcat è veteribus, ille Anacharſis, nec, leges araneárum telis ſimiles eſſe. declamitet; muſcas illis pendere, crabrones erumpere atque elabi. Deſinat Andreas Riccius,

Polo-

Polonos ſuos injuſtitiæ arguere, & iniquitatis damnare, quòd non eadem pœna patritii, qua plebei, potentes, qua tenues, cives, qua peregrini plectantur. Deſinant Galli, prudentiſſimum curiæ magiſtrum Meminum iniquæ ſententiæ arguere, quòd in eodem crimine, dominum & ſervum, diverſis pœnis affecerit; alterum dignitate, bonis & fortunis omnibus, ardenti ferro notatum, & contumelioſè circumactum, exuerit: alterum, humilis videlicet & obſcuræ conditionis, extremo ſupplicio ſuſtulerit. Deſiſtant alii Danos vituperare, & iniquitatis accuſare, quòd nobilem ſqualore perpetui carceris, ignobilem gladio puniant. Deſinat tot infinita exempla Germaniæ exprobrare, cùm in eodem delicto, illuſtres, nobiles, & genere eminentes, aut mulctis, aut carceribus, aut exiliis: ignobiles verò & obſcuri, tanquam immedicabile vulnus ab ima ſtirpe reciſum, è medio penitus ſublati fuerint. Nullum, nullum, auditores, manifeſtius tyrannidis, & extremæ barbariei indicium, nullum certius eſſe argumentum poteſt, quàm ſi illa pœnarum diſcrimina, in diverſis ordinibus, in civitatibus, in regnis, non contineantur, in tribunalibus, in curiis, in judiciorum ſubſelliis non obſerventur, non diligentius attendatur.

Quis

Quis enim tam emoræ & profligate mentis eſt, qui non execretur Turciam illam ſævitiam, & immanitatem, quæ æquè in nobiles & ignobiles, tam in ſui quàm alieni ſanguinis homines, eodem furore & crudelitate bacchatur? Quis adeò perfrictæ frontis, qui Moſchovitæ Joannis, qui indignus hominis, nedum principis appellatione eſt, non deteſtetur, qui non ſummoperè abhorreat à tyranni immaniſſimi vaſtitate, qui fratres, liberos, conjuges, principes, nobiles, & ignobiles, eodem ferro trucidabat? Quis verò animi tam duri, quis cordis tam adamantini, qui ſine lachrymis, ſine ſuſpiriis, & ſummis doloribus, Cunradinum, nobiliſſimi animi & regii ſanguinis juvenem capite plexum eſſe audit? quis pontificem, cædis inuſitatæ & inauditæ ſuaſorem, non omnibus diris devovet? quis Caroli regis crudelitatem non averſatur? quis totam Siciliam, inprimis forum Neapolitanum, in quo regius ille ſangius effuſus eſt, non odit? Et neſcio quem, non Angelicanæ ſecures auribus animiſq; noſtris horrorē injiciant, quem terrorē nō incurrāt, quod ſui odium non excitent, quibus tot reginarum, tot principum, tot ſummorum procerum capita crudeliter reciſa. Albani autem tyranni memoriam nulla ætas non execrabitur, locus ipſe ſcelus deteſtabitur, in quo Egmondæ & Hor-

Hornenſis familiæ ſanguis nobiliſſimus effuſus. O ferrum ipſum ne fandum, quod tam nobili cruore aſperſum! manum verò æternis ſeculorum omnium execrationibus obnoxiam, æternùm devovendam. Sed quò me indignitas exemplorum, quò ſcelerum recordatio, quò indignationis æſtus rapit? Præſtat ſilentio præterire, quàm cum maximo dolore? cum ſuſpiriis & gemitibus ſi quæ ſunt alia, ut ſunt multò graviora, commemorare. Video equidem, me longius progreſſum eſſe dicendo, quàm vel initio conſtitueram. Rapuit & abduxit orationis curſum ſecundis quaſi ventis, nobilium dignitas, auctoritas, exiſtimatio, quam cum hodierno die tacitus prætermittere, ac malevolis imminuendam concedere, nec potuerim, nec debuerim, auferri me aliquandò longius paſſus ſum, neq; mihi potui, ut eas ſtrictim & modicè attingerem, imperare. Vereor autem, ſi longius orationẽ hanc producere vellem, ne aut vobis, auditores, moleſtiæ, aut iis, qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, impedimendo futurus ſim. Quare ne ingeniis veſtris diffidere velle videar, ſi de rebus tam perſpicuis, nec cuivis non obviis, diutius diſſerere inſtituero, vela contraham, & in vadum me conferam. Veſter ille vultus & jucundiſſimus aſpectus, manifeſto indicio mihi eſt, neminem veſtrùm eſſe,

qui huic meæ orationi non ſubſcribat, qui iniquitatem ſecus judicantium non intelligat, qui non animadvertat; quantum periculi, quantum calamitatis & detrimenti reipublicæ benè conſtitutæ, ex promiſcuis nobilium & ignobilium pœnis oboriatur. Ut autem obtrectatoribus noſtris omnis calumniandi anſa impoſterum eripiatur, connitamur quantis poterimus viribus, ut, profligata omni confuſione & perturbatione, illam geometricæ proportionis rationem, in tribunalia, in curias, in judiciorum ſubſellia reducamus, æquitatem reſtituamus, ſummumque locum legibus & juſtitiæ relinquamus.

ORATIO II.

Recitata à

M. JOHANNE BERCKSTADIO SALFELDENSI.

Nobilem non eſſe mitius puniendum, quàm plebejum.

SI dicendi artificium & perſuadendi ſtudium in judiciis valeret, à doctiſs. collega meo nobilitatis cauſa præclarè defenſa eſt: Si peritia & uſus, peritiſſimè; Si auctoritates & favores, gratioſiſſimè; Si doctrina

na & ingenium, eloquentiſſimè. Quæ ſunt igitur meæ partes? aut quibus rebus fretus orationem contrariam inſtituam? Quid veritatis cognoſcendæ gratia fortiſſimis illis judiciorum omnium præſidiis, dignitati, ſplendori, copiis, facultatibus, majorum commendationibus opponam? Quid enim ille, quem tam benevolè & attentè audiviſtis, ad cauſæ ſuæ patrocinium non attulit? quàm multa ſubtiliter de jure, de more, de conſuetudine, de exemplis? quàm accuratè de geometrica illa in præmiis & pœnis diſtribuendis proportione? quàm ornatè de juſtitiæ æqualitate? quàm graviter de nobilitatis auctoritate? quàm cautè de culpa, de crimine? ut mihi jam verum videatur illud eſſe, quod nonnulli literati & ſtudiis doctrinisque dediti, quaſi quiddam incredibile dicere putabantur, eum qui omnes animo dicendi virtutes comprehendiſſet, omnia quæ dicere vellet, facilimè tractare: quò quidem mihi difficilior eſt hic perorandi locus. Etenim ei ſuccedo orationi, quæ non prætervecta ſit aures veſtras, ſed in animis omnium penitus inſederit, ſeſeq; nobilitatis gratia ac favore, tanquam vallo aliquo circumſepſerit ac munierit, ut laboris & contentionis maximæ futurum ſit, hanc meam de eadem cauſa

diverſam ſententiam, priore revulſa & excuſſa, in animos veſtros defigere. ſed tamen mos eſt gerendus non modò inſtituto & laudabilis collegii noſtri voluntati, ſed etiam veritati. Nec enim leviter ſaltem juſtitiæ honorem perſtringi, ſed ejus quaſi pudicitiam attentari, atque adeò virginitatem totam violari, perſpicuum omnibus eſt. Quapropter aliis tacentibus, à me, qui tamen nulli veſtrûm in dicendo ſum comparandus, expoſcere præſens ipſius periculum videtur, ut in hac cauſa omnium rationum, argumentorum, probationum, mementorum omnium cujusque fortis hominibus prædicatorem & auctorem me exhibeam. Dignum autem veſtra, auditores, æquitate ac judicio, ut in hujus graviſſimæ cauſæ deliberatione, vobiſcum diligenter animo perpendatis, proprium eſſe boni & circumſpecti judicis, ſingula, in utrâque partem quæ dici poſſunt, diligenter expendere, rerumq; inter ſe pondera atq; momenta accuratè examinare, & veritati in omnibus controverſiis locum relinquere. Quod ſi, quemadmodum hoc mihi veſtrum veritatis & æquitatis cognoſcendæ ſtudiū atque benevola hæc attentio promittit, feceritis, certè cum magno illo Alexandro, qui occluſa altera aure accuſatorem audiebat, ut alteram reo integram ſervaret, nō dicā perſonæ magis, quàm

cauſæ vos favere, ſed ab omni ſimulationis ſuſpicione remotos, veritatis & juſtitiæ ſtudioſiſſimos eſſe prædicabo. Nec verò dubito, quin hac penitius intellecta controverſia, quæ de pœnis nobilium & plebejorum eſt, de hac re longè aliter mecum ſenſuri & judicaturi ſitis. Nō autē pluribus illud mihi verbis, quod æquitas ipſa demonſtrat, evincendum eſſet, ſi aliquis mihi Cambyſes obtingere poſſet, qui hujus cauſæ tribunalibus Siſamnis ſui corium objiceret, & à perſonarum ac dignitatum intuitu, judicis oculum ad juſtitiæ inconniventiam retorqueret. Quid enim tam iniquū & ab omni jure tam alienum eſt? quàm quòd hodierno die, de diverſo iſto pœnarū genere, & perſonarum delinquentium diſcrimine diſputari auditur: Humilem atq; inopem, ſi quid deliquerit, excoriandum eſſe omnes clamitant: nobilem ac opulentum vix digitulo attingendum, & ne quid aſperiùs patiatur, ſummoperè dicunt eſſe cavendum. O tēpora: ô mores! quibus legibus vivimus, è quibus inſtitutis ac diſciplinis ſententiam hanc egregiam hauſimus? Nunc equidem veriſſimum eſſe affirmabo illud, quod fabuloſū antea credideram: juſtitiam terrarum finibus emigraſſe & ad ſuperos ſe recepiſſe, neque umbram ejus mortalibus eſſe ullam relictam. Adeſte verò huc, adeſte æquis animis omnes,

qui nobiles appellari vultis, & vel ipſi hujus rei judicem veſtram conſcientiam nobis conſtituite, veſtri nominis conſiderationem primò ſuſcipite, atque ex eo ipſi vobiſcum ita ratiocinamini: Nobiles ſumus: at cur ſumus? Virtus hoc nomen peperit. Ex eo enim nobilitas verum decus & inſigne, nomenq; ſuum accepit, ut virtutis nota & teſſera quædam eſſet, nihilq; aliud quàm rectè factorum præmium: unde nobiles quaſi noſcibiles nuncupati, qui benè & præclarè vivendo, ac egregia facinora perpetrando, in omnium mortalium notitiam & admirationem veniſſent. O amabile, ac illuſtrè, & ab ipſa divinitate profectum nobilitatis nomen, quod meritò colere & obſervare ac venerari omnes debemus, quicunque virtutis amplitudinem & lucem conſectamur. *S*ed pergite: Nobiles ſumus: an tum etiam cùm perjuri, cùm fœdifragi, cùm adulteri, cùm homicidiæ, cùm omnibus intercutibus vitiis flagitati, inquinati? Minimè omnium, nec enim tenebræ cum ſole, nigrum cum candito, ſordes & flagitia cum virtute ac nobilitate conſiſtere ullo modo queunt. Sic enim nec ipſi Dii, ut Euripides rectè ſentit, ſi turpiter quid egerint, ſi adulteria cum Jove commiſerint, cum *S*aturno parentes caſtraverint, cum Mercurio boves abegerint, & alia, quæ in fabu-

loſa

loſa gentium ſuperſtitione leguntur, facinora peregerint, dii haberi amplius poſſunt. Quid igitur, ſi quis ipſius honeſtatis nervum inciderit, ſi contra ſacramentum virtutis, cui Nobilis juratus, & æterno fœdere ac nexu devinctus eſt, quippiam deſignarit, dignitatemq; nominis ſui flagitio aſtrinxerit, quid, inquam, judicabitis? Nonnè eo ipſo majore pœna afficiendum, quàm alium ignobilem quemvis exiſtimabitis? Nam ſi, quæ in bellis committuntur crimina & delicta, eò graviori ſupplicio coercenda, quòd contra boni militis afficium & juramentum, contra ipſam diſciplinam militarem, à qua militis & nomen & decus cingulumque profectum eſt, contra majorum inſtituta, contra fidem datam & religionem caſtrenſem admiſſa ſint: quid de nobilium delictis dicemus? quæ non ſolùm opinionem & exiſtimationem boni viri, ac officium obſcurant & obliterant, verùm etiam omnem nobilitatis dignitatem, omnem ſplendorem extinguunt, ipſamq; nobilitatis originem & parentem, virtutũ nimirum ipſam, quàm longiſſimè removent? Illumnè igitur putabitis, ſi ad tribunalia fortè forũq; deductus ſit, nobilitatis favore & patrocinio virtutis, commendationeq; majorũ defenſum iri? qui contra nobilitatem ipſam egerit, qui virtutem offenderit. majores

ſuos turpitudine ſua ſummoperè læſerit, imagines deformarit, commendationem omnem effuderit? Illinè opem aliquam laturam antiquorum & integritatem & fidèm arbitrabimur, qui ſibi ipſe ingratus ac perfidus, nominis ſui decus celebritatemq; dehoneſtarit? Huic verò gratia ulla & clementia advocatum veniant, qui adverſus ſeipſe iniquus, & erga famam ſuam crudelis fuerit? Annon potius omnibus aliis conniventibus, ac tacentibus, ipſa Nobilitas contra hunc hominem adſurgens, eumq; ſeverè increpans, in medio foro, in judicio, hac voce compellet? Homo quid rerum tibi hîc? quæ te tuæ virtutes huc deduxerunt? hæc illa via, hi gradus, quibus te inſiſtere tui majores voluerunt, hæc illa egregia tua opera, quæ nobilitati tuæ debebas? itanè dignitatem tuam condecoras? ita honorē generis tui auges? ita decus à parentibus acceptum amplificas? Quid cogitas? quid ſperas? in meis te poſſe privilegiis conquieſcere amplius exiſtimas? in meis aſylis deliteſcere? à meo te poſſe favore ac gratia umbram aliquam conſequi putas? à meo præſidio tibi veniam promittis? Erras, homo, longiſsimè erras. Quid enim indignius, quàm nobilitatis virtutisq; præſidio frui eum, qui utramque, quantum in ſe eſt, omnibus injuriis & contumeliis affecerit. An neſcis id, quod te cùm

naturalis ratio, tum legum clariſſima vox docere debuit, Reatu omnem dignitatem excludi, & nobilitatem cum omnibus privilegiis & favoribus flagitioſa vita amitti. Non igitur à me tua delicta defendi, ſed potiùs accuſari quàm maximè debent: nec pœna, quam meritus es, mitigari, ſed eò magis exaſperari. Nobilitatis ipſius ſententiam audiviſtis: at ſi cui auctoritas tanta ſufficere non videtur, ille velim, mecum acriori judicio expendat, quanta pernities Reipub. peſtisq́, in eo verſetur, ſi homines nobiles, quos imprimis & omnium maximè leges tueri & propugnare, aliorumque vitam ab injuriis & contumeliis omniq́; vi defendere, & munire oporteat, ipſi impunitate, aut lenitate pœnæ, legumq́; conniventia ad nequitiam & ſcelera invitentur. Quid enim aliud veterum Cyclopum & Centaurorum civitates magis infames olim fecit? quã quòd nobiliores nullis minis, nullo metu pœnarum coërciti, quicquid ipſis collibitum eſſet, egerint? An non ob eam etiam cauſam toties pop. Rom. contra nobiles ſuos inſurgebat, toties ſeceſſionem faciebat, Aventinum montem & Capitolium occupabat? Atqui hoc illud erat, quod cùm metuerent Romani, nulla perpetua magiſtratuum imperia, ſed annua inſtituerunt. Nam cùm ſceleratos ab injurioſa facinoroſaque vita non poſſe revo-

cari viderent, niſi ſuppliciorum metu deterrerentur, conſultum putabant & reipub. maximè ſalutare, ſi nulli unquam faſcium poteſtatem perpetuam concederent; ne forte diuturniore imperio etati humiliores opprimerent, nobilioribus verò feneſtram ad omnem proterviã conniventia ſua & iniquè judicandi licentia, aperirent. An non hæc prima etiam tribunatus inſtituendi cauſa fuiſſe perhibetur, cùm potentiores ſui ſimilibus faverent, & nobilitatis titulo delicta plurimorum tegerent; cùm, ut Catonis de iniquitate ſuorum temporum querela fuit, alii ob rapinas in nervo & compedibus vitam agerent, alii verò in auro alieno & purpura ſeſe jactarent. O rem omnium injuſtiſſimam! O facem omnium domeſticorum bellorum! omnium rerumq. labem & interitum! Sed foris exempla quid petam, quorum infinita copia, domeſticis cùm non minùs abundemus? Nam quid aliud, patrum noſtrorum ſuperiore memoria, in omnibus provinciis Germaniæ, plebejos & agreſtes homines ad inſana iſta arma concitavit? quid aliud eos impulit? niſi illa non ſolum in judiciis, ſed etiam omnibus ferè communis vitæ rationibus uſurpata injuſtitia? nobilis plebejum, locuples egenum, potentior imbecillum opprimebat, oppreſſum nemo juvabat: judicium pauperum nulli pate-

patebat : miſeri damnabantur : quò quis majoris familiæ & nominis, eò citiùs abſolvebatur; & ſecundum illud, quod in vulgari verſiculo eſt : corvis dabatur venia, columbas cenſura vexabat. Hinc tandem illa populorum rabies, hinc illa Germaniæ univerſa calamitas, hinc illa tot curiarum devaſtatio, tot templorum demolitio, tot urbium invaſio, hinc tot nobilium domorum everſio, hinc tantæ cædes, & in omnibus ferè provinciis miſerrimæ clades. Poſſem ex omnium ſeculorum memoria, & ex quàm plurimis nationibus hujus rei exempla repetere. Verùm Helvetiorum illud, cùm inſignius & illuſtrius ſit, ut reliqua omittam, prætterire non poſſum. Quis enim neſcit nullam ob aliam cauſam, quàm, quòd impunè quid vis audiendi licentia uterentur, ii, qui ſupra plebejam conditionem eminebant delelam in illis gentibus omnem eſſe ab ipſa ſtirpe nobilitatem, jugumque magiſtratuum eſſe à cervice populi univerſi fortiſſimis armis repulſum? Quis vallis Uraniæ conſpirationes non cognovit? Quis Hagenbachii ſupplicium non audivit? quis cladem Sembachianam non exhorruit? Quis Leopoldi Auſtriaci labores & infelices pugnas non legit? Atqui hæc omnia ab illa egregia geometricæ proportionis regula, & ab illis licentioſis privi-

legiis nobilitatis, tanquam à fonte omnium malorum emanarunt. Ac ut maximè ejusmodi nobis timenda non ſint, non tamen video, quomodo his legibus, his moribus & inſtitutis, in officio retineri ſubditi & reſpub. tranquilla eſſe poſſit. Nam, Deum immortalem, peſſimi exempli res illa foret, ſi, qui aliis virtute prælucere debeant, ipſi licentiam majorem peccandi haberent. Ita enim vulgò comparatum eſt, ut quicquid illuſtriores & nobiliores faciant, eodem magnis agminibus ferantur inferiores. Hinc omnium ſcelerum labes & flammæ in civitatibus oriri, hinc ſcelerum integumenta ac patrocinia peti; hinc excuſationum prætextus ac vela trahi videntur: cùm impune in campo, in forò, ad focos, ad aras homicidia perpetrantur, tecta & cubilia ſtupris & adulteriis impunè contaminantur, bona, fortunæ, impunè rapiuntur, pecudes abiguntur, villæ, prædia, lares & penates impunè ſpoliantur. Tum verò remp. tuum ſalvam & incolumen ſtare poſſe exiſtimabis? Quid enim habes quod omnibus his malis opponas? pro me, ſi quid remedii laboranti reipubl. afferre potes. At nullum aliud eſt, quàm ſi potentiorum hominum audaciam ſeveriore & graviore coercitione cohibeas. Ac profectò, ſi rem rectè explicare velimus, hanc geometricæ illius proportionis, ſine qua, ut

divinus

divinus Plato ait, reſp. gubernari nequit, veram rationem eſſe, hunc eſſe ejus genuinum intellectum ſenſumq; verbi deprehendemus, ut quò quiſque major & conſpectior ſit, & exemplo malitiæ ſuæ peſtilentior, eò graviori pœnæ ſubjiciatur. Idque in divino judicio juſtiſsimum omnium habetur, ut, quod ſapiens teſtatur, potentes ſi deliquerint, potenter quoque tormenta patiantur. Senſerunt idem tum juſtitia & æquitate, tum prudentia celebratiſsimæ veterum quàm plurimæ Reipubl. idem plurimarum laudatiſsimæ provinciarum conſuetudines, idem judiciorum ſententiæ complurium confirmarunt. Poſſum nominare Italiæ aliquot, ſi opus ſit, florentiſsimas civitates. Poſſum totam Tuſciam hujus æquitatis cuſtodem ſeveriſsimam appellare. Sed ne in moribus & in conſuetudinibus, quæ mutabiles ſunt, fundamenta orationis meæ collocare videar, ad ipſa legum præſcripta & jura tùm Impp. tùm Pontificum me conferam. Attendite, quæſo, & mecum ad ipſius juſtitiæ adyta animos veſtros convertite. Quid enim laudatiſsimi Cæſares Valentinianus & Theodoſius domus ſuæ auguſtiſsimæ hominibus reſcribunt? quid minantur? quid præcipiunt? Vultis ex illorum conſtitutionibus verba ipſa proferam? Gravior, inquiunt, pœna conſtituenda in hos qui noſtri juris

ſunt,

ſunt, & noſtra debent cuſtodire præcepta. An verò verbum ullum clarius, aut documẽtum ullum illuſtrius ad veritatem hujus meæ orationis evincendam expectatis? Cogitate quibus hoc reſcriptum ſit? Non plebejis, non privatæ ſortis hominib. ſed in aula & in negociis publicis, ac in eminentia dignitatum conſtitutis. Ac ne de Imperatorum ſententia dubitare quiſpiam poſſit, eandem legem, quam non ipſe primus excogitavit, ſed ab ipſa æquitate & juſtitia percepit, aliis verbis non minus illuſtribus ad Paulinum præfectum Auguſtus Theodoſius repetiit, teſtatus: multò majore pœna eos eſſe dignos, quibus plurimum honoris delatum ſit. Vultis præterea, Hilarii Pontif. verba in eandem ſententiam ex Synodo Romana adducam, qui confirmat reatu majore delinquere illum, qui potiori honore perfruatur, & graviora fieri peccatorum vitia ſublimitate peccantium. Sed nec incognitam, aut inauditam cuiq; veſtrûm, veterem illam Meliorum vocem ad Athenienſes olim factam, eſſe arbitrabor. Vocem profectò dignam, quæ aureis literis in omnium nobilium & procerum parietibus, & in aularum veſtibulis inſcribatur! At quæ illa? nihil referre illi diſſerabant, qua ſtirpe, quibus majoribus, qua dignitate, & quibus honoribus quiſq; eſſet, ſed ita ſe rem habere, ut quò quiſque major,

major, eò majori, ſi temere labatur, pœnâ dignus habeatur. Ethnica hæc ſunt, ab Ethnidis diſcite, illorumq́, exemplo judicia veſtra informate. Nec enim ex priſca illa ætate dicta & verba tantum, ſed etiam exempla repeti quam plurima poſſunt. Quid enim Zaleucum illum Locrenſium Principem vobis producam? cujus quidem vultum & gravitate præclara iſta geometrica proportio ſuſtinere quomodo poterit? Velim ex illo judice omnium juſtiſſimo quæratis, quid de hac tota controverſia ſentiat? quid judicet? Adeſte verò viri nobiles, adeſte: Sententiam ipſi cognoſcite: aut ſi ſeveritatem tanti judicis & vocem expaveſcitis, ſaltem filium ejus, adoleſcentem unoculum, interrogare quas pœnas dederit? quibus legibus, aut quo judice lumen alterum amiſerit? cujus delicti pœnam ſuſtinuerit? ô rem omnium ſeculorum admiratione digniſſimam! Tantam legum ullarum auctoritatem, tantam judiciorum ſeveritatem eſſe, ut neque nobiliſſimus adoleſcens cùm juventutis calore, & amoris intolerantia in alterius uxore lapſus eſſet, neque omnium meritiſſimi de rep. patris filius, juris ſeſe expedire laqueo, & oculos ſuos ab acerrimo ſuppliciorum aculeo liberare potuerit? Tantum juſtitiæ rigorem eſſe, ut dum alterum oculum filio eripi, alterum ſervari pater

ter voluerit: ipſe in altero ſuorum oculorum pœnam legis ſuſciperit? Quid verò Lesbia regula? quid proportio geometrica? Itanè nobilitatem deſeritis? filiò Zaleuci non ſuccurritis? Sed ad propriora exempla veniamus, neq; enim illa nimis antiqua his moribus placere animadverto. Nemini autem veſtrûm ignorùm puto eſſe illud Poloniæ ſtatutum, quo quid humanius, quid nobilius, quid æquius ad normam Lesbiam fingi ant excogitari poteſt? Quod verò illud? audiamus quæſo, dignum regno tanto fundamentum: Cæſus quiſpiam plebejus eſt à viro nobili, res præclarè geſta eſt, cadaveri aliquantulum pecuniæ imponitur, pœna redempta eſt. Quod quidem tot & tanti reges à Ludovico, à quo primum hoc privilegium profectum eſt, tolerârũt: Quid tolerarũt? imò verò corroborarũt & confirmarũ, ô labem & peſtẽ nefariã reipubl! Sed quid prudentiſsimus Stephanus; Malle ſe is, ajebat, regno carere, quàm tantæ injuſtitiæ frenum laxare. Inventi, qui cùm deliquiſſent, antiquum ſuum ſtatutum allegarent: at ille ſibi longè antiquius eſſe reſpondebat, & ab ipſo Deo acceptum jus, quòd ſanguinem jubeat ejus rurſum effundi, qui ſanguinem alterius profudiſſet. Rapti idcirco ad ſupplicium ſunt, qui dignitatis & generis veniam ſperarant. O immortali nomine

ne digniſſimum regem, dignum, qui æternum uſque ſceptrum ſui imperii gubernaſſet! Sed nec ejuſdem prudentiæ & ſeveritatis exempla Germaniæ noſtræ deſunt. Quid enim illi, qui Albertum Auſtriacum, Imperii Auguſtum, ſacrilega manu interemerant? potueruntnè inani nobilitatis velo & umbra, qua indigniſſimos ſe tanta ſceleris atrocitate ipſi fecerant, adverſus extrema ſupplicia & carnificis rotas, contra fidiculas & equuleos, tormentaq; omnium exquiſitiſſima protegi? Minimè verò: quamvis itaq; Comitum & Baronum illuſtri ſanguine orti erant; eò tamen graviora ſupplicia, qui deprehenſi ex illis ſunt, luerunt, quò tum immanius ſcelus, tum majores & nobiliores patricidiæ fuerunt. Plus ſatis notum illud facinus Comitis Harttecenſis, quàm perfidè & ſceleratè munitiſſimum illud Germaniæ noſtræ propugnaculum in Hungaria, Jurinam arcem, Chriſtiani nominis hoſti acerrimo non obſeſſam neq; oppugnatam, ſed proditam, paucis ab hinc annis tradiderit. At quod præſidium in opibus ſuis? quam protectionem in familiæ ſuæ dignitate & amplitudine habuit? cùm non clam, aut parietes inter, ſed ſub aperto cœlo, militumque corona inſpectante, dextra manu & capite truncatus, juſtiſſimas perfidiæ ſuæ pœnas daret. Sed quid in his, quæ omnibus co-

gnita ſunt, diutius commoror? Quis noſtrum eſt, qui non ipſe aliquoties exempla talia viderit? qui non meminerit? Ad Angliæ ſecures tum nobilitum regio ſanguine rubefactas non opus eſt, ut oculos veſtros reducam, quia omnium Principum in hoc imperio, & inprimis illuſtriſſimorum & clementiſſimorum noſtrorum in hac provincia ea juſtitia, ea æquitas eſt, ut nemo in judiciis nobilis & illuſtris habeatur, niſi qui ſe ipſum nobilem integritate, virtute, & totius vitæ innocentia præſtiterit. Omnibus enim tam divinis, quàm humanis ſanctionibus ac inſtitutis, contraria illa exterorum quorundam conſuetudo, ſi conſuetudo appellanda, quæ belluis, quam hominibus affinior & propior, qua perpetrati à nobili homine flagitii, cædisque commiſſæ, pœna aut nulla, aut exigua pecuniaria mulcta exigitur Deum immortalem ubi vivimus? quo loco ſumus? illanè civilis ſocietas ac congregatio dicenda? Quis non mallet in truculenta aliqua leonum ſpelunca, aut in urſorum cavernis, quàm in immaniſſima illa diſciplina verſari? Quid verò inter immanes illos, quos in fabulis cognoſcimus Læſtrigonas & Anthropophagos, & quos ex hodiernis navigationibus comperimus, Canibalos intereſt? niſi quòd illos victus ſui ratio immanes, hos verò ſola ſævitia & impunitas

nitas immaniores faciat. Egregiam verò nobilitatem! egregias immunitates & privilegia! egregiam rempublicam, quæ his fundamentis, his columnis nititur! At hæc illa geometrica proportio, hæc illa Lesbia norma! hæc præclara iſta regula, quæ omnibus ſeſe applicat, omnibus ſeſe accommodat, quæ ſine detrimento eſt omnium. Itanè nobilium opes & facultates cum plebejorum ſanguine conferuntur? Itanè dignitati atque exiſtimationi parcendum? ut homicidia, cædes, ſcelera, ſtupra nobilium tanti non ſint, omnia habenda, ut pœnam capitalem mereantur. Pudeat auctores egregiæ hujus proportionis, pudeat collationis inſtitutæ. Quaſi verò ulla civilis dignitas, ullus honor tanti ſit, ut cum unius etiam miſerrimi hominis innocentis vita adæquari poſſit: quaſi tanti ulla civilia munera ſint, tanti illius opes & fortunæ, ut vel injuriam atrociorem, nedum naturalis capitis periculum ſuperare poſſint. Quæ verò invitamenta majora eſſe poſſunt ad omnem proterviam ac libidinem, quàm ſi delicta potentiorum pecuniariis pœnis alantur? Cui non antiquum exemplum illius Neratii cognitum eſt? is cùm pro delectamento haberet, liberorum hominum ora depalmare, ut pœnam decem viralem quæ vigintiquinq; aſſibus injuriam illatam

volebat compenſatam, deluderet; crumenam aſsibus refertam, quocunque ſe conferret, comitem habeat. Figmenta autem illa imprudentiæ humanæ ſunt: tantum nobilis viri in facultatum, in exiſtimationis & famæ jactura detrimentum eſſe, quantum vilioris hominis in capite & ſanguine. Peſtem, ô peſtem ipſius naturæ, & interitum Reipubl. certiſsimum! Quid enim? naturam putabis in hac tua proportione conquieſcere? quæ cùm offenſa & læſa ſit, non civilem rationem, ſed naturalem repoſcit? vita & ſanguis effuſus eſt; ſanguis viciſsim fundatur. Atque hoc illud eſt, quod ipſe naturæ parens cælitus enunciavit: Nemeſis divina proclamavit: æterna juſtitia voce ſüa declaravit, ut neque ullum aſylon, ulla ara, ulla loci religio vindictæ evitandæ perfugio eſſe poſſet? Quid enim ſupremus ille vindex? Ab altari meo, inquit, homicidam abripias, ut meritæ mortis ſupplicium luat. At merita tua in remp. aliud flagitabant. Merita quid appellas? quæ enim merita in remp. ab homine ullo proficiſci poſſunt, quæ non jam ante longè majora debeantur? Eſſe fruſtrà te tantis honoribus ac dignitatibus, tantis favoribus exornatum putabas? Nobilem natura eo modo, quo nobilem genere, opibus, dignitate & officio intelligimus, neminem efficit. Reipublicæ hoc beneficium eſt, quæ gradus illos

illos conſtituit, ac ornamenta illa proponit, familiis præmia tanta largitur, út qui hoc merito ejus digni redditi ſint, omnibus partibus digniorem etiam ipſam & ampliorem reddát. Quare majorem in reprehenſionem incurrunt, ac majori odio & pœna digni habentur, qui cùm prodeſſe reipub. debuerint, illi obeſſe maluerint, qui cùm amplitudinem illius virtute ſua ſervare debuerint, eam vitiis ſuis contaminaverint, qui cùm civitatem illuſtrare debuerint, tenebras & fœdores flagitiis ſuis in eam intulerint. Majores itaque tuos cave producas, ne omnium illorum execrationibus & acerbiſsimis objurgationibus ad inferos uſque detrudaris; Quo enim ore, qua fronte has illorum compellentiones graviſsimas ſuſtinebis? Quid nepotum perditiſsime, nos majores tuos compellas? quid ſcuta & imagines noſtras tuis criminibus prætendis? Non agnoſcimus te, neq; in ſanguinis noſtri linea te toleramus: Nos omni familiæ noſtræ virtute præluximus: tu tenebris genus omne tuum obſcuraſti. à nobis nihil præſidii, nihil privilegii, nihil veniæ exſpectes, ceras & ſigna noſtra ne uſurpes, neq; nobilitatem noſtram, quam contumeliis affeciſti, tanquam clypeum improbitatis tuæ habeas: ideò te majori pœna dignũ eſſe exiſtimes, quò majores offenſæ tuæ, eò majores injuriæ, quibus non ſolùm

alios, ſed tuos etiam parentes, avos, proavosq; conſperſiſti. Hæc majorum tuorum ſententia eſt, quorum ſub patrocinio & interceſſione latitare, & contra omnem magiſtratum vim & potentiam tuum te fore confidebas. Quid verò graviſſimæ huic, quam audiſtis, vociaddam? numquid dubitem gladium educere, & controverſiam hanc tanquam Gordium nodum diſſecare? Quid enim eſt? cùm quos ſuperior oratio in aures ac in animos veſtros, auditores, quoſdam quaſi hamos & venenatos aculeos conjeciſſet, eos â me factos & cõtuſos atque repulſos eſſe ipſi videatis, quid eſt, quod præterea involvere vos & ancipites animi facere poſſit? proportionem Geometricam longè aliam eſſe intellexiſtis, quàm præcedens oratio vobis explicaverat: Lesbiam regulam plumbeam eſſe, & iniquitatis pleniſſimam perſpexiſtis: Nobilitatis nulla privilegia, nullam gratiam & favorem in delictis eſſe cognoviſtis: Nobilium flagitia eò majora haberi, quò majoris ab ordinis & dignitatis ac familiæ hominibus perpetrata, & eò majorem offenſam, majorem indignationem, majorem pœnam meriri accepiſtis: Illud Deum omnis juſtitiæ fontem & naturam ipſam confirmare; leges tum ſacras tum civiles flagitare: Reipub neceſſitatem imperare: gubernationis æquitatem poſtulare, audiviſtis:

E. Cyclopum & Barbarorum ſocietatibus, ſi ſocietates tam feræ, tam belluinæ ullæ dicendæ ſunt in æqualitatem illam pœnarum profluxiſſe: ſeditionum, tumultuum, bellorum & latrociniorum, omniumq́, flagitiorum cauſam fuiſſe animadvertiſtis: ipſam omnium bonorum & vera virtute nobilium conſcientiam in medium vobis conſtitui: exempla optimarum rerum pub. propoſui, quorum profectò veſtigiis nobis inſiſtendum, ſi rempublicam, domos, lares, penates, focos, aras, bona, fortunas, liberos & poſteritatem noſtram ſalvam & incolumen eſſe deſideramus.

ORATIO III.

Recitata à

STEVELINO BRANDEBVRGIO POMERANO.

Expedire Reip. antiquum ſervitutis jus ac poteſtatem herilem revocari.

Cum multa prudenter atque divinitus, majoribus noſtris optimis rerumpub. informatoribus inventa atq; inſtituta ſunt: tum nihil præclarius, quàm, quòd ut antiquiſſimum eſt, & ab omnibus gentibus acceptum, ac in civitatem *Romanam*, cum ipſis fundamentis & Romuli mœnibus,

introductum, longiſsimoq; tempore conſervatum, ſervitutis jus & herile imperium, poteſtatemque exercere liberorum hominum, quemque in ſuos ſervos voluerunt, vitæq; ac necis arbitrium in eoſdem permiſerunt, ut amplíſsimi & clariſsimi cives, rem ſuam familiarem, multorum ſervitiis augendo & amplificando, domeſticamque diſciplinam bené gerendo, rempub. ipſam hoc modo conſervarent. Quod ſi ullo tempore magna aliqua utilitas in hominum negotiis & uſu verſata eſt, hæç profectò tanta eſt, ut omnis reipub. dignitas, omnium liberorum hominum ſalus, vita, commoditas, foci, lares, penates, bona, fortunæ, domicilia ab hoc jure & dominio pendere videantur. Nobis itaque hodiernis reipub. temporibus, cùm pænè ſublatam & amiſſã rem tantam videramus, conſtituendum tandem eſt, auditores, utrum poſthac tanto fructu & emolumento rempub. privare, familias domosq; noſtras ſervorum miniſterio nudare, prædia & rura noſtra, ergaſtulis & operis, laboribusq; defraudare, an verò etiam libertate omnibus conceſſa, flagellis & ſcuticis remotis, ſerviles animos, contra nos ipſos juris æqualitate armare malimus. Nam ſi illa labes & ſentina reipub. ſuam illam licentiam pernitioſam, libertatemque civitati funeſtam, quam nullo jure & æquita-

te tueri poteſt, longiore conſuetudine & conniventiâ quadam, aut ſi potius negligentia dicenda eſt, noſtra defenderit, aliæ nobis familiæ aliæ domus, aliæ civitates, alia regna & imperia, alii nobis pedes & manus erunt requirenda. Sin autem antiquæ ſervitutis diſciplina recepta, jugoque veteris dominii reſumpto, ſervili cervici priores freni imponentur, eaque omnia *j*ura, quæ ab aliis occupata, ab aliis rapta ſunt, reſcindentur, erit cauſa, cur conſilium majorum in herilibus illis imperiis conſtituendis, *j*ure ac meritò laudare poſsimus. Illud autem ut omnes perſuaderi ſibi eò facilius ſinant, huc meæ orationis aciem potiſsimùm convertam, ut quàm neceſſarium reipub. ſit, quàm utile & fructuoſum, antiquum ſervitutis dominium revocari, formidinem & metum herilem priſtinum, reſtitui, ergaſtula, compedens & vincula reduci, ſcuticas ac lora reſumi, validiſsimis rationibus evincam. Nam cùm in familiis conſtituendis, quæ ſeminaria prima civitatum ſunt, ea ratio habenda ſit, ut quemadmodum dextra manus lævæ adminiculo carere non poteſt, ita nec paterfamil. omnia ea obire, ea adminiſtrare, ea expedire, & perficere ſolus, quæ ad rei familiaris augmentum, & ad conſervationem conferuntur, tum ne ſolus arare, prædiumque excolere poſsit; ipſa ſanè na-

 tura

tura rerum videtur hoc expoſcere & efflagitare maximè, ut neceſſariò ſervorum adminicula, non minùs ac jumentorum habeantur; Nec enim noſtra inſtrumenta, quemadmodùm in fabulis tripodes Vulcani leguntur, ſponte ſua, ad operas, quibus deſtinata ſunt, feruntur, non ultrò fodiùnt, ultrò vineam excolunt, vitem amputant, ultrò agrum, vertunt, ſulcum ducunt, ultrò metunt, ſed partim in hominum, partim in animantium tractatione & uſu verſantur. Unde eò expeditior in omnibus familiis rei faciendæ facultas, quò inſtructior quæque domus à ſervitiis & miniſteriis fuerit. Quod quidem optimus illi rei familiaris magiſter. Heſiodus noſter, optimè intellexiſſe videtur, cùm bono & induſtrio patrifam. non ſufficere doceat inſtrumenta utique ad rem familiarem, uſumque domeſticum & prædii curam pertinentia, magno ſtudio adornaſſe, ſtivam & vomerem procuraſſe, boves comparaſſe: Sed maximam omnium rei familiaris augendæ partem in quadragenario fortiq; & robuſto, eoq; fideli ſervo eſſe conſtitutam. Atque, ut oſtendam, quantum vel in unius hominis, patremfamil. adjuvantis, induſtria & opera ſitum ſit, ponite quæſo vobis ante oculos, C. Furii Creſini veterem agellum; Quid ibi? proventus annuos conſpicite, opum celerrima incrementa mi-

ramini

ramini: fortunas ex minimis brevi maximas factas cognoſcite: quibus compendiis, quibus rationibus, inquirite: Inquiſitum enim & quondam eſt, cùm alii meleficiis & malis artibus ubertatem eam adſcriberent, & agricolam falſò deferrent. At quid ille? ut accuſationi omnem viam præcluderet, ſuſpicionibusq; ſiniſtris collum præcideret, in forum venit, ligones, aratra, ferramentaq; ruſtica universa in medium collocavit, oculisq; omnium ſubjecit. Filiam, quam ancillaribus laboribus & operis adhibebat unicam, fortiſſimorum laterum manuumque produxit, & hæc inquit, ſi quæ ſunt veneficia, has præſtigias, hæc incantamenta mea videtis, aratrum, vomerem, buram raſtrum conſiderate, filiæ manus calloſas intuemini, humerosque oneribus incurvatos, cutemque ſole peruſtam aſpicite. Quo quidem verbo convicti ii omnes & rubore perfuſi, qui virum criminis inſimulaverant. Nec verò, minimam etiam caſulam & tuguriolum ſervili opera carere non poſſe, ignoravit noſter Virgilius; qui Similo ſuo, exigui horti cultori, moretum coquenti, farinam molenti, panem pinſenti, olera & allia legenti, Cybales ſervæ miniſterium, magno uſui fuiſſe canit. Vultis verò in majora domicilia vos deducam? Vultis ad ditiſſimum Romanorum Craſſum, oculos veſtras

convertam? Vultis vobis oſtendam Hymettias illas columnas? aurea illa laquearia? eburneos illos parietes? teſſulata illa pavimenta? periſtromata illa purpurea? tantarumque opum ſplendorem ſervilis conditionis compendio, adquiſita & coercervata eſſe? Quid enim? an non graviſsimo auctori credamus Plutarcho Chæronæo, qui Craſsi facultates initio tenues, ſervorum, quibus ille uſus eſt plurimis, opera & induſtria cumulatas atq; amplificatas eſſe, publicis monumentis ſuis teſtatum reliquit? Nec, ut in aliis vitæ benè agendæ rationibus Catonem admiramur; ita in hac parte non intueri eundem, ut optimum familiæ gubernatorem poſſumus, qui quæcunq; ex ſervili manu commoditates percipiuntur; diligentiſsimè perſecutus eſſe prædicatur. Vultis totas civitates ac oppida oſtendam? Athenas Græciæ urbem opibus & opificibus florentiſsimam luſtrate: fruſtranè ibi quadringenta millia ſervorum ſuſtentata & cenſa eſſe opinamini? niſi Attica illa prudentia, quantum in cicatricoſis humeris emolumenti poſitum eſſet, intellexiſſet.

Cùm itaque reipublicæ nihil optabilius, nihil præſtabilius eſſe poſsit, quàm ſingularum familiarum fortunas benè habere, civium opes creſcere, agrorum fertilitatem augeri prædia collocupletari, villas abundare, cenſus

ſus cumulari, reditus majores fieri: quis tàm à ſenſu communi deſtitutus, tâm rerum omnium ignarus, qui ſervorum conditionibus ſublatis, miniſteriis remotis, laboribus extinctis, operis ademptis, non animadvertat, non intelligat, reipublicæ nervos, labefieri, plurimumq; tùm dignitatis, tùm præſidii eandem amittere? Quid verò illud, quòd etiam majorum ſcitis & legibus bovem aratorem jugulare nefas habitum? quòd Cæſarum noſtrorum conſtitutionibus vitulum mactare, & agricolationis ſudori præripere vetitum? quòd aratra & vomeres contra rapinas, furta & proterviam nequitiamque omnem tam ſeveris ſanctionibus munita? niſi tum publicarum, tùm privatarum rerum conſulti, calamitatem illam, quæ impediendo rei familiaris proventum, agrorumque cultum intervertendo emergat, non ſolùm ad privatorum querelas & lachrymas pertinere, verùm etiam reipublicæ ſalutem attingere judicaſſent. Quorſum verò illa ſuperiora omnia tàm diligenter & arctè ſanctequè cuſtodiiſſe pertinebit, ſi quod primum omnium rétinuiſſe oportuit, miniſterio & ſervitio domos & agros noſtros ipſi ſpoliamus? Ideonè verò majores illi noſtri maximo labore & virtute captos, in bello ſervarunt, & quòd ſervaſſent, ſervos ſuos nominarunt, & in ſervitutis jura collocarunt,

runt, ut eſſent quos minores dimitterent? Ideonè ergaſtula, vincula & compedes illi fabricarunt, ut eſſent quæ minores ſolverent? Ideonè in reipubl. emolumentum ſervitutis fructum illi introduxerunt, ut minores eundem abolerent? Ideonè illi prædiis ſuis adſcriptitio & originarios colonos præfecerunt, atria atrienſibus commendarunt, alios qui tergerent, alios qui ungerent, qui verrerent, qui ſpargerent, laribus & penatibus focisq; reliquerunt, ut eſſent quos minores nexu liberarent? Quid verò, ſi illi ad nos redeant, ſi domos noſtras luſtrent, familias inſpiciant, agros inviſant, ſi ex nobis quærant; cur à ſuis inſtitutis ratio noſtra diſceſſerit? ubi vernæ? ubi ſervi? ubi liberti? ubi operæ? Quid, inquam, reſpondebimus? Duritiæ & improbitatis puto, eos redarguemus, quòd humanæ conditionis obliti, ſervilem fortunam tàm inclementer tamq; aſperè commune genus tractarint, tantisq; laboribus fregerint: Noſtram verò humanitatem illis in eo oſtendemus, noſtram clementiam prædicabimus, miſericordiam ob oculos ponemus, quòd miſerrimum illum mortalium ſtatum, in quem adverſitate ſortis humanæ contra naturam veniſſent, ſuſtulerimus, magnificentiam & liberalitatem commendabimus, quòd quæ omnium bonorum pretioſiſſima eſt, libertatem, non uni fa-

miliæ,

miliæ, uni provinciæ, ſed univerſo orbi reſtituerimus, reddiderimus? Audiamus autem quid illi ad hæc? An non potiùs ſtultitiam fuiſſe dicent & amentiam, eam poteſtatem, quã omnium populorum conſenſus confirmaverat, quam omnium gentium mos & conſuetudo receperat, quam omnium rerumpub. præclariſſima inſtituta approbaverant, quæq; tam commoda, tam neceſſaria erat; reſcindere, rejicere, improbare? Aut putabitis ullam humanitatis laudem in eo inveniri, in quo omnium hominum jura, omnium gentium inſtituta violata & exploſa ſint? an clementiam in eo noſtram efferemus, in quo crudeles contra nos ipſi & noſtram ipſorum familiam, & adverſus rempub. dici poſſimus? quòd rei familiari, tanquam prodigi, minus rectè & providè conſulverimus? Quid verò priſci illi & ſeveriſſimè vitæ, ac normæ cenſores, de nobis judicabunt? qui neque ſtrigoſum, neque gracilentum equum in repub. ſuâ ferebant, equitemque ob id impolitiæ & incuriæ damnabant, qui eos omnes in ærarios deferebant, & mulctis pœnisque adficiebant, quos arborem vineamq; ſuam derelictui habere agrumque minùs, quàm bonum agricolam decebat, curare animadvertiſſent? Ab illis magnifici & liberales fortaſſe nuncupabimur, quòd libertatem donando, mancipia

amittendo;

amittendo, ſervitutes remittendo, nobis ipſis nuditatem & egeſtatem attulerimus, domus noſtras exhauſerimus, opes attriverimus filios filiasq; noſtras vernis ſubſtituerimus, humerosq; ipſi noſtros oneribus fregerimus? An fruſtra Ælium, Sentium, Caninium, aliosq; ſalutarium legum conditores, tantis viribus & contentionibus manumiſſionem oppugnaſſe putabimus, libertatisq; donationes profuſiores cohibuiſſe, niſi reipub. detrimentum & interitum in largitate ejus rei verſari judicaſſent? Nos verò his omnibus naturam opponemus! Naturâ tanquam ſeptemplice aliquo clypeo, nos defendemus, cui tanquam Deo & parenti maximo multò magis parendum, quàm majorum inſtitutis & gentium erroribus indulgendum eſſe dicemus. Quid audio: Naturæ parendum? idem ego ſentio. Néc enim majus imperium, ſecundum Dei juſſum, quàm naturæ eſt. Verùm quid illa? Servitutem ſibi contrariam eſſe natura dicit, eamq; ob cauſam, tanquam putridum & infectum membrum à reipub. corpore reſecandam. Proh Deum immortalem, illudnę natura dicit? Credamnè, aut potius differam, & differendo probem, ſervitutem ab hoc ipſo fonte profluere, & in rempubl. dimanare? Nondum enim mœnia, nondum domus ac familiæ, nondum foci ac villæ ullæ conſtitutæ

erant,

erant, cùm ea lege omnia reliqua, quæ ſupra infraq́;, in hoc orbis theatro à natura compa-rata ac ordinata eſſent, ut ſuperioribus inferiora quæq́; ſubjacerent, illisque obedirent. Nonne quæ cœlo, quæ terra, quæque mari continentur animalia omnia, ut mortalibus inſervirent, frenaque ac jugum hominum tolerarent ante ipſos homines in hanc lucis uſuram producta à natura ſunt? Interroga magna illa diei ac noctis lumina, ſolem ac lunam, deniq́; omnia ſidera, cur luceant, cur cœlum obeant, tenebrasque à luce ſeparent? Ideò illa omnia condita eſſe intelliges, & à natura eò collocata, ut imperio accepto ſatisfacerent, & mortalibus lucem præbendo inſervirent. *S*ed quid ad illa, quæ foris conſtituta ſunt, me confero? oculos noſtros in noſmet ipſi defigamus. Nullumnè imperium ac dominium, nullam ſervitutem in natura noſtra deprehendimus? Quid illa, quam circumferimus, corporea moles, quid omnia illa, quæ in hac compage inter ſe devincta ſunt ordine membra ac articuli? quid internus appetitus & æſtuans in nobis bilis? an non, ut animo obedirent, ac rationis imperio clavoq́; gubernarentur, à natura ita diſpoſita & conglutinata eſſe videmus? Aut quis omnium noſtrum tàm ignarus ſui, aut tàm ingratus erga opificem ſuum, ut Dei imperio ſe obnoxium & ſervi-

tuti à natura ſubjectum ſe eſſe inficietur? Abi nunc verò, & dic te non intellexiſſe, quæ ſervitutis origo, quæ natura fuerit. Quòd tamen vel ex eo cognoſcere non obſcurè potuiſſes, cùm fieri nullo modo poſſit, ut, ſi quid naturæ repugnet, tanta omnium populorum approbatione & ſuffragio, tanto omnium regnorum & civitatum applauſu, omnium tot ſapientiſſimorum legumlatorum, totq; virtute uſuq; rerum gerendarum clariſſimorum virorum conſenſione ſuſceptum, retentum confirmatum atque defenſum fuerit. Neque enim Græci, ſapientia & prudentia celeberrimi, eam in ſuis civitatibus tuliſſent. Non Lycurgus Eunomi regis Lacedæmoniorum frater, qui Spartam à regis morte ſalutaribus legibus erudivit, eam approbaſſet. Non *Solon*, qui inter ſeptem Græciæ ſapientes meritò numeratur, legibus ſuis, quas Athenienſibus dedit, eam confirmaſſet. Ac neq, Numæ Pompilii religioſa conſcientia eam toleraſſet: neq; profectò tot ſtrenui & magnanimi Romani fructum ejus uſurpaſſent. *Sed* neq;, quod omnium maximum eſt, ipſe Deus optimus legiſlator in hæreditaria ſua civitate, Moſaicaque diſciplina ſubulá, aurisq; perforatæ conditionem inſtituiſſet, aut ſervitutem ipſe confirmaſſet, ſi quid, quod naturæ repugnet, in ea contineretur. *Si* enim ipſam, ut in ſe eſt, perpen-

perpendere & conſiderare velimus, numquid aut rationi, aut humanitati, aut naturæ tam conſentaneum eſſe poteſt, quàm ab iis, quos juſto bello ceperis, ſervaris domum tuã duxeris, veſtieris, ſuſtentaveris, foveris, obſequium & operas exigere? aut ſi tam ingrati ſint, ut beneficii tanti magnitudinem non reſpiciant, non cogitent, ad officia debita eoſdem minis & flagellis, fuſtibusque compellere? An verò æquius erat ac naturæ noſtræ convenientius, bello captos crudeliter trucidare, & cùm illorum robora & artificia in familiaris rei emolumenta & reipub. fructus converti poſſent, humano uſui ea eripere & extinguere. Non certè quiſquam veſtrum hoc exiſtimabit. Quid verò? numquid hoc natura ſibi adverſum eſſe dicet, ut, qui ſe ipſi regere & gubernare non poſſint, qui pravis adfectibus obſcurati, imperium naturæ rationiſque excuſſerint, leges tranſilierint, deliquerint, ergaſtulis & compedibus vinciantur? piſtrino includantur, ad opera publica damnentur, in metallum mittantur, remis alligentur? An verò illud naturæ contrarium aſſeremus, ſi ſtultus ſapienti, ſi nequior meliori, ſi imbecillior fortiori ſerviat. An non ipſa natura alios ad obediendum & miniſtrandum, alios ad imperandum finxiſſe videtur, ut, quod de Hierone adoleſcentulo Syracuſani dixerunt,

nihil illi deeſſe ad imperandum & regnandum præter regnum, idem de quamplurimis aliis, qui heroico, & ad dominandum nato ingenio præditi ſunt, dici poſſit: Aut quod de Perſeo rege, natum eſſe hominem natura ſervili & abjecto animo, idem de aliis etiamnum prædicetur. Quis hac ratione commotos Maryandinos, olim ad Thracium Boſphorum ſitos, non audivit Heracleotis ultrò ſe in ſervitutem obtuliſſe, cùm ſe & naturâ ab illis & ingenii vigore, mentisque acie & virtutis præſtantia ſuperari intelligerent, nihilq; tam naturale eſſe, quàm præſtantioribus ſervire inferiores. Quid igitur de nobis judicamus, quid ſentimus, quo numero, quo precio nos habemus? itàne omnem præclarioris naturæ opinionem de nobis abjecimus? ita omni exiſtimatione & dignitate nos exuimus, ita noſtræ excellentiæ diffidimus, ut inferiorem populum nobis eſſe nullum exiſtimemus, cujus ſervitiis & miniſteriis digni haberi poſſimus? ita viles nobis ipſis ſumus, ut inter nos & miniſtros noſtros nihil intereſſe velimus. *Sed* cur non potius rempublicam ipſam introduco, ut quantis commoditatibus, ſervitutis *jure* ſublato, civitas privata ſit, ipſa exponat. Quid, inquit, vobis cives mei in mentem venit, quòd libertatis ſervitutis diſcrimine penitùs ſublato, domos & familias, focos & fortunas ve-

ſtras miniſteriis & ſervitiis orbaveritis, prædia & agros incultos reliqueritis, vobis ipſis jugum laboremq; impoſueritis, à majorum veſtrorum inſtitutis optimis, omniumq; gentium moribus diſceſſeritis? quid egeritis ipſi contra vos, & mihi quantum incommodi attuleritis, non animadvertitis? colluviem hominum perditiſſimorum, qui cùm antea nec verbis nec verberibus, ac fuſtuariis; nunc verò nullis legibus, nullis diſciplinis corrigi poſſunt, in me unam conjeciſtis: egeſtate ac mendicitate omnes partes meas impleviſtis: otioſorum hominum multitudine me obruiſtis: tot Xenodochia, tot Brephotrophia, tot Gerontocomia, tot Noſocomia, quæ antea ferè ignota, emiſſis inanium nudorumq; ſervorum manipulis ædificare me cœgiſtis, ergaſtula & carceres veſtros plenos ſcelerum & audaciæ, in me effudiſtis, nova latrociniorum ſeminaria in latebras, in lucos, & in omnes regiones emiſiſtis, maria omnium pyratis infeſta reddidiſtis, ſecuribus & faſcibus meis Lernam malorum objeciſtis, caſtra mea deſperatorum hominum cohortibus plena contaminaſtis, ordines & dignitates omnes ſervilis ſanguinis commiſtione confudiſtis, oppida enervaſtis, familias corrupiſtis, omnium nationum laudes & virtutes imminuiſtis. An clariorem, commilitones opt. ullam, quàm hæc ipſius

reipub. eſt, vocem expectamus? Non autem illa excitamur? Nunc illicò ad antiqua jura noſtra convolamus? An verò idem quod olim Scythis eveniſſe dicitur, qui à ſervili manu, liminibus, tectis, aris focisq; expulſi ſunt, nobis accidere malimus, ut ſparis, ligonibus & ſudibus agreſtum, quod jam toties ab illis attentatum eſt, obruamur, ut agris & villis noſtris deturbemur, ut mœnibus extrudamur, ac hujus vitæ poſſeſſione depellamur. Nec enim ſperandum eſt, niſi flagella & fuſtes noſtros antiquo terrore armaverimus, herileq; imperium & ſervitutem in familias domosq; noſtras reduxerimus, ullam noſtræ vitæ partem in tranquillitate & pace diutius conſtitui poſſe; plenæ omnium domus ſunt miniſtrorum inobedientia, plenæ faſtu & ſuperbia. Quàm pauci qui dominos ſuos non contemnant, prodant, deferant, conviciis & contumeliis adficiant? Matribusfam. noſtris, perpetuæ cùm ancillis ſunt rixæ, jurgia, contentiones, prælia domeſtica: mandata & juſſa negliguntur, opificia nulla curantur, victus & amictus ſumptu inani conſumuntur. O animi longiſſimè falſos optimos illos Imperatores, qui primum pileum, nullam ob aliam cauſam tam benignè propoſuerunt, & libertatis januam tam clementer aperuerunt, ſcuticasq; à miniſtrorum tergis removerunt, quàm ut tanto beneficio

meliores & fideliores homines futuros exiſtimarent. O deplorandam & intempeſtivam clementiam, qua abuſi magis, quàm uſi illi ſunt. Quis non circumſpectiores in hac re fuiſſe Polonos & Livones, & ferè omnem illum Septentrionis populum judicabit, qui, ut guſtum quendam libertatis, umbramq; ſuis ſervis conceſſerunt, fuſtes tamen & flagella correctionemq; graviorem atq; terrorem in medio veſtibulo ſuo reſervarunt. Quis igitur prudentiſſimum Luſitanorum exemplum non nobis etiam imitandum cenſebit, qui multis ſeculis ſervitia intermiſſa, & oblivione ferè ſopita, primi in Europa reſuſcitarunt, quod nunquam quidem feciſſent, niſi graviſſimis tum privatæ, tum publicæ utilitatis rationibus fuiſſent incitati. Hic enim eſt ad illam priſtinam imperii felicitatem, hic ad majorum noſtrorum prudentiſſima inſtituta, hic ad mores conſuetudinesq; omnium gentium reditus: Hæc reſtitutio in rebus familiaribus, in agris & prædiis, in villis, in domo, in ſedibus, in focis, in penatibus amplificandis, exornandis, tuendis: Hæc conſervatio in ordinibus dignitatibus, inſignibus & decoribus, ad poſteritatē transferendis: Hæc munitio ad ſcelerum & latrociniorū omnisq, nequitiæ frenos inhibendos, ad provincias deniq; urbesq; omnes æterna tranquillitate donandas.

ORATIO IV.

Recitata à

M. NICOLAO HELDIO.

Servitutis & dominii antiqui iure Rep. exterminandum eſſe, nec revocandam.

TAndem aliquandó, Romani Imperii Cives, commilitores ſuaviſſimi, ſervitutem, furentem tyrannide, ſævitiam inhumanam ſpirantem vincula, compedes, ergaſtula, calamitatémq́, extremam minitantem, peſtem reipubl. nefarie molientem, mortemq́; ipſam anhelantem, imperio noſtro vel ejecimus, vel ipſam ſenſim egregientem urbibus noſtris, libertatis comitatu proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Nulla *jam* pernities à monſtro illo, atq́; prodigio mœnibus noſtris intra mœnia comparabitur. Non enim jam inter latera noſtra, libertatis inimica, & capitalis hoſtis, verſabitur: non illas ſerviles inſidias in campo, non in agro, non in foro, non deniq́; intra domeſticos parietes noſtros pertimeſcemus. Quare tam egregia perfecta,

perfecta, omnes civitates, omnes vici, omnes domus, foci, lares, penates, bona, fortunæ, domicilia, agri, villæ, prædia. lætari mihi, tanquam maxima aliqua victoria & trophæo erecto videntur, quòd peſtem illam evomuerint, foraſq; projecerint. At ſi quis eſt noſtrum talis, commilitiones, qualem eſſe non oportet, qui in hoc ipſo, in quo exultat & triumphat oratio noſtra, mihi vehementer adverſetur; contendatq;, potius omnibus viribus reducendam, retrahendam, & in Rempub. remittendam, quàm ex eadem ejiciendam & profligandam eſſe ſervitutem, illum hac mea oratione ita conſtitui conſtringere, argumentiſq; certiſſimis convincere, ut nihil pernicioſus, nihil peſtilentius in Republ. ullo tempore fuiſſe, quàm Lernam illam malitioſam labemq; familiarum, fateri ipſi cogatur, deſinatq; tandem, oculos & animos noſtros, ad antiquam iſtam ſervitiorum colluviem reducendam, retorquere.

Nec enim ullo modo ferendæ ille voces ſunt, quas volitare in foro, in circis, in conciliabulis, in curiis, in aulis, in conſiliis hodiernis paſsim animadvertimus, quibus principum & equitum nobilium, dominorum, civiumq; locupletum ſenſus occupare, menteſq; eò adducere conantur, ut herilis imperii ſibi è manibus extortam ſeveritatem repoſcant,

 ſcuticas,

ſcuticas, fuſtes, flagella ac lora iterum ap-
prehendat, terrores ſerviles reducant, ſti-
gmata & literas referant, majorumque con-
ſuetudinem ac morem in familiis conſtitu-
endis, regendis, coercendis, requirant. Non
eſſe jam amplius lenitati locum, clamitant,
ſeveritatem rem ipſam flagitare, rempubli-
cam laborare, rem familiarem interire, opi-
ficia omnia extingui. Næ, illi vehementer er-
rant, ſi hanc ſuam ſententiam, id quod verbo-
rum contentione præ ſe ferunt, propugnatam
& perſuaſam omnibus eſſe cupiant. Quid e-
nim mali aut ſceleris fingi aut excogitari po-
teſt, quod ſervitus Reipubl. non attulerit?
Quis toto imperio veneficus, quis ſacrilegus,
quis latro, quis ſicarius, quis patricida, quis
prædo fuit, quis teſtamentorum ſubjector,
quis circumſcriptor, quis leno, quis ganeo,
quis nepos, quis helluator, quis prodigus, quis
corruptus, quis corruptor juventutis, quis
ſcortator, quis adulter, quis inceſtuoſus quis
perditus inventus unquam fuit, qui non aut
ipſe ſervus, aut ſe cum ſervis familiariſſimè
vixiſſe, illorum operam & malitiam adhibu-
iſſe, aut qui ſibi facem ad omnem nequitiam
ſervos pertuliſſe non confeſſus ſit. Quæ ve-
rò cædes à ſervis, vetuſtis illis ſervitutis tem-
poribus, factæ ſunt? plenæ exemplorum tri-
ſtium omnes familiæ, omnes domus, agri &
villæ.

villæ. Quót præclariſſimi viri in urbe olim miſerrimé trucidati, in lectulis, in conclavibus, in intimis ædium ſuarum penetralibus, ad focos, ad aras, in ipſis Larariis, in ſeceſſibus? Etſi enim ſeveriſſimæ pœnæ terrore hoc ſcelus teneretur, ut quicunq; ſub iiſdem tectis fuiſſent, in quibus herilis cædes eſſet perpetrata, ad unum omnes extremo ſupplicio ſervi mactarentur, non tamen deterreri audacia effrenata ita potuit, quin plurimi mancipiorum ſuorum ferro interirent. Quid proditiones enumerem, quibus innocentium dominorum capita petebantur? Quis ſine horrore, & maxima exſecratione in Syllana proſcriptione, ſervilia illa ſcelera legere, quis audire poteſt? Cervices abſciſſas, & ſanguine madentia capita dominorum ad tyrannum ſervi deferebant, & quod omnium maximè horrendum & nefarium eſt, ſceleris atrocitate libertatis pretium quærebant. Hæc illa præclara commoda, hi fructus, quos reſpublica ex ſervili manu percepit: hæc illa felicitas, quam familiæ, domus, lares, penates, foci, fortunæ, domicilia, ex ſervorum diſciplina conſequebantur. *S*ed nondum omnia expoſui. Audite quæſo reliqua longè majora. Quod unquam incendium inteſtinum, quæ ſeditio, quæ turba, quæ arma domeſtica mota; quæ ſica in civilem ſanguinem deſtricta, quæ

contentiones excitatæ, in quibus non ſervi & mancipia rerumpub. funeſta fuerint? An Syllanæ tempeſtatis calamitatem eò uſq; ſe attollere, tantamq; ſævitiam trahere potuiſſe arbitramini, niſi ſerviles audaciæ & ſceleratæ nequitiæ nimbus eodem effuſus, crudelitatem nefandam aluiſſet, atq; majore immanitate muniſſet? Cui conjurationes ſerviles toties factæ non auditæ? cui rabies illarum incognita? cui Spartaci nomen non horribile? cui clades illæ Romanorum, tribus exercitibus fuſis non dolenda? cui 60000. ſervorum arma contra remp. gerentium, non abominanda? Quis Craſſi pericula, quis bella contra Lernam ſervorum, adverſus remp. frementium, neſcit? Quis Pyraticos labores Pompeji ignorat? Quem verò Cinnæ nefaria arma fugiunt? Quis copias illas ſerviles non comperit? quis mancipiorum furorem non exhorruit? O miſerrimam rempub. quæ tantum ſceleris videre, tantum mali perpeti, tantum dominatum, tantam tyrannidem ab ergaſtulis & carceribus tuis ſuſtinere coacta es! Ideòne ſervos te ſervaſſe, ut eſſent qui te perderent: ideò illos domum recepiſſe, ut eſſent qui te pellerent: ideò illos veſtiviſſe, ut eſſent qui te exuerent: ideò illos paviſſe, ut eſſent qui te conficerent? Ne verò quiſquam ſolummodò ea fato Romanæ civitatis imputet, quid aliis
etiam

etiam acciderit regnis & imperiis cognoſcite. In Sicilia exarſiſſe quantas ſeditiones traditum eſt? quoties in immanem furorem ſervorum erupit conſpiratio? Euni exercitum & prælia cum *Siculis* dominis, quis non ex veteribus annalibus percepit? Quoties heri in fugam conjecti, & à Collycytiis cæſi? Atticam regionem reſpicite: quibus populationibus illa vaſtata, prædia dejecta, villas & exuſtas, arces ſuperatas, Sunium promontorium ſervili manu occupatum eſſe intelligitis? Nec Lacedæmones non anxios & Hilotarum metu turbatos invenietis, qui non prius ſibi noctes & ſomnos ſuos ſecuros tutosq́; à flammis & ferro futuros putarunt, quàm ſi domos agrosq́; ſuos hac labe liberaſſent, ſervosq́; una nocte omnes, qui armis ferendis idonei erant, extra urbem emiſſos, conducto ad hanc rem trium millium exercitu, extinxiſſent? Quid in Sythico imperio acciderit nemini incompertum eſſe judico, cùm heriles poſſeſsiones ſervi invaſiſſent, herilia tecta occupaſſent, cubilia ipſa, proh turpitudinem inauditam! temeraſſent, heriles uxores rapuiſſent, armisq́; nefariis ſumptis, obtruncatum crudeliter dominos, à quibus ſpiritum habebant, in aciem prodiiſſent. Oſcelus, ô peſtem reipub. nefandam, ſervitutem! tu ipſis belluis immaniores homines efficis: tu omnem beneficiorum me-

moriam

moriam mortalium animis ejicis; tu omnium ſcelerum audaciam accendis. Quid enim tam ſanctum, tam religioſum, tamque divinis & humanibus legibus munitum, quod compedes, quod ergaſtula, quod vincula & anguſtiæ ſerviles violare non ſuadeant. Nequeo igitur ſatis admirari illorum imprudentiam, qui rempub. ullam tranquillam & beatam futuram, veteris ſervitutis jugo in civitatem revocato, exiſtimant, cùm neque tectum ullum, neque domunculam ullam liberam metu eſſe hæc flamma ſinat. Quid enim aliud nobis antiquæ illæ ſubterraneæ cavernæ? quid effoſſa & in profundas tenebras dimiſſa antra? quid repagulis & obicibus ſerisq; validiſſimis undiquaq; munitiſſimæ caveæ? quid aliud nocturni illi carceres & latomiæ, quibus ſervorum manipuli includebantur, ſignificabant, quàm formidinem & timorem periculi, quod intentari ſibi dormientibus domini à mancipiis poſſe non ignorabant, cùm tot incendia, tot cœdes excitaſſe ſervilem nequitiam comperiſſent. totq; exempla confirmaſſent, illud, quod ex triviis audierât: tot eſſe domi hoſtes, quot ſervos. Quod quidem nemini mirum videri debuit, qui libertatis recuperandæ gratiâ extrema quæq; tentari, ipſa natura magiſtra didiciſſet, eamq; ſervitutis eſſe conditionem, ut nemo facile tam fracti & abjecti animi inveni-

veniatur, qui non decies malit ſanguinem ac vitam profundere, quàm in ſervitutis ſqualore miſerrimum omnium ſpiritum trahere? Quid enim luctuoſius, quid atrocius, quid miſerabilius fingi aut excogitari poteſt? aut quid magnæ illi omnium noſtrûm parenti naturæ, quæ una eademque in libertate generari, & ex eodem fonte profluere genus mortalium univerſum voluit, magis contrariū eſt, quàm alterum in alterius bona, fortunas vitamque, tanta inhumanitate ſævire, ut alii ſervos ſuos ſpectaculi gratiâ beſtiis objecerint, alii ad piſcinas ſuas ob vitrum fractum à murenis conficiendos damnaverint, alii ut ſuis Cynædis (rem omnium turpiſſimam!) gratificarentur, ludicri ergò medios diſſecuerint, alii voluptatis capiendæ gratiâ gladiatoriis lanienis jugulandos agminatim exhibuerint, alii in conviviis mactandos præbuerint, alii loris & flagellis laceratos, aut fidiculis equuleisque cruciatos è vita lentè ejecerint? Nihil autem hic leges Petroniæ, nihil Corneliæ, nihil tot ſtatuæ, tot aræ, tot aſyla; nihil tot deorum delubra miſeriam ſervorum tueri aut ſublevare poterant? O inane perfugium! vim omnem religionis inanem! inanes legum & conſtitutionum minas! Cæſi in conſpectu deorū, ad aras, ad ſtatuas: ſanguine conſperſæ imagines; fœdata altaria. Non hîc illi

inſa-

inſaniant, non conjurent, conſpirent, non flammas & faces jactent, non lares, non focos incendant, evertant, eruant, & à ſtirpe omnia evellant, ſecumq; remp. iſtam, in quã tantæ cruces, peſtes, mortes, in extremum exitium, qua fieri modò ratione illud poſsit, præcipitent? Et quid factum horum ſæpius non eſt? Horreo exempla nefanda in memoriam revocare, & oſtendere, quibus ſcelerib. novis ac inuſitatis ſævitiam poteſtatis herilis audacia ſervilis ultra ſit. Nec verò orationi dies ſufficeret, ſi quæ propemodum infinita eſt, illarum rerum commemorationem ſuſcipere velim. Vetera igitur prætereo, & unum duntaxat ſuperioris ſeculi, ne quis fortaſſe ſervitutis malitiam antiquitate defeciſſe, ne quis elanguiſſe eam exiſtimet, exemplum proferam. Quid enim doctiſsimus & vir clariſsimus in regno Siciliæ, Pontanus, ſuo ævo contigiſſe ſcribit; Servum ſuum cùm quidam inclementius habuiſſet, eò furoris & inſaniæ ultor ſævitiæ herilis compulſus eſt, ut omnium, quod uſpiam terrarum auditum, ſcelus immaniſsimum, & quo nihil atrocius ab omni annorum curriculo, ſolem vidiſſe credibile eſt, animo conceperit, conceptum prima occaſione arrepta, peregerit. Herus quam primum domo egreſſus erat, oſtiis undiquaq; concluſis uxorem domini primo bipedum

ſcele-

ſceleſtiſſimus aggreditur, contumelioſeq́; affectam vinculis conſtringit, tres ejus liberos comprehendit, & in ſolarium altiſſimum trahit. Dominum ut vidit redeuntem, filiorum natu maximum ex loco illo præcipitem, mox itidem alterum dedit. Infelix pater ſceleris horrore obſtupefactus, precibus & lacrymis monſtrum orare, ac modis omnibus ſupplex factus placare conatur, ut minimum natu morti eripiat. Inſtat ſcelus, & ſalutem pueri ea lege paciſcitur, ut ſi ſalvum pater velit filiolum, nares ſibi ipſe præcidat; quo facto, cùm tanta clade ad contumelia dominum vindicaſſet, tertium eodem loco dejecit, ac poſtremo omnium ſe ipſe præcipite cauſa pœnæ herili, vitæq́; eripuit. Obſtupeſcitis, auditores, quantum video, obſtupeſcitis tantæ immanitatis auditione, magnitudinemq́; flagitii exhorreſcitis. Jam tandem, incipitis mecum omnem ſervitutis memoriam execrari, & beatam felicemq́; rempubl. prædicare, quæ tam horrendæ belluæ metu liberata ſit: incipitis majorum noſtrorum inſtituta improbare, qui tantam peſtem labemq́; in mœnia ſua domumq́; primò receperint: incipitis optimos illos reipubl. principes & patriæ parentes ſummis laudibus extollere, qui monſtrum illud finibus Imperii primò abegerint, & quàm longiſſimè arcuerint. O noſtras familias beatas

ô civitatem fortunatam, ô præclariſſimum fructum ſervitutis abrogatæ! Nulla eſt in urbibus noſtris natio, quam pertimeſcamus, nulla manus, quæ contra dominos ſuos inſurgat: omnia interna ſunt pacata: domeſticos terror remotus: nullæ intus inſidiæ: intus incluſa nulla pericula: nulla, quibus cum certandum nobis ſit, amentia, nulla ſcelera intus. Ubi verò nunc prudentes illi, ut videri volunt, rerum civilium informatores, prodeant & quorſum conſilia ſua reducendæ ſervitutis ſpectent, quid boni apportent, nobis oſtendant. Ideone ſervitutem revocas, ut libertatem omnem noſtram expellas? Quamdiu putas has imperii auguſtiſſimi reliquias permãſuras, ſi nulla civitas, ſi nulla domus, ſi nulla villa, nullum prædium ſit, quod cum ſervos alatnon etiam hoſtes infenſiſſimos habeat? Unumné interjici annum poſſe exiſtimas, quò minus externis Mahameticæ tyrannidis armis, cum interra & domeſtica hac flamma cõjunctis, , in ſervitutem ipſi trahamur? cùm ne nunc quidem ſatis muniri eſſe poſſimus, adverſus internas Judaicæ multitudinis molitiones, quam tamen ſine ergaſtulis, ſine ſcuticis, ſine oneribus intra mœnia & inter latera noſtra verſari, liberrimè permittimꝰ. Quas enim illa Lerna proditiones quas inſidias nõ acceptat? quæ conſilia noſtra hoſti nõ aperit?

quas

quas technas oppugnandis nobis non clanculum ſuppeditat? Quid verò facturos illos, quid machinaturos putabimus, quando gemitus & ſuſpiria ſervitutis ſibi propoſita viderent? At agri, inquis ſordeſcunt: familiarium rerum diſpendia augeſcunt: opificiorum ſeminaria ſqualeſcunt. Quaſi verò ſervitia ſine ſervitute eſſe nulla poſsint. Operarios ale, colonos adhibe, miniſtris, coquis, ſartoribus, ſutoribus, cerronibus utere, libertatem non adime, flagella & ſcuticas amove, ergaſtulis abſtine, conductos mercedes attrahe: Liberos tuos laboribus admove, ipſe manū ſtudiis honeſtis adjice, ipſe aratrum tene, & nihil agricultura dignius libero homine eſſe ipſe, tuo exemplo docet veteres Conſules imitare, cum *Serrano* ſere, cum Cyro rege hortum cole, arbores in quicuncem dirige, cum *Rege Maſſaniſſa* pecuariis rebus ſtude. Jam puto, ceſſabis ſervilem operam accerſere, ſacertosq; flagellis excitandos requirere, ubi liberis manibus terram ipſam gaudere, majoremq; fertilitatem ejuſdem ſubſequi, coactisq; ſtudiis liberorum hominum operam feliciorem majoremq; eſſe deprehendes. Ex hac enim parte induſtriam, illinc corporem: hinc vigilantiam, illinc ſomnolentiam: hinc alacritatem, illinc oſcitantiam: hinc ſedulitatem illinc negligentiam, hinc fiduciam, illinc

metum: hinc favorem, illinc odium: hinc benedictionem, illinc maledictionem: hinc honeſtatem, illinc turpitudinem: hinc fidem, illinc fraudationem: hinc continentiam, illinc libidinem: hinc deniq; æquitatem, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, virtutes omnes cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus certare videbis. Poſtremò copias cum egeſtate, bonam rationem cum perdita, mentem ſanam cum amentia, bonam deniq; ſpem cum omnium rerum deſperatione confligere cernes. In hujusmodi certamine ac prælio liberæ ac ſerviiis conditionis, quis tam ſuarum rerum indiligens, aut adeò demens, ut ſervorum vitioſiſſimorum, quàm liberorum hominum ſuis facultatibus adhibere miniſterium malit? An verò ideò ſervitutis revocandæ cupidus es, ut gregem ſceleſtiſſimorum latronum in comitatu tuo circumferas, veterumq; Quiritum nonnullorum ſtultitiam imiteris, qui ſe notarum. & ſtigmatum cicatricibus deformium mancipiorum ingenti ſatellitio honeſtari, aut ſuam vitam illorum perfidia, qui quotidie fugam & ſervitutis liberationem, verberumq; ultionem meditarentur, muniri poſſe cenſebant. Non autem arbitror quenquam noſtrûm tàm honeſtatis immemorem, tàm famæ & vitæ ſuæ prodigum unquam fore, ut mancipi-

um,

ûm, quàm liberum hominem, lateri ſuo adhærere malit. Nec enim inter multa millia unum Antii Reſtionis ſervum inveniemus, qui domini caput ab inſidiis occultet, muniat, defendat: aut qui pro Menio ſuo rurſus jugulum præbeat, aut qui pro Appio ſuo occumbat. Rariſſima hæc inter ſerviles manipulos, reperiemus meliora pectora. Defectionum, traditionum, proditionum, plenæ omnes ſervorum hiſtoriæ: A Catulo & Mario ad Cinnam tota agmina perfidè tranſeunt: aureum noſtrum illud eloquentiæ lumen, libertus Philocras prodit; Pedanium illuſtrem urbis præfectum quadringentorum ſervorum, ſub iiſdem tectis verſantium, manus miſerè trucidari permittit. Falluntur præterea, falluntur, qui ſylvas, lucos, vepresq; & nemora noſtra, regionumq; anfractus & latebras, totasq; provincias, à latrociniis, à furtis à rapinis, à ſceleribus ſecuriores fore aſſerant, ſi egeni & nudi deſertiq; homines, quiq; nullis manuum exercitiis artibusq; dediti, otiosè hinc inde vagantur, palantur, prædantur, in ergaſtula, in piſtrina, in compedes ſerviles trahantur, ſi ſcuticis & flagellorum ictibus ſubjiciantur, ſi vitæ ac necis poteſtate frenentur, coërceantur. Quos cum neq; publicæ ſeveritatis rigor, neq; faſces & aculeatæ virgæ, neq; ſecures, neq; gladii, rotæ, funes, carnificeisq; truculen-

tia deterrere & in officio retinere valeant, non video, quomodo heriles minæ, heriles pugni & fuſtes, herilisque diſciplinæ formido, munire & cohibere ſervilis malitiæ curſum poſſint? Quæ cùm ita ſint Rom. imp. cives, ſi noſtra tecta, noſtros lares, ſi penates, ſi focos, bona, fortunas, ſi remp. deniq; ipſam ſalvam & incolumem diu ſtare expetimus; ſi vitam noſtram ſine tumultu, ſine conſpirationibus ſine moleſtiis, ſine bellis & armis traducere optamus: ſi exſtirpatam omnium ſcelerum, ſi libidinum, ſi corruptionum, ſi omnium vitiorum radicem. malorumq; omnium colluviem ſentinamq; ex noſtræ civitatis gremio, ſi ex rei familiaris ſinu exhauſtam cupimus, ſi Chriſtianam civitatem ad hæreditatis divinæ imaginem inſtituere, ſi laudatiſsimorum parentum noſtrorum inſtituta retinere, & optimorum principum ſanctiones venerari ſtudemus, ſervitutem tanquam omnis pacis & tranquillitatis hoſtem, exculare à nobis ad æternitatem uſq; omnem jubeamus, libertatis dulciſsimum & omnium pretioſiſsimum munus in familiis noſtris conſervemus, tueamur, defendamus, barbaris, & melioris diſciplinæ rudibus populis, flagelli atq; ſcuticæ terrorum, ergaſtulorumq; horrorem, fidiculas, compedes, cruces, beſtiasq; ipſis beſtiis relinquamus.

ORATIO. V.

Recitata à

GEORGIO Haunſchildt/ de Fürſtenfeldt/Moravo.

Peregrinandum eſſe adoleſcentibus ac omnibus qui eruditionis & rerum gerendarum, tum domi, tum foris laudem conſectantur.

SI quis antea veſtrûm, auditores nobiliſſ. mirabatur quid eſſet, quod tum priſcis, tum verò maximè noſtris temporibus, tam multi, nobiliſſima & præſtantiſſima indole ac ingenio adoleſcentes inveniantur, qui cùm domi ſuæ, in ſinu parentum chariſſimorum, in rei familiaris abundantia, in omni lautitiarum copia, in ſummis delitiis, in amicorum & propinquorum amplexu, in patriæ dulciſſimæ charitate, in laris ſui felicitate, tranquillam, & omnium jucundiſſimam, placidiſſimamque vivere vitam poſſint, neglectis tamen iis omnibus, & ſuaviſsima liminis paterni conſuetudine poſthabita, ultrò quoddam quaſi in exilium è regionibus patriis abire, forti atq; magno

animo, externi cœli tempeſtatibus,fortunæq; procellis ſeſe objicere, tot tantasq; moleſtias labores, ac tædia, tot calamitates, tot caſus atque ærumnas, tot pericula peregrinationum, ultimo cum vitæ & ſalutis ſuæ diſcrimine ſubire ſuſcipereq; geſtiant; Ex hoc tempore mirari ut deſinat, hac meâ oratione, quæ de incredibili peregrinationis utilitate, & admirabili ejus ſuavitate inſtituta eſt, efficiam. Imò verò, quod omnium maximum primumque eſt, non dubitabo, quin, ſi modò, Commilitones, pro ſingulari veſtra benevolentia, gratia & humanitate, aures veſtras animosq; facile & benevolos (quod à vobis expecto) mihi præbueritis, ſi dictionis meæ argumenta, ac rationes, diligentius paulò & acuratius perpenderitis, nemo veſtrûm omnium futurus ſit, qui non illico, rebus ſuis convaſatis, ſarcinisq; compoſitis, ocreas induere, petaſum capiti imponere, alias librare, remis ac velis, quod ajunt, contendere, & quà proxima ad exteras, & longinquas nationes via, pateat, irruere, Ulyſſem, pulcherrimum illud peregrinationis exemplum, imitari totumque terrarum orbem peregrinationibus perluſtrare, & cum Ænea illo Virgiliano, ſeptennio longiùs terra altoq; jactari cupiat. Nullam enim viam, ad veram prudentiam, & ad omnem civilis vitæ experientiam acquirendam,

com-

compendioſiorem eſſe, nullam ad reipublicæ moderandæ rationem aſſequendam expeditiorem, nullam ad laudis, ad dignitatis, ad honoris, ad gloriæ immortalitatem adipiſcendam planiorem oſtendam, nihil deniq; in vita humana dulcius, nihil jucundius, nihil ſuavius, peregrinatione exiſtere poſſe evincam. A vobis igitur, auditores, ſummoperè contendo, ut hinc meæ orationi, tanquam amœniſſimæ animi peregrinationi, benevolentiæ veſtræ auram accommodetis, gratiæq; veſtræ ſerenitatem, favorisq; vela indulgeatis, quò felicius inſtituto meo perfungi, curſumq; meum ad optatam metam perducere poſſim. Atque illud quidem quod primo mihi loco propoſui, auditores, ejusmodi eſt, ut ſine mea, vel cujusquam orationæ, cognoſci planè poſſit, ac perſpici. Nam cùm omnibus nobis, quantù animo poſſumus, enitendum ſit, ut dignitatem præſtantiamq; hominibus, præ cæteris animantibus, divino munere conceſſam, ornaviſſè potius, & amplificaſſe, quàm vel abjeciſſe, vel diminuiſſe videamur; naturæ autem noſtræ tanta ſit infirmitas, tanta in rebus abſtruſioribus caligo, tanta ingenii ſtupidas, tanta mentis hebetudo, tanta cæcitas, judiciique tenuitas, ut niſi diligens quædam inſtitutio, & informatio recta, cultusq; acceſſerit, nihil omnino in ſtudiis humanioribus, nihil in arti-

Attentionis petitio.

bus & ſcientiis divinioribus percipere nihil ſcire, nihil intelligere poſsim us: Neminem equidem veſtrum adeò conſilii inopem, adeoq́ue rerum iſtarum omnium ignarum eſſe arbitror, cùm longè majores & denſiores tenebras in nobis nebulasq́; videat, quam ut viribus ſuis acuminis ſubtilitas ſeſe efferre, & claritas ſeſe animi exercere poſſit, qui foris & aliunde adminicula & inſtrumenta, quibus acies animi visq́; & ſplendor ille naturalis excitetur, nõ accerſẽda nobis eſſe intelligat, qui non itidem cognoſcat à teneris ſtatim, cùm ætas maximè diſciplinarum capax, magiſtros adeundos, inſtitutores fideles adhibendos, vitæ morumq; architectos quærendos, qui ruditatem noſtram corrigant, ignorantiam & inſcitiam erudiant, ingenia excolent, de lumine ſuo clariſſimo, lumen in nobis & intellectum accendant. artis ſcientias, doctrinas neceſſarias, utiliſſimas, pulcherrimasq́, inſtillent & infundant. Quos quidem ſi domi, in provinciis ac regionib. noſtris habere nõ poſſimus, terra mariq́; erunt inveſtigandi, & tanquam uniones, ſumma diligentia & labore inquirendi. Sic enim ſummus rector humani generis, ſupremus ille ac præpotens rerũ omniũ auctor & conſervator, nutũ ſuo divino, cœleſtiq́; providentia õnia diſpoſuit, & admirabili diverſitate ac ordine prudentiſſimè deſtinaxit

xit, ut alia aliis terris eſſet fertilior, neq; in una eademq; regione res omnes eademq; naſcerentur. Ita Arabiâ felicior thuris & aromatum eſt aliis plagis: vini alia ditio uberior: alia frumenti: alia aliarum rerum copia abundantior: ſecundum illud poetæ:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ.

Ita etiam feliciſſima illa & admiranda ingenia, ita artes & ſcientiæ ac diſciplinæ, quæ nos humaniores, imò diviniores reddunt, non in uno loco, in una provincia, aut una domo incluſæ, nec uno in homine omnes inveniuntur; ſed per univerſum terrarum orbem diviſæ diſperſæque ſunt. Summa quoque rerum illarum felicitas, ex ipſius etiam loci genio, & neſcio, quo fato, ac divinitate quadam alibi major exiſtit, ac perinde, ut ſuis quibuſque ſedibus & locis, peculiares quodammodo ſtellæ; ita hæc certis terris, certiſq; quas illuſtrent & condecorent nationibus, divinitus ſunt conceſſa & data lumina. Hîc ſumma eloquentiæ, illic philoſophiæ ſolidioris laus floret: hîc Matheſeos, illic Aſtrologiæ præſtantia viget: hîc Medicinæ dignitas, illic Juriſprudentiæ legumq; civilium majeſtas, & alio viciſsim in loco religionis ſanctæ veritas, doctrinæq; cœleſtis puritas dominatur. Horum verò tantorum bonorum ſi participes fieri velimus, ſi his tantis divitiis & deliciis

perfrui

perfrui cupiamus, ſummisq; illis literarum ornamentis exornari deſiderimus, neceſſariò erunt itinera ſuſcipienda, peregrinationes ad loca illuſtria, in quibus fragrantia hæc & cœleſtis ubertas eminet, inſtituendæ. Ars enim neque alis, neque pedibus utitur, ut ad nos ipſa vel pervolare, vel meare queat, nec ex mutis librorum ſonis cognoſci omnia poſſunt: adeundi viri docti, cognoſcenda & exploranda auribus multa, multa ipſo aſpectu & oculis haurienda. Quem enim, per Deum immortalem, dabis Hiſtoricum mihi, aut qua fide, qua cognitione, qua experientia ille fuerit, qui rebus illis, quas literarum monumentis mandare inſtituit, non ipſe magna ex parte interfuerit, qui loca, quorum deſcriptionem aliis depingit, non ipſe viderit, qui mores & cultus hominum, quos aut commendat, vel vituperat, non ipſe conſpexerit? Quem oratorem, qui linguarum flores non undiq; conquiſiverit, & rerum omnium, quibus inſtructum oratoris animum eſſe oportet, peritiam, non undique collegerit, qui eloquentiſſimorum hominum pronunciationem, qui geſtus, qui actiones politiores non ipſe notaverit? Quem Aſtrologum, qui ſuperam illam cœleſtium omnium fabricam, non in diverſis cœli plagis ſpectavit, qui celerrimum orbium motum, qui immutabilem aſtrorum ordinem non ob-

ſtrva-

ſervaverit? Quem Phyſicum, qui ipſam naturam luſtraverit, rerumq; omnium naturalium admira ilem varietatem non exploraverit? Quem Medicum, qui diverſiſſima & humorum & morborum genera non indagaverit, vim, virtutemq; ſingularum herbarum (quarum incredibilis multitudo, inſatiabili varietate deſtinguitur) non inveſtigaverit? Quem Juriſconſultum, qui varios, variarum gentium & populorum mores, conſuetudines, ſtatuta, leges non cognoverit? Quem Theologum, qui loca, in quibus religionis puritas viget, non adierit, qui præter artes neceſſarias, Græcam ſimul & Hebræam linguam, quò felicius, pro ſempiterni Regis diplomate, adverſus profligatorum hoſtium reliquias decertare, & ſophiſmata, ac ſtultas hæreticorum arguitas, in fraudem & perniciem piorum contextas, refutare poſsit, non didicerit; Quod ſi itaque naturam, providiſsimam illam & fideliſsimam omnium noſtrorum parentem, conſuleres, ab eaq; rationem, viamq; doctrinas varias comparandi compendioſam, peteres, nullam profectò aliam quàm peregrinationis oſtenderet: peregrinare, diceret, peregrinare Athenas, peregrinare Maſsiliam, Bononiam, Patavium, Lutetiam, & ad alia, quæ ubivis gentium florent ſeminaria atque emporia literarum contende. Cœleſtis doctrinæ avidus

dus es? divinarumq; rerum ſtudio teneris, Eccleſiam Chriſti, quæ nulli certæ regioni affixa, non uni loco alligata, ſed quæ, mortæ naviculæ, fluctibus & tempeſtatum injuriis hinc inde agitata, atq; univerſi orbis pelago jactata, nunc hunc nunc illuc exulat, perpetuò peregrinantẽ ſequere, acumẽ ab aliquo Auguſtino, perſpicuitatẽ ab Athanaſio, ſuavitatẽ à Gregorio, à Nazianzeno & Nyſſeno aliquo diſertam eruditionem pete. In juris Civilis cognitione, legumque ſacrarum ſcientia prudentiæ gloriam quæris? Cum illuſtriſsimis illis Romanæ gentis decemviris in Græciam abi: Solonis tabulas inquire: Lycurgi inſtituta collige: cum Sulpitio Mutios adi: Papinianos, Naſicas, Scipiones, Ulpianos conſule. In Medicina eruditionis laudem tibi proponis? cum Hippocrate, cum Galeno, cum Dioſcoride, cum Paracelſo, medicis excellentiſsimus, in Lemum, in Arabiam, in Græciam, in Aſiam, proficiſcere, ac quoties regionem aliquam peragraveris, toties novam te paginam in naturæ libro perlegiſſe perſuaſum tibi certò habe. In Mathematicis, in Aſtronomicis, in Opticis, totaq; Philoſophia excellere cupis? Euclidem, quem etiam ſtola fœminea indutum, cùm nemini Megarienſium virorum Athenas ingredi liceret, Atticasq; Muſas vitæ cùm periculo

ſecta-

ſectatum eſſe accepimus, imitare, ad Pythagoras, ad Archimedes, ad Ptolomeos, ad Ariſtoteles, ſi quos revixiſſe audis, proficiſcere. Eloquentiæ dignitatem & honorem adipiſci ſtudes? Demoſthenes, Iſocrates, Horrenſios, Cicerones quære. Animum ad hiſtorica ſtudia adjeciſti? ad Livium, ſi quis uſpiam eſt, cum illis qui ab extremis Gadibus Romam lactei fontis audiendi gratiá veniſſe dicuntur, excurre, Cæſari, Polybio, Pauſaniæ te adjunge, in caſtra uſq; & prælia; tumultusque bellicos; Scipiones & Metellos comitare. Hanc verò unicam ad prudentiam viam patere, viderunt veteres illi ſapientiæ ſtudioſiſsimi, quos nullæ itinerum longinquitates, nullæ navigationum difficultates, nullæ tempeſtatum injuriæ à longiſsimis curriculis deterrere potuerunt. Teſtatur id divinus ille Plato, qui ad Nilum uſque egreſſus, ex Ægypti penetralibus, maximam divinæ ſuæ ſcientiæ partem reportavit, qui omnia abſtruſiora myſteria mirabili ſagacitate ingenii perquiſivit, monumenta antiquitatis õnia ſingulari induſtria evolvit, & ad ipſas Moſaicæ veritatis medullas penetravit. Teſtatur nobiliſsimus ille inter veteres Philoſophus Anacharſis, qui è barbara Scytharũ ſolitate elapſus, lõgiſsima itinerũ intervalla eo éſus ſũma animi cõtẽtione, ſũmaq; alacritate Athenas

nās pervenit, ibiq; ignorantiæ & barbariei ſqualorem exuit, ex quo quidem nunquam emerſiſſet, ſi domeſtica latibula peregrinandi ſtudio prætuliſſet: teſtatur magnus ille Ariſtoteles, qui tantam ſibi ſapientiam, tantam doctrinam, tantam veræ philoſophiæ ſcientiam, tantum intellectum peregrinationibus ſibi aſsiduis comparavit, ut jure & meritò ipſum philoſophorum omnium, quotquot unquam illorum exiterunt, patrem, principem, imò naturæ etiam filiam ac miraculum rectè appellaveris. Teſtatur Zamolxis, & alii ſexcenti, qui cùm domo ſua nudi, atq; ab omni diſciplina meliori & cultu alieni, humanitatisque inopes eſſent profecti, cunctis animi dotibus atque omnibus illis, quæ in hominem cadere poſſunt, muneribus inſtructi & exornati, domum ſuam redierunt. Vultis ſummum illud eloquentiæ decus Ciceronem producam? qui, ut eam dicendi gloriam, quam ſperabat, conſequeretur, in Græciam ſe contulit, Athenis præter Antiochum, Philoſophum acutiſſimum & prudentiſſimum; Demetrio *Syro* nobiliſsimo & diſertiſsimo dicendi magiſtro ſe adjunxit, ſtudioſeq; apud eundem ſeſe exercuit, poſtea totam Aſiam peragravit, & ſummis ejus oratoribus ſimilem operam dedit. Deinde Rhodum trajecit, & ad eundem, quem antea Romæ bis audiverat, Molonem,

ſonem, actorem præſtantiſſimum, tertium ſe applicavit, quo iſtum tandem naturæ defe-ctum, quæ actionis inſtrumēta ipſi negaverat, ſummâ induſtria, ſummáq; diligentia compenſaret. Vultis oſtendam vobis magnas Romana urbe exeuntes catervas? Tametſi enim Romani in domicilio totius orbis conſtituti eſſent, & tanquam epitomen atq; compendium omnium regionum, omnem terrarum, unis mœnibus continerent, Maſſiliam tamen in Galliles petebant, in Græciam non minus migrabant, & Athenis, quanti erant, Attici redibant. Animadvertebant ſiquidem, omne ingenium, quantacunq; illud indole ac natura ſit, torpeſcere, & propemodum intermori domeſticis anguſtiis, nec verò ullā eſſe animi hebetudinem tantam, aut ullam caliginem, quæ non peregrinationum curriculis efferveſcat, & luculentior omnibus ſui partibus vegetiorq; efficiatur. Sed quid ad veterum ſtatuas, quid ad antiquiorum propemodum abolitas imagines, quid ad intermortua exempla aures veſtras revoco? Cur non potius in hæc viva ora ac vultus, quorum aſpectu & claritate perfruimur, oculos veſtros intendo? cur non hoc digito vobis ampliſſimos peregrinationis fructus, in magnifico viro, Dn. Johanne Ferinario, Academiæ noſtræ Rectore, qui ut ſceptrum, ita facem omnium virtutum nobis præfert,

oſtendo? qui eruditionem maximam, qua hujus Academiæ celebritatem illuſtrat, & tantam rerum exeperientiam, qua etiam apud exteros commendatiſsimus eſt, ex Gallicis, ex Italicis, ex Belgicis peregrinationibus, & aliarum provinciarum luſtrationibus conquiſivit. Juriſconſultorum illum admirandũ verticem intuemini: te Clariſsime Vultæi, te nomino, in te omnium animos ac oculos converto, qui peregrinationis de prædicandæ, viva nobis oratio eſſe poteſt, eſſe Galliam inviſiſti, cum Galliæ doctoribus diſſeruiſti, Italiâ perluſtraſti, Menochio ibi diſputaſti: Daniam etiam, legationis ampliſsimo munere ad regem feliciter defunctus, exploraſti: In reliquos, qui adſunt, viros referendos & clariſſimos aciem luminum veſtrorum dirigite, qui difficilimas quoq; & longiſſimas, ſtudiorum gratia, peregrinationes ſuſceperunt, iisque ſummam illam eruditionem ac doctrinam, & admirabilem rerum omnium experientiam, qua non ſolùm Academiam hanc condecorant, ſummaq; cum laude nos erudiunt, ſed univerſam etiam Haſſiam, atque adeò totam Germaniam, communem noſtram patriam, apud exteras rationes claram celebremque redduut feliciſſimè conſecuti ſunt, Quod ſi, auditores, clariſſimorum horum luminum ſplendorem, oculi noſtri ferre non poſſunt,

ſed

ſed obtutu & aſpectu illorum, tanquam in ſole aliquo meridiano hebetantur, debilitantur, pulcherrimum illud univerſitatis theatrum, ob oculos nobis ponamus, quicquid ſit uſpiam, peragremus, provincias intueamur, luſtremus orbes, regna ac imperia percurramus. Quid verò ibi? Ruges, inertes, inurbanos aſperos, importunos, ineptos, barbaros, omniſque humanitatis, comitatis, ac hoſpitalitatis expertes, ſuperbos, arrogantes, amore & admiratione ſui inflatos, molles præterea & delicatos, ſomni, conviviorum, aleæ & ocii ſtudioſos, cunctarum voluptatum illecebris, & omnium cupidatum lenociniis corruptos eos populos plerumq; inveniemus, quibus nulla itinera, nullæ navigationes, nullæ luſtrationes, nullæ peregrinationes, uſurpatæ, quibus commercia, ac conſuetudines, cum aliis gentibus nullæ celebratæ. Contrà verò faciles, modeſtos, benignos, benevolos, humanos, hoſpitales, & virtutis flexu ad diſciplinam omnes inclinatores, animadvertemus illos, quorum ingenia variæ peregrinationis æſtus concoxit multorum itinerum confectio emolliit, cognatio aliorum morum, & diſciplina erudiit. Quis enim adeò eſt improbus quem tam multa & præclara virtutis ac pietatis exempla, tot heroica fortium & illuſtriũ virorum facta, quorum vivas imagines

intuetur, quem veræ virtutis ſplendor & pulchritudo admirabilis, ad imitationem non invitet, non allicat? Quis adeò ſordidus, quem neque exquiſita in cultu & veſtitu aliarum gentium munditics, neq; laudabilis in actionibus & geſtibus elegantia & comitas, neq; ſuaviſſimi in ſermone lepores, aliquomodo politiorem reddant? Quis adeò moroſus, auſterus, & iracundus, quem humanitas, affabilitas, manſuetudo, & placabilitas comitum & ſociorum, qui in itineribus, in hoſpitiis nobis ſeſe conjungunt, non immutet? Quis adeò mollis, effœminatus, & timidus, quem æſtus ſolis, frigora, nives, pluviæ, dura, ſedilia, ſaxea pulvinaria, & tot innumeræ peregrinationum moleſtiæ, tot latronum inſidiæ, ac pericula, non fortiorem animoſioremq; efficiant? Quis adeò ſimplex, incautus, & incontinens, quem calliditas exploratorum, artes mirificæ cauponum, & lenonum; ſummumque vitæ capitisque diſcrimen, ad vigilantiam, ad prudentiam, & ad temporantiam non exuſcitet? Quis adeò durus & inhoſpitalis, quem exterorum benevolentia, benignitas, & auxilia, viciſsim ad ſimilia humanitatis officia non impellant? qui cum Didone illa Virgiliana multis erroribus agitatus, & non ignarus mali, miſeris etiam ſuccurrere non diſcat? Quis adeò impius, quem ad ſeriam

& ara

& ardentem numinis æterni invocationem, ad crebram celebrationem & laudem, non exhortentur, variæ, quæ peregrinantibus ſeſe offerunt calamitates, labores, navigationes, fluctus, tempeſtates, & momentanei fortunæ adverſæ caſus, ac pericula, atque ex iiſdem divinæ & admirabiles liberationes? Quem ad hymnos & carmina, ſuaviſsimæ avium, trutillantium & fritillantium modulationes non provocent? Quem deniq; de vitæ hujus lubricitate, de incertitudine, de brevitate, non commonefaciat ipſa peregrinatio? Verùm quid pluribus rem declarem? Græcos antiquos in exemplo ponamus, qui nunquam eò ſapientiæ ac eruditionis, qua univerſam poſtea terram illuſtrarunt, pervenifſent, nunquam ad eam virtutis laudem, dignitatisque gloriam evecti fuiſſent, niſi peragratis omnibus fere mundi partibus, incredibilem omnium rerum experientiam ſibi comparaſſent. Hi navem primi conſcendere, primi omnia maris æſtuaria, primi omnes ſyrtes, ſaxa, ac ſcopulos, Argonautica illa inſtituta expeditione tentare, primi cum Aquilonibus, & Aphrico, cum Notis decertare, (ut poëtæ Horatii verbo utar) auſi fuerunt, ut aurea illa, quæ famâ cognoverant vellera, hoc eſt, rerum omnium naturalium, & abditarum ſcientiarum myſteria, ultimosq;

entiæ receſſus perſcrutarentur. Huc enim illa Jaſonis vela ibant, huc conti & remi, huc proræ & puppes, toto terrarum orbe decantatæ terminibuſque omnium ætatum celebratæ tendebant. Sed quare non potiùs eximias peregrinationis utilitates in Germanis noſtris demonſtro? qui cùm olim non procul à belluarum feritate abeſſent, cùm in paludibus ac ſylvis ferarum more vagarentur, & inveterato quodam odio à literis abhorrerent, tantum tamen peregrinationibus ſuis profecerunt, ut (quemadmodum Bodinus, qui alioquin Germanicæ laudis perquam parcus eſt, fateri cogitur) humanitate Aſiaticis, militari diſciplina Romanis, religione Hebræis, Philoſophia Græcis, Geometria, Ægyptiis Aritmetica Phœnicibus, Aſtrologia Chaldæis, opificiorũ varietate omnibus populis, ſuperiores nunc eſſe videantur. Ex his ipſi Itali, cæteroquin ingenioſiſſimi & ſagaciſſimi, ad metiendos agrorum fines, artifices peritiſsimos acciverunt: Ex his Leo Pontifex Maximus, cùm ſolis lunæq; curſum emendare vellet, legatis in Germaniam, non ſecus atque olim Cæſar in Ægyptum, miſſis, Aſtrologus & Mathematicos ſummos, evocavit. O præclaram profectionem? ô egregiam & omnium laudatiſſimam peregrinationem! cui non modò ipſa natura parens, ſed etiam omnia clementa

omnia ſydera, omnes venti & cœli ſuas ſerenitates, gratiam ac favorem ſuam indulſiſſe, vimq; ſuam dimiſiſſe videntur: te illuſtriſſimam illam ſcholam, in qua bonis artibus, ſcientiis & diſciplinis ad veram ſapientiam & doctrinam erudimur: te gymnaſium virtutū maximarum, quibus felicitatem ſummam & beatitudinem conſequimur, jurè & meritò appellamus. Videtis, auditores, quantam, & quàm inſignia bona atque commoda, ſingulis hominibus peregrinatio afferat? ſed multò majores eam Rebuspublicis utilitates afferre, ſi eadem, qua incepiſtis, benevolentia me audire pertexeritis, oſtendam. Nemo etenim commodiùs, & majori cum laude, ad ſumma reipublicæ gubernacula provehi poteſt, nemo digniùs, & majori cum civium utilitate ad ampliſsimo illos munerum publicorum honores extolli, quam is, qui antè multùm diuq; peregrinatus, cum Ulyſſe, diverſos multorum populorum mores & ritus urbesque excultiſsimas luſtraverit; qui inſtituta rerumpublicarum plurimarū cognoverit, qui conſuetudines perceperit, leges inveſtigaverit; origines regnorum, & incremēta inquiſiverit; qui cauſas converſionū & evolverit; qui quid in quaque civitate laudabile, quid emendabile obſervaverit, quid in judiciorum conſtitutione immitabile didicerit; quid in ma-

giſtratum ordinatione, in conſiliorum habendorum informatione, quid in foro, in campo, in curia, in aula, quod in juventutis educatione, in ſcholis, in templis, quid in omnibus muneribus, in tribubus, in artificiis, in ſervitiis, in opificiis memorabile perſpexerit; qui denique quid in caſtrorum locatione, quid in foſsis excitandis, in civitatibus & propugnaculis muniendis, quid in excubiis, in agminibus conſtituendis, quid in acie, in expeditionibus ordinandis, quid in præliis, quid in ſtrategematibus, in mœnium urbiumq; expugnationibus, quid in caſtrorum everſionibus facto opus, quid obſervatu dignum ſit annotaverit. Hic nimirum ille eſt, quem Plato philoſophum appellat, qui antequam ad rempublicam acceſſit, non domi ſuæ in hemicyclo de dialecticis quibuſdam ſpinis, & captionibus diſſeruerit; aut ſyllogiſmorum formas, ac cornua informaverit; non in pulvere Archimedeo, circulos deſcripſerit non pulicum paſſus (ut in Ariſtophanis ſcena eſt) dimenſus fuerit; non ex atomis mundū cōpoſuerit; non in Euripi fluctus, omnem curā & cogitationes conjecerit, aut è dolio ſuo, regias opes contemſerit; ſed, qui complurium gentium reſpublicas adeundo, omnes, qui ad civilem vitam, & ſocietatem humanā moderandum attinēt, rationes, opesq; & conſilia exploraverit. O fe-

licem

licē rempublicā, quæ ejuſmodi moderatorem divinitus conſecuta eſt; ô beatum imperiū, cui gubernator tā felix cœlitus contigit: hic enim demū intelligit, quæ evitanda ſint, quæ amplectenda, pervidit quæ regnum labefactēt, diſſipent, & evertāt in promptu habet, quæ imperiū fulciant, ſtabiliant, conſervent. Eo fine Romanos liberos ſuos Maſsiliā, quam jam aliquoties vobis nominavi, miſiſſe legimus, ut ab optimè inſtituta civitate optimas reipub. gubernandæ artes addiſcerent. Eam ob cauſam, Cyrum etiamnum puerum peregrinatum, & in Aſtyagis aulam miſſum eſſe accepimus? Theſeum adoleſcentem idcirco omnium periculoſiſsimū iter pedeſtre ſuſcipere maluiſſe, quàm compendio navigationis uti; Herculem, univerſum terrarum orbem, pedibus propterea peragraſſe, & æternitatem nominis retuliſſe cognovimus. Eaque ratione omnes civitates, omnes reſpublicæ, omnia regna & imperia conſtituta ſunt & ſtabilita. Gentes enim aliæ ab aliis, bonos mores, ritus, leges, ſtatuta, arteſq; & diſciplinas bonas fuere mutuatæ. Lycurgus in Cretam & Ægyptum profectus, illorum populorum inſtitutis ſuam poſtea rempub. informavit. Romani, legibus & conſuetudinibus ex Græcia (monitu Hermodori Epheſii peregrini hominis) tranſlatis, ſuum imperium conſtituerunt.

Germani noſtri ab illis, gentibus, & aliæ viciſſim ab illis, bonas artes, diſciplinas, leges, cōſtitutiones, & mores elegantiores, petietunt. Quemadmodum Contarenus, vir eximiæ prudentiæ & doctrinæ, cùm in Germania noſtra animadvertiſſet, non promiſcuè cuilibet, ut in Italia, ſcholas privatas aperire licere, ſed magna cura, magna diligentia, & non niſi publica autoritate, publica publicoque ſtipendio, viros bonos, quorum vita & mores probati ſint, ad munera illa, ne forſitan tenera juventus corrumpatur, deligi; domum reverſus, laudabilem hanc conſuetudinem, & reipub. maximè utilem, Venetis etiam ſuis, ſumma collaudatione perſuadere, & in illorum rempub. alioquin ſapientiſſimè inſtitutā, introducere nō dubitavit. Quis verò meliùs, quæſo, aut expeditiùs, quis decentius, vel majori gravitate, majori laude, majori dignitate, legationē vel à principe, vel à repub. ſibi commiſſā, adminiſtrare poterit? Illène, qui, ut Comicus ait, domi ſemper quaſi claudus ſutor latuit? pedem patria nunquam extulit? qui nullos unquam populos, præter domeſticum vidit? nulla alia flumina, nullos portus, nullos alios pontes, quàm inter quos adoleſvit, conſpexit? qui nullas arces, nullas urbes, nullas provincias, nullas regiones, præterquam illam, in qua natus & educatus lu-

ſtravit

ſtravit? nullam aliam linguam niſi vernaculam didicit? Utrum ille potius, qui dulciſſimis patriis laribus relictis, multas peregrinas gentes, multas rationes peragravit? qui mores, leges, & conſuetudines omnium obſervavit? variarum linguarum cognitionem ſibi comparavit? qui multas aulas, multa palatia, multa comitia, magnorum & illuſtrium virorum conventus frequentavit? qui apud exteros aſperos ſuos mores excoluit? eruditionem, ſcientiam, actionum humanarum uſum, veramque prudentiam ſibi acquiſivit? qui locorum omnium & conſuetudinũ gnarus, quâ eundum, ubi divertendum, ne optimas rerum agendarum occaſiones reipub. amittat, ſeque ipſum in periculum conjiciat, novit? qui denique tempori diſſimulare, tempori ſilere, tempori loqui, viroſque graves, illuſtriſſ. potentiſſ. ad quos ab legatur, obſervare, comiter cum iiſdem, & humaniter verſari, modeſtè & expeditè quæ habet, in medium proferre, & ut reſponſionem viciſſim ferat, decenter urgere & inſtare didicit? Quē verò princeps ut & conſiliorum fide, & virtute, cura, ſtudio, vigilantia ſe adjuvet, eligat alium, quàm eum, qui variorum hominum rerumque plurimarum experientiam, atque ſcientiam, peregrinando conſecutus, cum Ulyſſe Alcioni regiam inviſerit, cum The-

miocle Perſarum opulentiam ſpectarit? qui qua potentia, qua virtute, quibus monumentis & ornamentis, quodque imperium floreat, omniumque civilium munerũ, officiorũ, & ordinationũ varietatem cognoverit? qui & belli, & pacis rationes, omniaque adminicula & præſidia cõquiſiverit? Hic enim cõſiliarius, inſtar ſpeculi illius opticorum eſt, in quo non tria ſolùm, nec decem milliaria, ſed univerſæ provinciæ, adque adeò totus terrarũ orbis, conſpici & repræſentari poteſt; hic vera illa ſpecula, quam Hieronymus exoptâſſe legitur, ex qua omnia regna, omnia imperia, videri & perluſtrari queunt. Quis denique dux belli exercitui præficiendus? ſi non is, qui aliorum populorum mores, naturam, animique affectiones inveſtigaverit, & illorũ in armis militaribus dimicationes exercitationesque viderit? qui ipſe arma ſumpſerit, galeam capiti impoſuerit, thoracem induerit, gladios diſtinxerit, tela haſtamque in hoſtem defixerit? qui multis velitationibus, expeditionibus multis obſidionibus, ac præliis interfuerit. Qui quæ gens, quæ natio, ad ſubitas irruptiones faciendas, hoſteſque fugientes proſequendos alacrior, quæ ad occupandos muros, & mœnia expugnanda expeditior, quæ pugnã acrior, quæ ad ſuſtinendos aperto Marte impetus cõſtantior, quæ viciſſim equi-

tatu

tatu validior, quæ in pedeſtri prælio ſtrenuior, quæ in navali pugna fortior, & quæ ad inſidias, ac ſtratagemata machinasque bellicas inveniendas, callidior, diligentiſſimè exploraverit? qui præterea ipſe caſtra ſecutus, verã militarem diſciplinam, ubi, quando quomodo, quibus copiis, qua acie dimicandum, quâ ratione latera, tergaque ſubſidiis firmanda; qui milites in fronde, ſi periculum immineat, collocandi, obſervaverit? qui poſtremò diu peregrinando, multorum locorum cõditiones, regionum, provinciarum qualitates, fluminum, vallium, ſylvarum ſitus viarum compendia & diverticula, ad oppugnandos hoſtes, ſtruendas inſidias, ſtratagemata moliẽnda, caſtra evertendã exquiſiverit? quique multarum linguarum peritus, milites ſuos ſingulos, propria affatu ad Martem cohortari, & ad certamen inflammare conſuerit? Nunquam etiam pomœria imperiorum amplificari, nunquam fines extendi, nunquam nova regna acquiri, ſine peregrinationibus poſſent: Neque unquam ad tantas vires tantamque potentiam, Hiſpanicum regnum veniſſet, niſi Columbus & Americus, ad Antracticos uſque enavigaſſent, & novas inſulas peregrinatione ſua inveniſſent. Nunquam Romani, tantam imperii amplitudinem conſecuti fuiſſent, niſi Julius Cæſar totũ occideẽtẽ peragraſſet, Britan-

niam

niam auribus Romanis incognitā aperuiſſet, ad Cleopatram in Ægyptum properaſſet, niſi ſimiliter in Africam & AſiamPompejus penetraſſet: Scipio Numantiam uſque volaſſet. Sed quid in re omnium clariſſima, facem vobis accendo? Vultis, utilitates vobis reliquas, quæ ex peregrinationibus redeund, exponā? Monſtrabo ex peregrinationibus redes, & viros clariſſimos factos eſſe. Nō enim rarū eſt, ut quos fortuna domeſtica deſerat, & ludibrio habeat, eos externæ ſortis benevolentia, ac peregrini favoris aura ſuſpiciat, & ad ſummas dignitates ac honores foris evehat. Quid enim Tarquinius Priſcus, ille ex Hetruria, in qua natus, in qua repulſam paſſus, cùm in Latium peregrinatus eſſet ſceptrum & diadema apud exteros nonnè aſſecutus? Quid Fulco comes Andegavenſis, nonnè in peregrinatione ſua rex Hieroſolymitanus factus? Peregrinando Themiſtocles, quas domi ſuæ adipiſci nunquam poterat, ſummas apud regem Perſiæ dignitates invenit, triū pulcherrimarum urbium conſtitutus dominus, Myuntium, Magneſiam, Lampaſcum, obtinuit. Thebæ à Cadmo peregrinatore conditæ, Pativium ab Antenore peregrinatore exſtructum, Babylonia à peregrinantibus excitata, Alba à peregrinantibus Trojanis ædificata, peregrinando nobilis Ulysbona oborta, & infinita

oratio

oratio futura eſſet ſi imperia, regna, urbes, oppida commemorare omnia vellem, quæ nunc nulla eſſent, ſi peregrinationis curſus nullus fuiſſet. Ipſæ veteres ſolitudines, velim, loquantur, montes, & teſqua, quæ nunc omnium cultiſſima videtis, ea, velim, deprædicent: O eximios & magnificos peregrinationis fructus! ô inſignes profectionis utilitates! ô ampliſſima & aurea planè vellera, omniq; prædicatione majora præſidia! quæ non privatam tantummodò hominum vitam plùrimùm adjuvant, ſed ipſam etiam publicam felicitatem promovent, augent, conſervant. O egregios etiam, ô præclaros, & omni laude cumulandos homines, qui contemptis omnibus moleſtiis omnibus periculis, tantis & tam amplis commodis, amicos ſuos beare, qui rempublicã exhilarare, qui patriã chariſſimã, cum ſempiterna nominis ſui memoria, laude, gloria, & immortalitate, condecorare velint. Si enim apud Romanos olim illi, qui rem pub. conſiliis ſuis atq; laboribus aut auxerãt, aut defenderant, aut conſervarant, immortalem gloriam cõſecuti ſunt, quantò magis iſti, qui pro communi utilitate, pro commodis & fortunis reipub. tot tantiſq; tempeſtatibus, laboribus, ac Periculis, offerre ſeſe, & pro ſalute patriæ, vitam ac ſalutem ſuam in diſcrimen ultrò conjicere non dubitarunt, laudem

dem ſempiternam, & decus immortale promerentur? Ac ut maximè, auditores, illa omnia, quæ hactenus ex me audiviſtis, ex peregrinationis ſtudio percipi non poſſent, nec fortè opes, nec honores, nec dignitates, nec prudentia, nec auctoritas, nec omnium rerum experientia, ex illo petantur; ea tamen profectiõis & luſtrationis ſuavitas eſt, ea jucũditas, ea oblectatio, ut õnis ſenſus expertem, & ſaxeũ hominem illum eſſe credam, qui voluptate tanta ita commoveri non poſſe dicatur, ut domi ſuæ potiùs, tanquam in ergaſtulo & carcere manere mallit, quàm in naturæ pulcherrimo theatro, & omnium oblectationum pleniſsimo atrio, verſari. O inertem, ô abjectum, ô ſervilem, & omnium anguſtiſsimum animum, qui ipſe ſeſe in domeſticos cancellos compingit, & quaſi in inſulam proſcribit. Ac ſanè neſcio, an ulla major deportationis, & ad æterna vincula, aut ad metallicas fodinas damnationis pœna eſſe poſsit, quàm viduari & ſpoliari illis rebus omnibus, quæ cœlo, terra, mariq; naturæ admirabili opificio, ſpectari poſſunt, & quorum gratia hi oculorum noſtrorum orbes, hæc lumina, hæc acies, hi ſenſus dati nobis, & impoſiti ſunt, ut illas res omnes inſpectaremus & contemplaremur: hi pedes, hi tali, hi motus & curſus conceſsi, ut, quæ remota ſint, adiremus, quæ abſtruſa, quæreremus; hæ manus, hi nervi, hi digiti tribu-

ti, ut miracula omnipotentis tangeremus, palparemus, & ex artificio, ſummum illum artificem, cognitum celebraremus: Quam multa etiam ſunt, quorum vel ſola auditione & fama, animos noſtros excitari, capi, & mirifica quadã recreatione perfundi intelligimus? omittam tot pulcherrima oppida, tot populoſiſſimas urbes, ſplendidiſſima tot civitatum domicilia, tot marmorea palatia, tot Capitolia, tot Babylonicas turres, tot antiquas Ægyptii pyramides, tot Coloſſos, tot Salomonica templa, tot ſtatuas: omittam tot munitiſsimas arces & congeſtos, tanquam à gigantibus fabuloſis, mõtes, tot fortiſsima propugnacula, tot ipſi Marti admiranda armamentaria, opera tot & artificia, quæ ſeptẽ illis priſcis miraculis, famã & admirationẽ omnẽ præripiãt: omittam tot ditiſsima æraria, & quaſi Phryxea veterum vellera, tot theſauros, qui Crœſos antiquos & aureos Mydas, Romanosq; Craſſos, in ſtuporem conjicerent: tot abundatiſsima horrea, & publica granaria, quorũ ſpectandorum gratia, vel Triptolemus ipſe agriculturæ & frumentorum inventor, longiſſimas peregrinationes volucri ſuo curru ſuſciperet. Ad illa autem potiſsimùm oculos veſtros adducam, quæ naturæ admirabili ingenio elaborata, incredibilem non ſolùm exter-

nis ſenſibus voluptatem, ſed majorem etiam animo ſuavitatem afferunt. Quem enim tot amœniſſima, tempe, ac paradiſi, quem tot omnibus animalibus referta vivaria, tot omnium herbarum pleniſſima viridaria, quem tot Heſperidum, tot Alcinorum, tot Tantalorum, tot Adonidum, & Semiramidum horti, tot omniam Venerum & Gratiarum umbracula, quem tanta florum cœleſtium fragrantia non recreent? non reficiant? non ita permoveant, ut vel manibus pedibusque ad tantam jucunditatem perfruendam, etiam cum teſtudine arrepere conetur? O vitam tædioſam! ô acerbam! & omnium miſerrimam! quæ tam optabili naturæ beneficio, tantaque rerum omnium voluptate ac lætitia ſpoliaris! Quid verò hoc aliud eſt, quàm in Trophonii veteri illa ſpelunca, quæ omnem homini meliori ſ. fr(?)ctum, quæ riſum, quæ ſerenitatem, atque ipſum lætitiarum fontē adimebat, ætatem ſuam in mœſtitia & caligine, ac ſolitudine peluina conſumere? Quid, inquam, hoc aliud eſt, & quantum diſtat à domeſticis iſtis tenebris, quæ jucudiſſimo peregrinationis lumine deſtituuntur? Quantum enim illi, qui in nebulis iſtis denſiſſimis latitant, quantum inquam, à truncis & lapidibus, qui motu omni carent, differunt? Omnia certè animalia,

quæ

quæ in amplisſimo hoc mundo inveniri poſſunt, decurſionibus & libero motu gaudent ac delectantur: in aere volucres & aviculas circum volitare, nunc huc, nunc illuc, alas ſuas celeriter, librare videmus: ciconiàs & hirũdines, quotannis hybernis menſibus abire, & verno viciſſim tempore redire cernimus; oberrare hinc inde in ſylvis & nemoribus feras, in lacubus, & fluminibus piſces, in mari belluas vagari conſpicimus: & quæ exiſtis animantibus, hominum inſidiis captæ incluſæque ſint, ſumma eas cupiditate & deſiderio, priſtinam libertatem appetere, & quo poſſunt modo in eam ſe recipere quotidie experimur.

Moventur celerrimo curſu ipſa quoque ſydera, & nobiliores ſtellæ omnes, ſuperaque illa cœleſtium omnium rerum moles, incredili celeritate agitatur. O ſordidos, ô abjectos, & humano nomine indignos, qui naturæ nobilitatem, & præſtantiam, bruta illa animalia, & rationis & orationis expertia, præripere ſibi patiũtur, & ne inter illa quidẽ, ullum ſibi locũ relinquũt! Egredere igitur, qui naturæ tuæ dignitatem tueri, & retinere cupis, egredere ex miſerrimis illis latibulis, compedes illas tuas exue, noctem illam oculis tuis deme, ſitũ & languorem amove, veternũ excute, exi ex illo

rogo ac buſto tuo, in quo, quaſi ſemimortuus rerum naturalium jucundiſsimum aſpectum, & guſtum nullũ percipis. In orbe es: & orbem nondum vidiſti? in terris ei; & terræ vultum nondũ aſpexiſti? in natura es; & naturã nondũ cognoviſti? Jam verò te, illo inſano Democrito, qui ſe ipſe oculis ſuis orbaſſe, ac luminũ aciẽ exuſſiſſe ſibi memoratur, non ſolùm inſaniorem, ſed & crudeliorem in oculos tuos eſſe dicam? Ille namque ut animi lucem accẽderet, & quaſi pelliculam, quã ſibi ab externo obtutu obvenire putabat, internis cogitationibus detraheret, oculorum malebat, quàm animi hebetudine laborare. Tu tibi non ſolũ externam illam cæcitatem, ſed internam etiam caliginem obducis, ſtupiditatem incredibilem! vitam vere mortuam! Quid obſecro voluptuoſius, quid jucundius, quid gratius eſſe poteſt, quàm montium altitudines, tanquã cœli ipſos Atlantes contemplari? Herculis columnas admirari? Taurum & Caucaſum luſtrare? Olympum, Jovis domicilium intueri? Alpes Hannibalis aceto fractas tranſire? Apennium Italię promontorium conſcendere? Ab ida ſolis ortum ante ſolùm proſpicere? Parnaſſum, & Heliconem, Muſarum ſedes celebratiſſimas, inviſere? Nec enim ullũ jugũ ulluſq; colliculus erit, qui non ſuaviſsimam

rerum maximarum memoriam, in ſe cootineat; illic Noæ arcam poſt diluvium conſediſſe? illic Deum ipſum habitaſſe, & legem ſuam æternam inter tonitrua, & fulgura, promulgaſſe: Illic vatem Eliam, ſub junipero latitaſſe, & á corvis victum acceptaſſe: illic ſervum Domini oves ſui ſoceri paviſſe, & Jehovam in ardente vepreto primum vidiſſe: illic Petrum tria tabernacula conſtitui ſibi optaſſe: illic è terris Servatorem noſtrum redivivum ad dexteram æterni Patris demigraſſe conſpicies, Sive animus tuus profanis monumentis oblectetur? alibi bicunctatoris Fabii nubeculam, contra Hannibalem ſediſſe; & cunctando rem Romanam reſtituiſſe, intelliges, alibi Cannas æternum imperii vulnus, alibi Trebiæ & Traſimeni cladem, alibi alia memorabilium rerum rudera invenies: Nec enim ullum, vel in Græcia, vel in Italia veſtigium pones, in quo non maximarum rerum conſiderationes objiciantur.

Seu malis ad naturæ admirabilia opera oculos convertere? Hiberniæ lacum intuere, qui lignum in ferrum admirabili naturæ prodigio convertit, aut Scotiæ inſulas antiquarum Cycladum more natantes, procellarumque ludibrio hinc inde fluctuantes, contemplare; arbores ex quarum fructu in ſubterla-

bentem aquam delapſo, anates & anſeres naſcuntur, ibidem obſtupeſces. In Moravia, patria mea dulciſſima, oſtendam tibi thus & myrrham, non in fruticibus gigni, ſed è terræ viſceribus miraculoſe oriri, Ollas in Sileſia ex monte quodam, naturæ ipſius opificio elaboratas & conformatas, effodi admiraberis. Succinum & electrum in Boruſſia, regionum omnium amœniſsima, in qua vel ipſi dii, ſi terreſtri ſede delectarentur, habitare poſſent, vomitu maris ejici, & quaſi ab ipſo Neptuno eructare videbis. Vis ad Ætnam, ad Veſuvium, ad Heclam, Erebi oſtia, & flammarũ voragines, te deducam, quarum viſendarum & indagandæ cauſæ gratia, Plinium, teſte Secundo, interiiſſe legimus. Sed quorſum abripimur? Idem mihi contingere video, quod iis, qui animi gratia navigiolum conſcendunt, & oram litoris legunt, cùm delectationis ſenſu decepti, à margine in medium æſtum auferantur, longiſsimeq; præter voluntatem à portu ventis ſecundis abripiantur. Ita enim hac animi mei peregrinatione afficior, ut longiùs quàm primò deſtinaveram, orationis curſu progreſſus ſim. Sed ne abutar benignitatis veſtræ, quàm liberaliter mihi conceſſiſtis, aurea, vela mea reducam, & ad portum me recipiam,

Video

Video enim, me cõtinuiſſe facilè,quod obtentum voluerim: video animos veſtros commotos, intra ſeſeipſos jam peregrinari: video vos quietis & ſedis diutius capiendæ tædioſos,video ad portam ſpectare vultus ac ora veſtra,video pedes veſtros propemodum prurire, & ad itinera totius corporis motum inclinare.Sed ne quiſpiam ex illis,qui,tanquam cochleæ, domum ſuam perpetuò quaſi in tergo habent,de media via revocare vos poſsit,atq; à peregrinationis ſtudio,contra ia voce vertere,operæ precium me, me facturum arbitror, ſi adverſus clamores aliorum, etiam animos ac aures veſtras antè muniero. Peregrinationes inquiunt,cùm Reipub. perniciosas,tùm privatæ vitæ damnoſas: peregrinatione attrahi in rempub.novos mores, nova vitia,novas labes,novos morbos. Ne quiſpiam veſtrûm, auditores,tam ignarus rerum ſit, qui non magis perverſæ cujusq; naturæ ac inſtitutioni,quam peregrinationi imputanda ejuſmodi eſſe ſibi perſuadeat. Malis moribus ubique vivitur,vitia ubique diſcuntur: domi non minus exempla libidinis,aliorumque ſcelerum, quam foris flagrant.Et domi Davi ſunt,Phormiones ſunt,Gnathones ſunt, qui juventutem jam maximè corrumpunt, At quid Paridem, quid Laidem objicis?

domi etiam Thaides ſunt, domi Sirenes, domi Medeæ: improbitas omnibus locis, ſui fœcunda & fertilis eſt.

Quin potius, ſi quæ perverſis moribus & diſciplinis vitia domeſtica ita inſederint, ut in chylum & ſanguinem adhiberi poſſe judico, quæ eluere, & ſi quod hiulcum & aſperum in moribus vernaculis eſt, ſenſim conterere ſolet? Sunt tamén, fateor, inter peregrinos etiam corruptelæ, ſunt voluptatum hami, ſunt illecebræ. Levitate alii, alii libidine, perfidia alii notantur. At quæ bonæ unquam ſegetes inveniuntur, quibus non ſolium intermixtum reperiatur? Tantum verò abeſt, ut eam ob cauſam peregrinandum non eſſe exiſtimes, ut incitare hæc magis curſum noſtrum debeat. Nec enim ulla alia ratio, ad confirmandum & corroborandam virtutem, in nobis certior eſt, quam ſi experimentum naturæ noſtræ, in mediis vitiorū conflictibus, & tanquam in præliis ac acie verſati, fecerimus. Tum verò te fortem, & temperantem, atq; continentem dicam, non ſi nunquam inter intemperantes & voluptati deditos deditos verſatus ſis, domiq; tuæ tanquam cicada meridiana latitans, ſucco ſuo, tenuiter vixeris, ſed ſi inter ipſos Penelopes procos, inter Lapitharū vaſtos calices,

lices, inter Circæas pecudes, inter medias *Si*-renes, continentiam tuam ſervaveris, ſi cum Ulyſſe à Calypſo, ſi à Circe inviolatus redieris, eo enim Ulyſſis peregrinatio illuſtrior, eò glorioſior, quò majore cum periculo & diſcrimine conjuncta. Hoc igitur modo peregrinandum nobis eſſe cenſeamus ut quemadmodum Rhodanum fluvium, per Lemannum lacum, aut quemadmodum Arethuſæ fontem, per mare delabi, neq; extera ſalſugine, aſpergi, neque puritatem aquæ mutari videmus. Ita diverſorum morum nationes obeamus, ut ab omni perverſorum morum contagio intacti revertamur. Sed quid illis reſpondebimus, qui peregrinatione pecunias exhauriri quiritantur? Qui verò illi? qui nihil beatum, nihil glorioſum, nihil fortunatum, nihil expetendum, præter divitias arbitrantur? Indigni quidem iſti homines, quibus alium ſenſum natura largiatur, qui veris illis & æternis opibus, virtute, prudentia & rerum maximarum ac utiliſſimarum ſcientia, quæ peregrinatione acquiruntur, quam nummis ſuis carere malunt. Digni profectò qui cum pluto ſuo, & claudi & cæci perpetuò maneant, neq; naturæ beneficiis, quæ peregrinatione percipiuntur, neq; ullis ſuavitatibus perfruantur. Quaſi verò alea & frit illus, otiumq; domeſticum, domeſticus luxus,

His domeſ-

domeſticæque helluationis gurges, peregri-nationis neceſſarios ſumptus non longè ex-ſuperet. Eadem prodigalitatis vorago do-mi eſt, quæ foris, eadem dilapitandi fortu-nas ac patrimonia occaſio, eædem ſodalita-tes, eædem menſæ ac patinæ. Verùm & me-ticuloſos nonnullos audiamus, febres ſuis ti-ment, morbos timent, mortem timent, cur foris magis, quàm domi? An nulli pereunt? domi nulla lues? nulla phriſis? domi nonne peſtes & contagia plerumque vehementiora? Cur n. domo toties fugimus, & foris vitã, tan-quã in aſylo quærimus? Quot morborum ge-nera domeſtica quies parturit? domi arthri-tis, domi chiragra, domi potagra, domi phtyſes dominantur, domeſticum hemicy-clum, domeſticos pulvillos, & molliores le-ctulos comitantur, quæ nonnunquam ſolo motu, & peregrinationis curſu ſanantur. An vero vitæ noſtræ præſidium, domi, quàm foris, haberi majus aliquod opinamini? cùm tamen ipſi angeli, magis cum exercitibus, nobiſcum peregrinentur, fatorum que no-ſtrorum ſummus ille rector ſemitam noſtrã gubernet, in Ægiptum puer Jeſus nobiſcum fugiat: ex Ægypto, ignea columna nobiſcum redeat: in navi nobiſcũ frater & Deus noſter Chriſtus ſedeat: Jonam & Paulum ſuum mi-

raculoſè tempeſtatibus eripiat: hoſtes & Eſavos noſtros, nobis nolint, veliat, conciliet: & latronibus vitam noſtram liberet, ipſe vulneratus in diverſorium deducat, ipſe curam noſtri ſuſcipiat, ipſe quoque denarium hoſpitii pro nobis ſolvat. At philtra, inquis, & venena foris timeo: cur minus eadem domi? Domi etiam noverca eſt, domi ſagæ multæ, & veneficæ, domi odia & inimicitiæ. Quam multi domeſticæ calamitatis ac miſeriæ, capitalisq; periculi effugium atq; extremum ſolatium, in peregrinatione quæſiverunt? Domeſticas inſidias ut evitaret, peregrinationi ſeſe Jacobus Patriarcha committebat. Sed quid detineo vos longiùs quàm velitis? Nihil obſtare vobis amplius video, portæ patent via omnis patefacta eſt: *Sequamur prudentiſſimum conſilium Apollonii, qui adoleſcentibus convenire ait, non ſecus, ac ſi patria ſua pulſi eſſent, peregrinari:* Foris literarum & artium omnium cognitionem, foris ſcientiam, foris prudentiam, foris morum ac linguarum cultum, foris conſilium & actionem, rerum omnium experientiam foris petamus: inde parentibus noſtris gaudium ac ſolatium; familiæ decus, ac ornamentum: amicis ac neceſſariis oblectamentū: inde reipublicæ commodum & utilitatem: inde nobiſmetipſis gloriam ac honorem immortalem,

referamus: vitam denique noſtram, quæ re vera nihil aliud, quàm aſſidua peregrinatio eſt ad extremam, illam ac cœleſtem peregrinationem, plurima harum terreſtrium profectionum conſuetudine, præparemus.

ORATIO VI.

Recitata à

CAROLO CLAVR NOBILI HASSIO.

Non eſſe peregrinandum.

SI quis antea, humaniſſimi auditores, mirabatur, quid eſſet, quòd prudentiſſimorum veterum legislatorum ac Reip. moderatorum nequaquam pauci inventi fuerint, qui civibus ſuis omnẽ peregrinandi & ad regiones exteras, in civitates ac regna aliena evagãdi viam interclusã voluerint: ille ex hoc tempore mirari deſinet, ſi oculos ac animos in ſtatum hodiernum propè omnium civitatum converterit. Nam ut deſiſtatis de tot miſeriis & periculis cogitando recordari, ſi modò intueamini omnes Reſpub. ſi omnes provincias, omnes ditiones, omnes regum ac princi-

pum aulas, omneſq; urbium domos ac familias contemplemini, nulla profectò re magis alia, quàm effrenata illa in Italiam excurrendi, Galliam inviſendi, Angliam peragrandi, Hiſpaniam luſtrandi, Turciam pervolandi, ad Gades, ad Sauromatas, ad Moluccas, ad Japonas uſque ex Imperio hoc auguſtiſsimo proficiſcendi, omnes Inſulas, omneſque terrarum orbis angulos, & neſcio quò non, perreptandi licentiâ & conſuetudine corrumpi, plurimùmque conturbari, neque tandem nõ interire animadverteris. O peſtem! ô labem! ô matrem vitiorumque magiſtram evagandi illam conſuetudinem omnium! clauſtris & repagulis coercendam! uncis & hamis inhibendam. At quid ita? Illud, auditores, ut plenius intelligatis, quantum temporis patietur anguſtia, meique ingenii feret tenuitas, brevibus exponam, ſi tantillum à vobis precibus impetravero, ut, ſi quas fortè amicus & collega meus præcedente ſua blanda oratione humeris veſtris alas, aut ſi quæ talaria pedibus affixerit, ſi quas ocreas tibiis veſtris induerit, ſi quas portas aperuerit, ſi quod iter patefecerit, tamdiu differatis, animoſque veſtros quodammodo jam peregrenãtes domũ paulisper revocetis, & his cõtenti parietibus huic orationi meæ tranquillas & benevolas

Exclamatio detestandi peregrinationem.

volas aures præbiatis, donec quid periculi rebus privatis, quid incommodi laribus & penatibus, quid peſtis Reipub. & univerſæ vitæ ex peregrinationibus obveniat, ex me intelligere poſſitis. Pro meo igitur ingenio, ſi quod eſt, contendam, ut tùm publica, tùm privata naufragia, & quæ ex inſtituto peregrinationis curſu incommoda magno agmine emergant, in hunc jucundiſſimum veſtrum conſpectum adducam, tùm etiam rationes, quæ ab anteceſſore meo, tanquam remigium aliquod peregrinationi adhibitæ ſunt, implumes elumpesque reddam, enitarq; ut qui alas librarint, ac abitioni ſeſe accinxerint, gladium illicò rurſum deponant, penulam exuant, & adverſus peregrinationes maximam quandam quaſi nauſeam concipiant. Principiò igitur velim mecum cogiteтis, num quid Reipub. gravius, & periculoſius accidere poſſit, quàm ſi peregrini mores, peregrina conſilia, peregrini etiam animi in eam inſerantur? ut enim ciborum alienigenarum diverſitas & multitudo non parum valetudini corporis noſtri officit: Ita etiam mores peregrini Reipub. conſtitutionem vehementer labefactant, & diſcrimen maximam abducũt. Intellexere illud Athenienſes, à quibus omnes meliores rerum adminiſtrandarum rationes profe-

profectæ, qui eam ob cauſam ne peregrinum quidem in civitatem, niſi ſex millia ſuffragiorum conſentirent, admittendum eſſe ſtatuerunt. Ne verò in re omnium clariſſima, exemplis plurimis vos detineam, ad experientiam quotidianam revocatos animos veſtros velim, quæ infelices eas reſp. omnes oſtendit, quæ moribus alienis ſubjici cogantur. Sed quodnam huic ulceri remedium, aut quod conſilium huic malo adhibebimus? Nullum certè aliud, quàm ſi noſtris civibus, illis verò potiſſimùm, ad quos faſces Reip. aliquando deferendi ſint, peregrinationibus exterorum conſuetudine interdicas, omnemq; exſpatiandi licentiam intercludas. Quantum enim hominum mentibus novarũ rerũ ſtudiũ, tantum novitatis appetitũ humanis ingeniis, natura indidiſſe videtur, ut ad illa perpetuò, quæ foris viſa, foris audita, foris agitata, foris uſitata ſint, pleno animi impetu feramur. Quid verò inde? peregrinis illecti moribus, illisq; aſſueti, ad patrios ſi reverſi fuerimus lares, mores, ac ritꝰ patrios deſpicimus, majorũ patrũq; inſtituta rejicimꝰ, veterũ leges contemnimus, priſcam Reip. formam irridemus, patriæ, quæ præ ceteris nobis cara eſſe debeat, extera alia omnia loca anteferimꝰ, nihil quod

in foro

in foro, quod in ſenatu, quod in curia, quod in tribunalibus, in judiciis conſtitutum à majoribus eſt, conſilii ac inſtituti ſani habetur. Nunc enim illud Gallicum, nunc illud Italicum, nunc illud Hiſpanicum, nunc illud Polonicum nobis magis placet. Quid verò ſi noſtri peregrinatores novam aliquam ab exteris religionem imbiberint, ſi novum cultum occalluerint, ſi novas ſuperſtitiones hauſerint, ſi nova figmenta, & neſcio quæ ſomnia mentibus inſeverint, nonnè, tanquam virus aliquod domum ſecum ea referent, nonnè cognatos, ac vicinos ſua peſtilente luè inficient, atque unà cum infectis arreptum venenum latius diſſeminabunt? Quid tùm verò? An non religionis mutationem, omnium in rep. calamitatum certiſsimam procreatricem, expectandam eſſe exiſtimatis? Profectò vera religio, & quidem una, ut ſemper una, firmiſsimum Rerump. fundamentũ eſt, quæ ſubditis fidem in principes, civibus obedientiam erga magiſtratus, liberis pietatem in parentes, ſingulis caritatem in ſingulos, omnibus juſtitiam in omnes præſcribit, eamque ſuſtentat ac propagat: E contrario autem ejuſdem diverſitas pernities omnium imperiorum & civitatum maxima, ſubditos in principes, liberos in parentes incitat, per ſceleratos &

tos & egeſtate perditos etiam fortunatiſſimis & optimis civibus extrema molitur. Hinc tot motæ ſeditiones, tot exorti tumultus, tot ultiones & lanienæ, tot nefanda ſcelera & flagitia. Teſtis nobis eſt Flandria, Gallia, Anglia, teſtis Italia, patria ipſa teſtis, nunc inteſtibus nunc vicinis bellis debilitata, exhauſta & devaſta Germania. At quibus aggeribus, quibus repagulis & obicibus hos fluctus, ne Reip. carinam invadant, avertemus? Si, auditores, ab Ethnicis diſcere nefas non eſt, antiqua Schytia ſuo exemplo, quid facto opus ſit, dilucidè monet. Cùm enim Anacharſis ex lõgis erroribus & peregrinationibus ad patrios lares ſeſe recepiſſet, atque idem Græcorum mores, inſtituta, Deos etiam alienos Schytis ſuis obtrudendo, barbaram patriam increpãdo, antiquam Reip. formam damnare, cunctaque immutare conaretur, Schytæ cautè prudenterq;, tanquã in altiſſima Reip. ſpecula cõſtituti tempeſtatẽ in ſe graviſſimã ſuſcitari, nec nõ maxima ex novitate illa imminentia pericula ruinam que reipub. proſpicientes, maturio conſilio Anacharſin è medio ſuſtulere. Atque hac quidem ratione omni liberati metu Remp. incendio jam jam deſtinatam vindicarunt, ſalvamque & incolumem præſentibus flammis eripuerunt. Quod ſi tu, ô florentiſſima quondam Italia, intellexiſſes;

tuumque Anacharſin in omnia divina & humana fraude & vi involantem, jus faſque corrumpentem, Tarpejum, inquam, tuum numen, iniquiſſimorum & nequiſſimorum capitum magiſtrum, ducem & anteſignanum, de fama, de civitatibus, de fortunis, de liberis tuis dimicantem tempori repreſſiſſes, horrendum illud Hermophroditicum jugum ſubire coacta non fuiſſes, & jam etiam Italia viveres, floreres. Ergo cùm ille felix æſtimandus ſit, quem pericula cautum aliena faciant, Schytarum documentis excitati, Anacharſes noſtros ſenſim pedetentimque irrepentes à Reip. aditu & civitatum in greſſu removeamus. Arceantur ejuſmodi novitates, faceſſant peregrini illi mores, abſint ab exteris petitæ mutationes longiſſimè: vigeant antiqua patrum inſtituta floreant leges, maneant veterum conſuetudines: priſci mores conſerventur. Nec enim ſi magno illi Platoni credendum, Reip. quicquam perniitioſius legum mutationibus eſſe poteſt, nihil contra ſalubrius, nihil conſultius, quàm ſi imperium majorum inſtitutis, altiſſimis quaſi defixum radicibus, nulla vi labefactetur, nullius novitatũ tẽpeſtatibus fluctuet, ſed adverſus omnes procellas ac turbines immotũ ſẽper ac inconcuſſũ permaneat. Hoc ipſũ Lycurgus Laconũ legis lator prudẽtiſſim9 prudẽter cõſideravit:

Qui

Qui poſtquam molrorum documentis, quid damni Reipub. ex peregrinatione afferri poſſet, didiciſſet, non tantùm Laconibus ſuis ea penitus interdixit; verùm etiam omnes merces peregrinas à litore ſuo removit, ne fortè quicquam peregrini unà cum mercibus & conſuetudine exterorum inveheretur, minimè dubitans, tamdiu Rempubl. felicem ac beatam fore, quamdiu legibus ſemel poſitis, tanquam æternis fundamentis, inniteretur. Sed ne in ſolo Laconico exemplo orationis meæ firmitudinem poſitam exiſtimetis, ipſi velim conjectis mecum oculis veſtris in cuncta regna & imperia animadvertatis, eas Reſp. quarum cives domi ſine exterorum commertiis & conſuetudine tranquillè vixerint, & diutius floruiſſe & ſine ſeditionibus, ſine tumultibus, ſine incendiis domeſticis ſtetiſſe: corruiſſe verò illico eas, quas peregrinatio, tanquam peſtis, invaſerit Sybaritarum Rempubl, quis veſtrûm eſt, qui non audierit, ſummis deliciis ac voluptatibus floruiſſe? Quàm beatam, otioſam & tranquillam illi vitã egiſſe prædicãtur? quis enim ſõnos & quietẽ Sybaritarum non cognovit, facilitatẽ non percepit? Noſtra etiamnum proverbia, menſas Sybaritarum, Sybaritarũ cõvivia & invitationes loquuntur: Hi verò, ut illã ſibi felicitatem perpetuò cõſervarẽt, omnẽ peregrinãdi

viam ſuis obſtruxerunt, nihil peregrini, novi nihil, alieni nihil, quod reip. mutationem ac viciſſitudinem afferre poſſet, admittere, atque adeò nequidem peregrinas illas artes, quæ cum ſtrepitu exercentur, imò neque gallum gallinaceum, qui ſomnum interpellaret, in civitatem aliunde recipere voluerunt. Senſit hoc barbarus quidem, ſed hujus rei, ut videtur, prudentior Moſeovita, qui civibus ſuis, ne ad exteros vagarentur, omnes exitus graviſſima pœna occluſit, nullam, haud dubiè, ob cauſam aliam, quàm ne Peregrinis moribus illecti, patria inſtituta ac conſuetudines deſertum irent; ne Rempubl. novis inſtitutis externisvè legibus infringerent, everterent. Idem ſi olim attendiſſent Vandali, intellexiſſent Hunni, obſervaſſent Longobardi, illorum regna & imperia fortè non ſublata, nec ab ima ſtirpe extirpata eſſent. Quid verò nunc mirum, potentiſſimas illas gentes funditus delatas, quæ univerſum orbem pervagando nuſquam ſedem ſtabilire, nuſquam lares, nuſquam focos & penates figere potuerunt. Quemadmodum enim penulæ, quemadmodum petaſi, quemadmodum calcei noſtri itinerum longinquitate conſumuntur; quemadmodum ipſe corporis vigor, laborisque firmitudo peregrinationis curriculo conteritur; Ita quoq; maximas profectò

popu-

populorum vires, niſi unitæ, & in uno quaſi corpore & ſtabili imperio, ac domeſtica tranquillitate contineantur, ſed ſi erroribus atq; exiliis circumagantur, vagisque luſtrationibus & fluctibus peregrinationum jactentur, quàm maximè attenuari & confici conſpicimus. Sed quid in univerſis populis & regnis hujus rei calamitates oſtendo? cùm ſepè unius hominis peregrinatio etiam imperium everterit potentiſſimum. Alexander, Priami filius, in Græciam peregrinatur: è Græcia quid boni domum reportat? Facem imperii ſui Helenam: Quantum & quàm diuturnum hinc ortum bellum, quantæ deflagrationes, quanta excidia, in quibus tot heroës miſerrimè occubuere, interfectus magnus Achilles, occiſus Hector, interemptus Ajax, exuſta potentiſſima arx Phrygiæ, devaſtatum totum imperium. Quæ quidem omnia etiam nunc fortè ſtarent & floreſcerent, ſi incontinentiſſimum tuum filium, Priame pater, domi continuiſſes. Nobilitata hiſtoriis eſt Leuctrica illa Thebanorum clades, quæ certè non contigiſſet, ſi portas ſuas Thebani peregrinationibus occluſiſſent, neque paſsi fuiſſent adoleſcentes ſuos hinc inde ocioſè pro libidine expatiari. Cui enim non auditum eſt duos Thebanorum juvenes, cùm fortè in Leuctricum agrum peregrinati eſſent, ad domum

Scedaſi veniſſe, & abſente patre, à liberis hoſpitio honorificè exceptos eſſe, filias verò non ſolùm ab ipſis contumeliosè habitas & ſtupratas verùm etiam miſerrimè trucidatas, ac in puteum fuiſſe abjectas? Notæ ſunt patris miſerrimi querulæ, notæ Lachrimæ, quas cùm Thebani irriſui haberent, nec tanti facinoris atrocitatem perſequerentur, juſtiſſimas tandem, bello petiti & ſtrage affecti graviſſima, pœnas luerunt. Nolim plura ejus rei exempla commemorare. Rarùm enim non eſt & quotidiana rerum magiſtra experientia ipſa loquitur, humanam naturam ad quævis vitia proclivem, eamque, niſi legibus, tanquam frænis & catenis coërceas, in ferinam facilimè transmutari. Videmus enim etiam eos, qui in domeſtica diſciplina aliquando ſtrictiùs & ſeveriùs educati fuerant, ſimul ac foras proruperint, & habenas patenumq; jugum cervicibus ſuis excuſſerint, continuò alienis moribus, laxioreque vivendi diſciplina effuſos nequitiæ ſe totos dedere, & cuſtode ac inſpectore remoto, omnem pietatis curam abjicere, ſtudiis honeſtis nuncium remittere, aleæ, abdominis ac inguinis voluptatibus incumbere. Ex quo quidem omnibus peregrinantibus illud mihi convenire videtur quod de Epidamniis apud Comicum legitur, quos ea re ita appellatos eſſe ſcribit, quod nemo ſine dma-

ne damnis ad eos divertatur. Redeunt enim noſtri, qui antea frugi erāt, cum ſociis Vlyſſis voluptuarii: redeunt in ſues, in urſos, in leones, in ſevas belluas converſi: redeunt qui antea contiuentes erant, ab Aſiaticis & á Cyrceis inſulis libidinoſi: redeunt in hircos mutati, mœchi & adulteri, redeunt à Pœnis fœdifragi, leves & inconſtantes: redeunt à Campanis cū Hannibale, delicati, fracti, diſſoluti. Non verò dicam alia non minora pericula, quæ peregrinantibus vehementer per pertimeſcenda. Tacebo infinitos morbos, quibus infecti revertuntur, & quibus nonnunquam totam domum & familiam inflammant. Philtra & pocula, quæ à Medea & Thaide propinantur, prætereo. Sed hoc omittere non poſſum, quin ex vobis quæram, an fortè nemo veſtrū ſit, qui non, vel fratrum, vel cognatorum, vel amicorum aut familiarium ſuorum aliquos, vel in Italia, vel in Gallia, in Anglia, in Dania, vel aliis inregionibus amiſerit? aut qui ſi foris non occubuerunt, mortem tamen domum aliunde non retulerint, maximosq́; dolores cœperint, quòd graviſſimis morbis decocti, nūquā cū priſtina valetudine in gratiā redire potuerūt. ſed tū ſibi, tū Reip. peregrinatione inutiles facti, āte diem immaturo fato erepti fuerūt. Atqui nec ego quidē nō paucos & principes, & comites & barones, plures nobiles etiā

 adoleſ-

adoleſcentes interiiſſe è fide dignis percipi, & ipſe cognovi, quorundamque etiam miſeriam ac calamitatem ad huncuſque diem ſiccis oculis & ſine lacrymis intueri nequeo. Præclaros certè peregrinationis fructus! præclara itinerum viatica! præclaros perluſtrationum theſauros! Hæc ſunt illa ſcilicet aurea vellera, quæ ex longinquis erroribus domum reportantur? An non potiùs imitandus *Socrates*, qui Athenis nunquam exceſsit? magnifaciendus Pomponius Lætus, qui ex Italia ſua pedem nunquam extulit, navem nunquam conſcendit, maris murmura nunquam audiit, fluctuantem undam nunquam vidit. Felicior judicandus Agelaus Phoſphidius, quòd agello ſuo nunquam egreſſus. Sed omnibus aliorum judiciis ac conſiliis tanquam divinum aliquod oraculum, præferendum mihi eſt illuſtriſsimi ac potentiſsimi Principis Wilhelmi, Langravii Haſsiæ, auguſte recordationis judicium, cujus omnia & facta & dicta, *Salomonis*, ut appellatus etiam ab exteris principibus eſt prudentiam longè ſuperare videntur, qui illuſtriſs. & potentiſs. Principem ac D.D. Mauritium Haſſ. L. dominum noſtrum clementiſsimum, filium ſuum chariſsimũ, & ſucceſſorẽ feliciſsimũ, quem omnis virtutis & prudentiæ exemplar relinquere nobis voluit, eam ob cauſã peregrina-

tionũm

tatioum contagiis ac periculis. ut maximè ea indoles erat, de qua nihil timeri poſſet, objicere recuſavit. Utinam verò idem perſuaderi omnibus aliis principibus Germaniæ poſſet ut Italicis excurſionibus, Gallicis ac Hiſpanicis luſtrationibus abſtinerent, & quàm præclarè cum Germania noſtra agi tum poſſe exiſtimabimus? Nam, ut me ad communem noſtram patriam convertam, quid quæſo ab antiqua ſimplicitate, ab antiquis moribus, qui à Tacito, à Julio, aliisq; veteribus tātopere commendantur, eam adeò deflexit & immutavit? immutavit peregrinatio. Quid tantam rerum omnium viciſſitudinem in noſtram Rempub. invexit? invexit peregrinatio. Quid peregrinam iſtam levitatem ac inconſtantiam antiquæ illi Germanorum ſeveritati, priſceque gravitati immiſcuit? immiſcuit peregrinatio. Quid amictus veſtiumque illam varietatem? quid pileos Italicos, quid thoraces Hiſpanicos, caligas Gallicas, quid pallia manicata, recinia cucullata, quid ventres illos cyclopicos, quid collaria coloſſica, quid calceos roſtratos, quid cirros, quid crines calamiſtratos, quid aures ſubula perforatas, easq; unionibus margaritisq; artificiosè elaboratis oneratas, quid manicas illas Belgicas, quid ſtolas fluentes, & metricio more, novis farciminibꝰ extēſas, quid ampla & laxa brachialia,

quid deniq; omnem illam pompam veſtiariam antea incognitam invexit? invexit peregrinatio. Quid iſtas ſumptuoſas lautiſſimasq; cœnas Luculleos conviviorum apparatus, quid Perſicos illos luxos, quid dapes illas exteras, quid contimenta illa ab indis extremisque Arabiæ finibus acquiſita, quid Apicianas illas delicias, quid immoderatam illam gulæ, imtemperantiam, omnium ſcelerum vitiorumq; principem, in menſas & focos Germanorum adduxit? adduxit peregrinatio. Quid illa majoribus noſtris inaudita voluptatum genera, quid auribus prioris ævi execrandos libidinum modos, infames Elephantidos libros, quiluſtra, ganeas & lupanaria in Germaniam introduxit? peregrinatio. Quid tot hæreſes, tot ſectas, tot religionis monſtrã aliaq; innumera foris nata, & adulta venena in Germaniam diſperſit? peregrinatio. Quid morbum Gallicum, ſudorem Anglicum, Africanam lepram, aliasq; quàm plurimas labes, & contagia ex India, ex Hiſpania in Germaniæ viſcera deduxit? peregrinatio. Videtis igitur omnium mutationum, omniũ in Rep. converſionum, omnis ſuperbiæ & intemperantiæ, omnis libidinis auctorem & procreaticem eſſe peregrinationem? Vides hæc Germania? vides & intelligis? nec portas tuas obſeras, vias tuas intercludis, non adole-

ſcentes

ſcentes tuos cohibes, nõ omnibus illis excurſionib9 interdicis? nihil e movet, nihil omninò affligit, cùm juveniles illos animos exterorum corumpi conſuetudine, & ab aliis leviores, & aliis immaniores & truculentiores, ab aliis libidinoſiores, & ad omnes voluptatum illecebras procliviores reverti videas? Quotus enim quiſque ex Italia non, tanquam è Circes impura domo, & aliqua Calypſo, depravatus nobis redit? Quis Româ nõ reverſus nequior, quis non improbior? Conſultò hic prætereo, quã plurimi peregrinationum tempeſtate abducti, non fortunarũ ſolùm omniũ, verùm etiam quod omniũ calamitoſiſſimum eſt, animæ ſuæ naufragium fecerint: Numerare poſſem plurimos, qui foris apoſtatæ facti, facti patriæ proditores, facti etiã Iſauris & Aſſaſinis crudeliores: Quam multi non ita pridem in Turciam animi gratia profecti, animam ibidem perdiderunt. Mahometicáq; illam improbitatem amplexi ſunt? Et quid majoribus orbẽ noſtrũ exponit proditionib9 quã peregrinatio? Conſilia noſtra forâs efferũtur, machinæ, arma, æs, & ferrũ quibus oppugnamur, omnia exportâtur: ipſa etiã frumenta noſtra, pecudes noſtræ, foci & coqui noſtri, dũ peregrinâtur, peregrinatione ſua nobis famẽ & inediã, atq; omniũ illarum rerum, quas ipſi laboribus noſtris acquirimus, quas ſtudiis noſtris congerimus,

quæ agris, in ſeptis, in villis ac prædiis noſtris naſcuntur, annonam ac caritatem & penuriam nobis inferunt. Imperiales autem argento puro, puto, excuſas imagines, aureosq; Rhenanos, ultra Rhenum & Danubium, ultra Euxinium, quanto cum damno noſtro peregrinari patimur? Expergiſcere tandem, expergiſcere Germania, & quanto tuo cum periculo, quantis cum incommodis hæc permittas, perpende. Quantam tibi ipſi opum & facultatum tuarum inopiam provocas? Quantam injuriam tibi ipſi infligis, dum quæ tuæ fortunæ cō ceſſa, divinitusq; tibi data ſunt, ut ex mōtibus ac fodinis tuis eruantur, tantisq; periculis ac ſudoribus comparentur, contra te tuasq; fortunas ad exteros & hoſtes tuos infenſiſſimos transferas? Reſpice te, reſpice tandem, patria, & quanta cum imperii noſtri jactura illa fiant cogita. Angliæ verò prudentiā quis non majorem deprædicet? Illa enim, ut neque ſine permiſſu principis procerum ſuorum liberos è regno, proficiſci, ita nihil minùs quàm nummum ſuum evagari, & aliorſum peregrinari permittit. Idem tibi, Germania, faciendum eſſe arbitreris, ſi Remp. tuam contra ruinas imminentes ſuffultam velis: Abeunt noſtræ opes, diffluunt bona noſtra, exportantur pecuniæ: at qui referunt? Nihil profectò, niſi quod ad nunquam perveniſſe præſtaret:

Rede-

Redeunt ad nos aliunde texta ſerica, veſtes bombycinæ, panni pretioſi, pompæ inanis & ſuperbiæ inſtrumenta: redeunt aliunde aliæ nugæ, & ineptiæ, quibus carere & poſſumus, & carere iis debemus, ſi majorum mores ſequi, noſttamq; Ramp. ſalvam ac incolumem eſſe velimus. Sed quis omnia mala & incommoda, quæ peregrinationi accepta feruntur, & in Remp. magnis fluctibus redundant, oratione perſequatur? Ego verô, ne de orationis conquirenda copia magis, quàm de veſtra fugienda ſatietate ſolicitus eſſe videar, his aliisq; detrimentis publicis miſſis, ad privata me convertam, & quos ſcopulos peregrinationis ille curſus ad domeſtica littora afferat, quas tabulas in re familiari, tanquam in navicula confringat ac diſſolvat, quibus rupibus & ſaxis carinam allidat exponam. Quid enim ſingularum domorum limina ac parietes magis labefactat? Quid ſingularum fortunarum felicitatem in pericula & tempeſtates crebriùs conjicit? Nonne peregrinatio? Certè: illa enim niſi fortè hoc munus ad publicum detrimentum minimè pertinere exiſtimabimus, quantum temporis abſumit? qui literis, qui ſtudiis honeſtisq; exercitiis, qui laboribus & occupationibus neceſſariis impertiri ac impendi poterant anni, quorum jactura omniũ maxima eſt, (nihil enim tempore, pre-

tioſius eſſe ſapientes clamitant) otioſis erro-
rum curriculis & ambagibus conſumuntur.
Quid hic, quæſo, Attici, à quibus omnis be-
nè vivendi ratio petita, petitæ rectè vivendi
normæ ac leges. petiti mores, quid illi in-
quam, ad hæc, qui neq; eos, qui in foro otio-
sè ſtabant, aut qui dici & horis verba dabant,
tolerare potuerunt? Tolerarent, credam, il-
los, qui circumcurſitationibus ſuis optimam
vitæ partem contererent? minimè omnium.
Sed quid temporis detrimenta recenſeo? cu-
jus accepti & expenſi rationem nemo ſubit
nemo tempus male collocatum ad calculum
& abacum revocat? peregrinatione opes &
facultates exhauriuntur, rei familiaris curæ
negliguntur, patrimonia lauta & copio-
ſa effunduntur, res majorum ſudore & indu-
ſtria conquiſitæ peregrinationis otioſæ ſtudi-
dio imminuuntur: equi emuntur, phaleræ
comparantur, currus & thedæ adornantur,
comites conducuntur, magnis ſumptibus alũ-
tur in diverſoriis ſodalitates & illecebræ
ad helluandum, ad ſcortandum, ad luendum
quam plurimæ offenduntur, lites & rixæ ad
vulnera & cędes exoriuntur, loculi emun-
guntur, contrahitur æs alienum, ad paren-
tes, ad tutores, ad agnatos, ad amicos, ut ſuos
nexu liberent, literæ mittũtur: prædia, urgen-
te caſu minoris venduntur, bona, fortu-
næ, domicilia diſtrahãtur uſurpare indies cre-

ſcunt, cauponæ inſtant, nomina duplicant, nummi domo miſſi nondum liberant, mittuntur iterum, qui pecunias allatum eant, mittuntur tertiò, & ut ſummatim dicam, peregrinationis vorago omnia tandem conſumit. Quæ enim Scylla, quæ Charybdis, quod fretum tam vorax, quàm peregrinatio? Audiantur hac de re ſenum indignationes, audiantur parentum ex magnis opibus ad extremas anguſtias redactorum querimoniæ: Interrogentur à prioribus dominis & à vetuſtis familiis ad novas inſcriptiones & titulos, trãslari lares, penares, domus, foci, villæ, agri, & prædia? ad peregrinationis ſcopulos alliſa ea omnia eſſe intelligeris. Quàm pauci autem hodierno tẽpore reperiũtur. imò pauciſſimi, qui vel cũ nullis aut parvis viaticis, cũ Theſeo egreſſi, maximas opes & regna foris referant, qui cum præter baculum rerũ nihil domo paterna extulerint, maximos greges & facultates cum Jacobo reducant? pleni quidem a nobis noſtri exeunt, inanes verò redeũt. At licet quis frugi & rerum ſuarum diligens, quærendarumq; opum etiam apud exteros ſtudioſus inveniatur, eamq; ob cauſam longinqua itinera ſuſcipiat, nunquam eò tamen quò inſtituit, pervenire facilè poteſt: uno ſæpiſſimè momãto, nave everſa, omnib. orbatur bonis; & vita etiã ipſa nõ rarò privatur. Maris a, injurias taci

tus præ-

tereo, & ad terreſtres fluctus devenio. Quid hic ſylvas & nemora dicam intuta? Ipſe etiam conſulares viæ infeſtæ rapinis & latrociniis, ſunt; In ipſis oppidis & urbium regionibus prædonum & furum inſidiæ reperiuntur, atque hi, ſi quem adorti ſunt, non bonis ſolùm exeunt, & Liberide nudiorem relinquunt, verùm etiā vinculis conſtringunt, vitæq; redimente ingentem pecuniæ vim imponunt, ad quam deniq; perſolvendam vix ampliſſima etiam patrimonia ſufficiūt. Quid reliqua peregrinationum incommoda commemorem? cùm hæc, quæ modò à me enumerata, tanta ſint, ut domorum noſtrarum egreſſus obſecrare, repagulis munire, peſſulum foribus objicere, atq; omnes elabendi fores occludere meritò debeamus, ſi modò nobis ipſis, & liberis & facultatibus noſtris benè conſultū velimꝰ. Taceo præterea occaſiones præclaras honeſtarum conditionum, quæ domi ſingulis momentis offerri poſſunt, interea temporis atque loci amitti, pinguesq; fortunæ bolos, qui ad omnem vitam lautius & commodius agendam pertinebant, ab aliis tibi præripi, amores tuos aliorſum transferri, in aliorum matrimonia & amplexus deſiderium tuum collocari. O crucem & miſeriam peregrinationis incredibilem! plenæ ejūſmodi querelarum commædiæ, plenæ hiſtoriæ, plena

plena quotidiana vita. Sed iſta major calamitas, quæ Menelao peregrinati accidit: corrupta uxor, corrupti liberi. Ipſi Lucretiæ, dũ Collatinus abeſt, vis & injuria infertur. Penelope dum Ulyſſes peregrinatur, à procis attentatur, peregrinatis domus exhauritur, familia conſtupratur. Alcmena, dum Amphytruo foris in caſtris agit, violatur, & caſta eſſe deſinit. Quid verò parentum referam ſollicitudines, quas ex peregrinationibus liberorũ concipiunt? Quid noctes inſomnes, quid dies anxios memorem? Nunc maris pericula, nunc ſcopuli, nunc ſyrtes ventorumque fluctus occurrunt: nunc illa, quæ in continenti fiunt, naufragia ſebeunt, ſylvas & lucos inſidiarum plenos cogitant: nunc caſus & præcipitia, & fractas ex equo cervices, nunc vulnera & cædes ſomniant & ſæpe præſagiunt. Tobiam articulos horarum digito metientem, quampiu filius in itinere eſt, curis inſqualere vides Patriarcham canos ſuos velliſſe, fontibusque lacrymarum immaduiſſe, cùm puer, quem domo emiſerat, emanaret, & miſerrimo modo propè diffluxiſſe legimus. Alios deſiderio abſentiũ liberorũ enectos accepimus. Atq; hæc illa ſunt, quæ tũ publicè, tũ privatim peregrinatio cõfert emolumẽta, hæc cõmoda hæ utilitates, de quib9, ut maximè homines ta-

cent, omnes colles, montes & valles, omnia freta loqui non deſinent. Ego verò, cùm conſidérem, non quid argumenti copia requirat, ſed quid vel mea præſtare tenuitas, vel temporis anguſtia, in qua conſtituti ſumus, ferre queat, cuncta quidem ſtrictim breviterq; indicare, quàm pro dignitate ſingula tractare & órationem ſua ubertate dilatare velim. Veſter enim ille, auditores, in me animorũ oculorumq; conjectus meam quodammodo dictionem abſorbet, meq; tacitè hortatur, ut ad ultimam orationis meæ partem accedam, faciamq; ut remotis præcedentis orationis illecebris, omnes omninò ſuas peregrinationi alas evellam, ſimulq; refellam, & ab imo talo ea infringam atque teleam argumenta, quæ profectionis pruritum omnium maximè ſoleant excitare. Quid autem primò ad jucunditatem collegæ mei reſpondebo? Miror equidem ſummoperè jucunditatem aliquam hic fingi & excogitari. Inquiramus enim, ſi qua in peregrinationis curſu ulla amœnitas, ulla ſuavitas eſſe poſſit. An in eo voluptas ulla conſtituta eſt, ſi rheda hinc inde jactemur, & per paludes, per torrentes, per voragines, ſos fluvios, per lutulentas regiones rapiamur, ſi in cœnum ejiciamur, aut grallatore aliquo & calcitrone quadrupede vehamur, ſi ad interiginem uſque equitando quatiamur, ſi nunc ſole & canicula torreamur, & ad Æthi-

opum colorem pingamur: nunc gelu ac hyemis inclementia obruamur, ſi quandoque pedes, manus, brachia frigoris vehementia amittamus, ſi pluvias & nives ſufferamus; ſitim & inediam graviſsimam ſuſtineamus.

An verò jucunditatis quicquam habent, montium altiſsimorum laborioſæ aſcenſiones, anhelitus, crurumq; fatigationes, receptiq; intra calceos itinerum difficilimorum calculi, aut denſiſſimorum & ſalebroſorum nemorum horrores & formidines? Aut oblectare quempiam poſſunt in ſolitudinibus rugientes leones occurrentes urſi, aut famelici lupi? At fortè voluptatem quantam afferunt ambages, & itinerum anfractus, vel ſemitarum incertitudines, vel illæ inter ferarũ luſtra & fremitus, in tempeſtatibus & altiſſimis nivibus pernoctationes? An verò in eo ſe peregrinationis ſuavitas potiſsimùm oſtendit, in ea voluptas palmaria ſeſe extollit, quòd in tabernis & diverſoriis ad mediam ſæpe noctem cœnæ mora ſtomacho tuo ſit perferenda, quòd crudis & rancidis Veſcendum, quòd vappa & acetum bibendum, quòd ad menſam præ nimio frigore glocitandum, inter caupones, ſtabularios, nautas, ruſticos, ſorditos & infames accubandũ, inter ſterquilinii fœtores, inter haras & bovilia dormiendũ, ſtragulis ſanie, ulcerũque impuritate

rigentibus incumbendum. O miſeram profe-
ctionum incredibilem! ô Syſiphi ſaxa! ô Her-
culis labores! ô Augiæ ſtabula! Quæ verò
imponi graviores pœnæ, quæ ſupplicia majo-
ra infligi poſſint? Si quid enim jucunditatis
aut voluptatis peregrinatio aleret; Soraſpes,
quòd Zopiri illuſtriſſimi filiæ vitium intuliſ-
ſet, ad peregrinationem univerſi orbis ſuſcipi-
endam à Xerxe rege damnatus non fuiſſet:
Nec crucis pœnâ pœnam majorem Peregri-
nationem eſſe, Xerxis mater, fœminarum
prudentiſſima, judicaſſet. Nec verò exilia ac
relegationes, nec veterum Græcorum oſtrà-
ciſmi acerbitatem pœnarũ & ſuppliciorũ ali-
quã tenuiſſent, nec à majoribus tanquã præ-
mia ſcelerum & flagitiorum inſtituta eſſent,
ſi quam dulcedinem & voluptatem in errandi
& totũ terrarũ orbem pervagandi, & apud ex-
teros commorãdi ſtudiis ac conditionibus, ſi
quam in longiſſimorum itinerum confectioni
bus conſtitutã eſſe cognoviſſent. Nec Catonẽ,
ſapientem, opinor, pœnituiſſet unquam navi-
gationis, ſi quid maritima luſtratio, ſi vela &
antennæ, ſi fluctus & ſcopuli, ſi tempeſtates
quid afferrent, quod animũ hominis volupta-
te & lætitia afficere poſſet. At eximium eſt,
inquis, exterarum regionum linguas addiſce-
re, & quæ vel artem vel antiquitatem ſapiant,
videre, multorum populorũ leges, inſtituta ac

mores

mores cognoſcere, præclarum eſt oppida populoſa ſpectare, mœnia fortiſſima tueri, turres altiſſimas contemplari, ædificia artificioſè extructa luſtrare: lepidiſſimũ eſt in pulcherrimis campis ſpaciari, jucundiſſimũ comitũ affabilitate & ſuaviſſimis colloquiis frui. Profectò de effreni peregrinantium loquacitate & ineptiis, nemo eſt qui dubitet. Quamprimùm enim è conſpectu patrii fumi ultra littora ſua progreſſi nonnulli ſunt, aut Gallicos, aut Italicos, aut Hiſpanicos, aut Anglicos habitus ſumunt, unum atq; alterum peregrinũ verbum ediſcunt, plumis & criſtis, tanquam contra grues cũ Pygmæis in India depugnaſſent, & victoriam alitumq; ſpolia retuliſſent, capita exornant, domum verò reverſi, quos non Alcinoi apologos, quas nõ fabulas, Dodonæo ære loquaciores, commemorãt? Nunc formicas vulpium magnitudine, nunc dracones, gryphes, nunc homines tam inſigniter auritos, ut aures ad pedes defluant, quarum duritie arbores etiam excelſiſsimas convellãt in novis inſulis & alibi viſos referunt, & quæ neq; ſũt, neq; fuerũt, neq, futura ſũt, pro certis affirmant. Sed quid apud prudentes impetrãt? Illud, quod garrulus iſte ab Ariſtotele: apud quẽ cùm quiſpiã multũ diuq; nugatus eſſet, tãdẽ dixiſſet: fortaſſe obſtrepo tibi meis ſermũculis: philoſophus, non hercle, inquit,

neque etiam adverti animum. Illud enim præmium loquacitatis eſt, ut ſe ſuſpectã reddat mendacii, & fide deſtituatur: digni profectò illi, ut ad Locrenſes relegentur, qui tũ nova ferentes, tum nova ſciſcitantes ſeveris pœnis afficiebant. Quid autem porrò, bone vir, comitum tuorum affabilitatem mihi prædicas, quæ vel ipſo nigro cygno rarior eſt? Verſutiam potius & perfidiam illorum, moroſitatemque, quibus plena ſomnium ora, omnes libri, omnes hiſtoriæ, indicare velis. Aut quid delicias, quid regiones, quid turres, quid ædificia, quid fluvios, quid prudentiam, & neſcio quam rerum ſcientiã nobis narras? Quaſi verò delicias non majores, domeſtica tranquillitas, reiq; familiaris, laris & penatiũ felicitas, patriæ & parentum caritas, uxoris & liberorum ſuavitas, fratrum, cognatorum, affinium & amicorum ſocietas, quàm externa illa fluctuatio, & deſultoria iſta de loco in locum migratio, contineat. Ex illa enim parte facultates & fortunas: hinc inopiam & egeſtatem, illinc ſatietatem ac ubertatem: illinc famem & nuditatem: hinc fidem & amorem: illinc perfidiam ac iram: hinc favorem, illinc odium: hinc benevolentiam, illinc malevolentiam: hinc fiduciam, illinc metum: hinc æquitatem, illinc iniquitatem: hinc bonam valetudinem & vitam, illinc maciem & morbos

ac mortem obvenire tibi videbis. Quid verò Babylonicas turres, quid capitolia, quid coloſſos, quid pyramides luſtratum exis? Tantine tibi ulla ſaxa & lapides eſſe videntur, ut horum cauſa tantis te moleſtiis ac laboribus objicias? Aut tibi tam vilis tua anima habetur, ut ruderũ antiquorũ viſendorũ gratia vitã in periculũ conjicias? Quaſi illa non multò melius poſsint ex tabulis & deſcriptionibus geographicis, ex picturis & imaginibus ad vivũ expreſsis, & domi in parietibus noſtris affixis, cognoſci. Ita enim Romanos, à quibus nobis omnis civilis prudẽtia relicta eſt, omnium terrarum ſpatia oculis peragraſſe, animoque percurriſſe, montes, valles, fluvios, regiones, populos, urbes, arces, vicos & villas toto, orbe cognoviſſe, accepimus, cùm quotidie in foro, ad curiæ valvas, omnes, quæ ubique victæ ab ipſis & domitæ eſſent, gentes, pictas & ſculptas intuerentur. Atque ea perluſtratione uſi doctiſſimi quique veterum perhibentur: uſi hiſtorici, quorũ alii, cùm pedẽ nũquã finibꝰ ſuis extuliſſent, facẽ tamẽ nobis ad omnium regionnm & populorũ notitiam prætulerunt: uſi medici, quorum plurimi cùm neq; in Cretam navigaſſent, Dictamnum nobis in Creta monſtrarunt: cùm in Indiam nunquam veniſſent, ligni Guaiaci uſum ex India attulerunt. Quam multos tibi oſtendã viros longè doctiſſimos, qui licet *Socratem*

ſequuti, domi ſuæ perpetuo manſerint, nihilominus exterorum regnorum omniũ leges, conſuetudines, ſtatutę, urbium mores ac habitus, regionumq; abdita quæq; viſuq; digna ita memoria teneant, ut ab illis etiam ii, qui viginti annos cum Ulyſſe peregrinati circũquaque ſint, ea audire & diſcere cogantur. Quaſi igitur meliùs foris quàm domi literæ ac artes perdiſcantur, ac non magis illa aſſidua circumcurſitatio, & irrequieta tum corporis tum animi fatigatio, & ſenſuum omnium peregrenatio, cogitationes tantùm confundat & perturbet, ut, quemadmodũ plantæ ſæpiùs ex area alia in aliã translatæ, cohæreſcere, & ad fructum venire nequeunt, ita quoque ſemina doctrinarum in vagabundo animo ſtabiles agere radices non poſsint. Intueamur, quem in omni vita intueri nos oportet, & ad cujus radiũ converti debet, omnis morũ noſtrorũ habitꝰ, non ſecꝰ ac herbã ſolſtitialẽ ad ſolem cõverti videmus, intueamur illuſtriſsimũ noſtrũ principem Mauritiũ, qui quantũ domeſtica diligentia ac induſtria eruditionis ac prudentiæ cõparari poſsit, ſempiternæ omniũ hominũ memoriæ oſtendit. Qui quãquã prudentiſsimo ac divino conſilio parentis ſui, quẽ Solomonẽ Germaniæ appellatũ fuiſſe audiſtis, omni peregrinationis curſu [illegible] prima

[illegible]

in prima adoleſcētia caruerit, multò tamē expeditius omnes ferè peregrinas linguas loquitur, quàm illi qui decennium foris verſati. Admirantur illuſtriſſimam linguam Itali: mirantur Galli: mirantur Angli. Cicerones & Julii ac Varrones, ſi reviviſcant, florem Latini ſermonis in eo mirarentur: Attici obſtupeſcerent, & ora ſua obverterent. Quid autem in omni Philoſophia tam reconditum, tam abſtruſum, quod illuſtriſſimus princeps non didicerit, non exactè calluerit, quid eſt quod etiam peregrini & exteri ab illo non ſcrutari & percipere poſſint? Quid itaq; externum ingenium domeſticæ tranquillitati præponis? Aut, cùm domi habeas fontes, unde ſitim tuam ſedare poſsis, quæ ſtultitia eſt aliorum rivos longinquis itineribus & periculis conſectari? Florent in Germania linguæ Gallica, Italica, Hiſpanica, Polonica: florent artes, florent facultates: habet Germania theologos præſtantiſſimos, habet Juriſconſultos illuſtriſſimos, medicos experientiſſimos, *Philoſophus* acutiſsimos: Habet aſtronomos, geometras, logicos, oratores, Muſicos: Habet pictores, architectos, ſtatuarios, & reliquos mechanicarum artium peritiſsimos: Et quid eſt deniq; quod Germaniæ cum reliquis nationibus non ſit commune? At tu miracula foris inveſtigas, & ad, neſcio quos fabuloſos fontes,

tes,ad quos natos in arbore anſeres ,æd quos flammarum vortices, ad quos lucos Avernales,ad quos piſces & aves,ad quos gryphes peregrinationem inſtituis , & concitatiſſimę navigationis curſum dirigis? I. cape verſoriam, & ardor te tuus trahit, ſecundis ventis proficiſcere. An non verò ſtultitia eſt, prodigia & miracula foris quærere,cùm domi tuæ & intra te,quæ longè majora & maxima ſunt, prætereas. In te velim prius deſcēdas,& quod olim Delphicis parietibus in ſcriptum erat, ipſe te cognoſcas. Nec enim miraculorum gratia maria enaviganda, non Aſia.& India penetranda ,non Ægxptus adeunda, ſed caput tuum quoties manu tangis,omnium te miraculorum maximum teneri perſuaſum habeas: & quid in mundum longè abire deſideras,cū homo ipſe parvus quidē mnndꝰ ſit,& rerū omnium , quæ toto orbe ſunt admirandæ cōpendium in ſe complectatur? Habeas igitur tibi,amice,in tua peregrinationis voluptate & ſuavitate,ſi mavis, oppidorum cœnum, habeas angulorum cloacas, opificum fœtores, ſalsamentariorum tabernas, habeas reliquas in populoſis civitatibus ſordes,quæ in diverſoriis objiciuntur , moleſtias & impuritates: habeas tuas tibi delitias,habeas amœnitates, habeas miracula: mihi verò decies jucundius ſit in dulciſſimo patriæ ſinu tranquillè & beatè conquieſcere, Sed quo longius in altū eve-

hor, auditores, eò amplior & potentior orationis curſus mihi oſtenditur. Ut igitur extremum aliquid habeat oratio mea, & ego ante dicendi finem faciam, quàm vos me tam attentè audiendi, concludam, vósq; omnes & ſingulos ad *majorū* noſtrorum, qui ob id indigenæ appellati, quod neq; à peregrinis orti ad peregrinos profecti, ſuis ſe oris perpetuò continuerint, laudatiſſimá imitationē excitabo. Hæc enim una via adrecuperádū tū laudeſtum nomen & honores, quot veteres majoribꝰ noſtris ampliſsimos tribuere: hæc una fuga à vitiorum illa matre, virtutum expultrice, cunctarumq; rerump. peſte & ruina: Sit nobis omnis ratio in virtutibus, non in circumcurſitationibus, ſit in otio honeſto, non in voluptate & inani itinerum oblectatione poſitá: verſemur domi cum iis, qui ſe patriæ, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſe exteris, & Mercurii cum talaribus, ad volandum & errādum natos eſſe arbitrantur: *Naturæ* imperio pareamus, quæ ideò terras à terris, montes à mōtibꝰ altiſſimis quaſi objicibꝰ & repagulis ſegregavit, alpes idcircò interjecit, maria interpoſuit, ut intra ſepta ac fines ſuæ provinciæ quiſq; cōſiſteremus, poſtremò Dei ipſius præcepto morē geramus, qui ut in ſuis quisq; regionibꝰ permaneret, & honeſto victui operā & diligentiā debitā navaret, inq; ea cōſtāter perſeveraret, graviſſimè mādavit.

ORA-

ORATIO VII.

Habita à

RICHARDO DIETERO MARCHICO.

Vaſallum non teneri domino auxilium ferre contra Patrem.

SI quid eſt in nobis ingenii, auditores, quod certè in multis non eſt exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua maximā partem noſtrum mediocriter verſatos eſſe video: aut ſi qua hujuſce rei ratio ab optimarum artium ſtudiis & diſciplina profecta, à qua nullum ætatis noſtræ tempus abhorruiſſe videtur, earum rerum omnium vel inprimis parentes noſtri fructum à nobis repetere propè ſuo jure debent. Nam quoad longiſsimè poteſt mens noſtra reſpicere ſpacium præteriti temporis & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde uſque ætatis greſſum repetentes, hos videmus nobis principes, & ad ſuſcipiendam, & ingrediendam, tum vitam noſtram, tum rationem horum ſtudiorum noſtrorum extitiſſe. Quod ſi itaque hæc vita noſtra, hæc vox, horum educa-

tione, hortatuque conſervata atque confirmata, nonnullis aliquando ſaluti eſſe poterit, qui nobis id repararunt, atque in hunc uſque diem conſervarunt, quo cæteris opitulari & alios ſervare poſsimus, his profectò ipſis, quãtum eſt ſitum in nobis, & opem & ſalutem ferre debemus. Ne igitur auctoritas eorum & dignitas minuatur, ne exiſtimatio lædatur, ne pietas à nobis ipſis debita tollatur, ſumma diligentia providendum: Atque propterea nullo modo ferendũ in ſcholis Juridicis, quæ pietatis, virtutis & juſtitiæ officinæ ac domicilia eſſe debent, illam audire vocem, quam neſcio quo antiquo barbarorum more, ac vetere conſuetudine truculenti & verè efferi fori ſtabilire velint: contra patrem nimirum filii vaſalli ſocia arma eſſe & auxilia ferenda domino. Quo quidem verbo quid magis impium? quid immanius, quid belluinæ naturæ convenientius? quid crudelius, & à natura humana alienius fingi aut excogitari poſsit, non video. At hanc egregiam ſententiam omnia judicia approbant, curiæ confirmant, tribunalia tanquam æquiſsimam ſequuntur. ô tempora! ô mores! eò veniſſe optimarum legum ſanctiones, ut tam dira & pluſquam belluina ſententia etiam æquitatis velum aſſumere, & vento ſecundo omnia judicia tranſvolare auſit? eò impietatis hominũ

conſue-

conſuetudines deſcendiſſe, ut patricidia etiam excuſari poſſe auctoritate nonnulla videantur? ubi, ubi nũc iſti vos barbari eſtis, qui parentes veſtros ſenio exhauſtos, rebusque agendis inutiles factos, trucidaſtis, coxiſtis, cõfeciſtis. Accedite, & truculentos iſtos veſtros mores, ac beluinam conſuetudinem defendite, in legis vigorem, & juris auctoritatem ſcelus tam immane transferte, juris aliquo textu barbariem veſtram munite, Longobardorum conſuetudine ſtabilite. Quid enim ſcelus illud veſtrum aliud eſt, aut quam lõgè ab horum noſtrorum impietate diſtat: niſi quòd vos etiam erga parentes veſtros mitiores fuiſſe videamini, qui ad ſenectutem uſque venire eoſdem paſſi ſitis, ævoq; tandem confectos, & ætatis ſatietate obrutos, intra viſcera veſtra ſepeliri volueritis: hi verò contra patrem quavis etiam ætate nefariè graſſentur ac ſæviant.

Sed ne tanta juris noſtri macula nævusq; admodũ conſpicuus in tam egregio corpore reſideat, ne in ſcholis & officinis juſtitiæ ac æquitatis res tam immanis unquam proferatur, quæſo à vobis, ut in hac cauſa mihi detis hanc veniam, accommodatam parentibus noſtris, vobis quemadmodum ſpero non moleſtiã, ut me pro illis, qui nobis vitã, patrimonium libertatem, civitatem tradiderunt, hoc

hoc cõcurſu hominũ literatiſſimorũ, hac veſtra humanitate, patiámini adverſ9 tot judicia, tot cũrias, tot tribunalia, tot clariſſimorũ hominum ſententias aſſurgere, & de pietate parentibus debita pauló loqui liberius. Nam ingenuè fateor me, ſi auctoritates patronorũ apud vos valeant, ab ampliſſimis viris, ſi uſus, à peritiſſimis, ſi ingenia, ab eloquentiſſimis, qui diu hanc inveteratam opinionem defenderũt, facilè ſuperari. A vobis tamen óro, obteſtorq́; ne plus auctoritatem, quam veram rationem, plus uſum & malam conſuetudinem, quàm divinum & naturę jus; plus doctrinam & ingenia, quam conſciẽtiã ipſam valere ſinatis. Quod quidem ſi me à vobis impetraſſe ſentiam, perficiam profectò, ut non ſolũ tã dıram vocem, noſtris legibus eximendã, verũ etiã ab omni æquitatis & juſtitiæ regno exterminandã ſtatuatis. Adeſte itaq; omnes animis, qui adeſtis corporibus, excitate mentes veſtras, mihiq́;, quicũq; parentis nomen mecum veneramini, quiq; parentes aut eſtis, aut eſſe olim deſideratis, benignos tam animos quâm aũres præbere. Sed quo omnia apte & accõdatè à me proferantur, & ne cõfuſione aliquã facta, faſtidio & ſatietate animi veſtri obruantur: nullum eſſe tam impiæ conſuetudinis perſpicuum & apertum in omni jure noſtro textum, quo immanitas illa barbara confirmari poſſit, primùm docebo; deinde,

ſit,

ut maximè Longobardorum hoc ſtatutum támen ſine ratione eſſe, & naturæ ipſi cōtrariū eámque ob cauſam nullo modo imitandum; ſed abolentum & execrandum oſtendam. Cōſtare autem inter omnes arbitror, auditoras, Fendale jus, quod à majoribꝰ noſtris conſtitutum eſt, ex naturalis juſtitiæ & æquitatis principiis, fundamenta & rationes ſuas hauſiſſe, ut quemadmodum anima civilis legis ratio eſt, & habetur, ita eadem potentia, idem robur in conſuetudine dominetur, ex qua quidem ratione nihil ejuſmodi in toto illo morum & conſuetudinum imperio inveniri oportet, quod naturalis honeſtatis terminum confundat, multò minus quod ipſi naturæ ruborem injiciat. Teſtimonio ſunt omnia capita, omnes lineæ, teſtes omnes ſyllabæ, teſtes omnes apices, nihil in illis contineri quod natura accuſare, quod damnare, nihil quod rejicere, quod culpare poſsit. Unde enim quæſo conſuetudo, unde jus illud non ſcriptum, quod legis vigorem habet? à naturali lumine, quo populi intellectus acceduntur, judicium confirmatur, approbatio illuſtratur. Hinc ſaluberrimé conſtitutum, ut ſi quid contra naturalem honeſtatem ſi quid contrà rationem ipſam introductum ſit, in conſuetudinis & nomine & auctoritate conquieſcere nullo modo poſsit, ſed ut illud illico ex hominum

ex hominum uſu ejiciatur, ex curiis depellatur, ex civitatum finibus exterminetur. Quis verò hoc perſuadebit nobis, licetgy pſatiſſimis cum illa veteri Medea manibus utatur, cõtra rationem & naturam quicquam à prudẽtiſſimis Inſubribus eſſe conſtitutum? obverſetur nobis ante oculos majorum noſtrorum reverentia, cogitemus de illorum incondendis legibus, & confirmandis ac admittendis conſuetudinibus providentia: diligentjam eorũ recordemur: curam atq; induſtriam memoria complectamur. Nam cùm in aliis juſtitiæ & æquitatis patribus tam diligentes illos fuiſſe deprehendamus, hoc unum commiſiſſe eoſdem dicemus, quod omnium maximè in infamiã & dedecus conſuetudinem hujus gẽtis vocaret, ut filio tantam immanitatẽ contra patrem exercendam vel ipſi conceſſerint, aut conſuetudinem ſuam convenire huic iniquitati voluerint? abſit hoc quam longiſſimè à nobis: impium profectò eſt tantum de veneranda antiquitate nefas cogitare. Atqui vel ex hoc noſtro circulo quiſpiam in mediũ progrediatur & contra hanc meam orationẽ his verbis inſurgat: Macte ſis, inquit, ſingulari pietate tua erga parentes, adoleſcens: macte iſto tuo obſequio & voluntate. Sed ne tamen, os tuum cœlo, uti præ te ferre videris, opponere, at contra ſolẽ, quod dicitur, gan-

 nrie

nire audeas. Nā quid hoc aliud eſt, quā quòd fortè verborum inaniū copia, & argutiarū multitudine fretus, clariſſimæ veritati, neſcio quas tenebras offūdere, atque eā inficiari conaris, quæ nobis omnibus longè certiſſima habetur? Negas à majoribus noſtris ſententiam illam, quam oppugnatum temerè veniſti, unquam eſſe confirmatam, negas conſtitutionibus ullis veteribus expreſſam: Qua, quæſo, fronte illud negas? quo ore? An non in promptu & ante oculos, inque manibus antiqui libri ſunt? Legantur literæ: apices & ſyllabæ ſingulæ attententur. *Contra omnes debet*, verba textus ſunt, *Vaſallus dominum adjuvare, & contra fratrem, & filium, & patrem, niſi contra alium dominum antiquiorem: hic enim cæteris eſt præferendus.*

Proch Deum immortalem! proch hominum fidem! quid audio ubi pudor & modeſtia? ubi verecundia? ubi reverentia? contra patrem filium auxilia ferre domino oportere. Quid reſpondeo? quò me vertam? quis opem feret periclitanti? negem illam literam inveniri in noſtris codicibus; negem illam rem auditam unquam in judiciis? jactatam in foro? commemoratam in curiis & tribunalibus? evellam ex animis hominum hanc opinionem tam penitus inſitam, tam veteruſtam? Non eſt mei ingenii: non captus, non judicii mei; veſtri auxilii eſt, acutiſſime Cujati;

præclariſſime Vultei, literatiſſime Goeddee, parentum noſtrorum innocentiæ in tam immani & barbara ſetentia, quaſi in aliqua perniciosiſſima flamma, atque in communi incendio ſuccurrere. Quocirca nulla omninò facundiæ, quæ mihi exigua eſt, fiducia; nulla argutandi arte ſed vaſtra humanitate, veſtro auxilio fretus, in hoc textu patrem nunquam incluſum fuiſſe negabo. Evolvantur itaque libri omnes: auctoritates veterum codicum perpendantur, inſpiciantur literæ. Quid enim acutiſſimus omnium ICtorum Cujacius? qui quantam in juris veritate indaganda navarit operam, neminem fugere arbitror. Hic enim is eſt, qui ſuis vigiliis & laboribus corruptam multis locis juris ſcientiam, reſtituit; Hic eſt, qui illa, quæ temporum & hominum injuria in leges noſtras irrepſerant, penitus ex agro Juridico extirpavit, & factam lacunam veterum voluminum novo ſubſidio conſolidavit. In ejus opere nulla fraus, nulla perfidia, nulla petulantia, nulla ambitio invenienda, ut non immeritò dignus ſit, qui in cœlum uſque, ſi fieri poſſet, humeris cunctæ poſteritatis evehatur. Quid verò ille? Lecto hoc textu ipſe perterritus atque obſtupefactus, rei indignitatẽ deplorabat, nec ſibi perſuadere poterat tam beluinas cogitationes in quenquam mortalium cadere potuiſſe, nefasque eſſe ducebat,

majoribus noſtris tantam maculam inuere, illosque, quòd & divinas & naturæ leges temeraſſent, impietatis arguere, Nihil itaque illi potius viſum fuit; quam ut inſpectis veterum codicibus, tanquam ex ipſo fonte, verã majorum noſtrorum, & harum legum conditorum: ſententiam hauriret. Quapropter, quod in veteri libro non erat, quodque interpres non agnoverat, expunxit, & vocem patris delevit: Delevit, inquam, quia in veterum libris ſcripta non inveniebatur. Quiſquis ergò ille legum corruptor, & infenſiſsimus parentum hoſtis; quiſquis princeps & auctor impiæ hujus ſententiæ fueris, de tua certè injuria jure & meritò conqueror, improbitatem tuam arguo, falſitatem tuam in crimen voco. Sunt quædam in te ſingularia, quæ de nullo alio perditiſsimo aut dici, aut fingi poſſunt: ut flagitioſiſsime, odiſti parentes tuos, deſpexiſti eorum reverentiam, pietatem contemſiſti. Non te eorum erga te divina beneficia, non ſenectus, non natura ipſa aliquam ad partem humanitatis revocare potuerunt? ſi te parentes odiſſent tui, neque tu illos ulla ratione placare potuiſſes, te tamen injurias, ſi injuriæ eorum dicendæ ſint, non tantùm reticere, verùm etiam ſiquo animo omnes ferre oportuiſſet, nunquam verò eò audaciæ & amentiæ pervenire, ut per quos hanc ſuaviſsi-

mam

mā lucem aſpexiſſes, eos indigniſsimè omni honore, omni reverentia, atque adeò luce ipſa ſpoliares. Feras partus, feras educatio, feras natura ipſa inter ſeſe conciliat: te ortus tui principium, te ſaluberrima informatio atq; educatio, te natura ipſa à parentibus tuis abalienavit. Quod unquam hujuſmodi monſtrum & prodigium, commilitiones, aut audivimus, aut vidimus? Sed ad rem ipſam revertor, atque in quo oratio mea deſiit, inde iterum incipiam. Poſſem equidem plures, nec quidem obſcuri nominis viros, qui ſpōgiam Cujacianiam abprobarunt, & correctionem confirmarunt, referre, niſi nimis longa oratio noſtra foret. Unicum tamen, qui facilè inter omnes principem locum obtinet, cujus nominis gloria totum terrarum orbem implevit, tacitus nullo modo præterire poſſum, tum propter ſummam ipſius auctoritatem, tū etiam propter ſingularem obſervantiam, quа tanto viro obſtringimur. Quibus autem te laudibus efferam Gœddee literatiſsime (nam hoc nomen tibi Muſæ dederunt) quibus ſtudiis proſequar? quibus officiis complectar? quid verò te impulit? quibus rationibus motus es, ut Cujacii ſententiam tam acriter defendere, & virtutis tuæ & ingenii preſtantiā, quam non immeritò ſummis tuis vigiliis, ſūmis laboribus conſecutus es, tuis imperire,

eamque parentibus noſtris communicare volueris? Reſpondebis procul dubio, impiam eſſe communem Feudiſtarum opinioné, nec verbum *patris* in veteribus libris inveniri, nec hanc majorum noſtrorum mentem fuiſſe utpote á quibus pié & ferveré ſancitum eſt, ut filio ſemper patris Perſona ſancta & honeſta habeatur: Reſpondebis, filium patri ad ſummum honorem & reverentiam præſtādam adeò obligatum eſſe, ut illam nunquam, niſi ſolius Dei interveniat honor & obedientia, violare poſſit. Nec certè putandum eſt eò Feudalis juris pirncipes barbariei, eoque iniquitatis prolapſos eſſe, út vel unqnam ejus rei ipſis in mentem venerit, quam contra juris tùm divini, tum naturalis principium eſſe liquidò conſtaret. Quid enim? an nō ſemper ea quæ juri divino & naturali contraria ſunt, excipiunt? an non vaſallum ab omni adverſus ſe ipſum auxilio liberant? cùm non ignorent patrem & filium unum ſanguinem, unā vitam, unam perſonam eſſe. Quî fit itaq; ut tam diræ & impiæ cogitationes, quæ majores noſtros omni humanitate, omni affectione & reverentia nudant, & exuunt, in animis noſtris verſentunr? Qui ſit, ut in conſuetudinibus plus literæ quàm ipſi naturæ & rationi, quæ conſuetudinis anima eſt, tribuamus? Quî ſit, ut majores noſtros non omni excuſatione

dignos

dignos judicemus? At eſto, finge Lõgobardos literarũ divinarũ expertes, nihil unquã de jure divino cogitaſſe: non tamẽ potuit illos ipſa natura hac tacita voce nõ cõpellaſſe, quò minùs ſecũ ipſi hæc animo perpenderint: Quid homines agimus? Quid ſtatuimus? quid incipimus? quò ruimus? Tantumnè barberiei ulli noſtrũ ineſſe, ut hæc quiſpiam à Vaſallo ſi dominus ſit, exigere auſit, ut contra patrẽ etiam arma ſumat, aut quempiã tã crudelem in ſe & ſuos parentes fore, qui talia domino ſuo promittat? Itàne naturæ infeſti habeamur, ut cõtra omniũ gentiũ & barbarorũ mores, contra omniũ animantiũ brutorũ naturã tale quicquã in noſtra conſuetudine & uſu toleremus? ut verò maximè natura taceat, omnia quę cœlo terraq; continentur animalia nos omnium immaniſsimos, & hominũ appellatione indignos appellarent. Tantàmne impietatem animis noſtris injici patiamur, ut majorem domini, à quo fortunæ externæ quædã ludibria, villas nimirũ, agros, prædiola, & domũculam accepim9, quàm patris ipſi9, à quo vita, ſalus, ſpes, poſteritas, nomẽ & exiſtimatio, à quo ipſa anima noſtra dependet, rationem habeamus? illum ut defendamus & protegamus, hunc deſeramus, prodamus, perdamus? Numquid verò nõ ſatius ſit & præſtabilius cum illo Philoſopho, ſeſe omnibus bonis, fortunis & copiis exuere, nudũq; & rerũ omniũ egenũ

eſſe, & cum Diogene in dolio habitare, Alexandri opes ac dona rejicere, ad ſolem apricari, peram & baculum regiis divitiis præferre, imò verò cum illo Cratere in mare omnia abjicere, quàm domini ullius reverentiã, domini gratiam ác beneficentiam tanto ſcelere acquirere, acquiſitam majore flagitio tueri? Naturæ itaq; ſi pareamus (atqui parere huic parenti omnes debemus) rerum earum omnium, quæ à domino dari & proficiſci, poſſunt, poſſeſsione relicta, domini illã impiã & nefariã conditionem deſertũ eamus, & in parentũ reverentia omnia jura, omnes leges, omnes conſuetũdines & mores noſtros rectiſsimè collocata habeamus. Hæc ſi ſecum veteres illi Inſubres naturæ quodã quaſi colloquio inſtituto diſſeruérint, ſi rem altius ſecum animo ita perpenderint, quis noſtrûm eſt, qui à prudentiſsimis illis populis conſtitutũ unquam eſſe illud, de quo omnis noſtra controverſia eſt, ſuſpicabitur? Ad demus literam, demus conſuetudinem tam barbaram, concedamus morem tã impium, & amoris omnis expertem increbuiſſe: ideóne illico moribus noſtris aſſumendum, hodiernis legibus inſerendum eſſe judicabimus? Veniam enim ad ſecundam orationis meæ partem, quam ſtrictim, & quam maximè potero, breviter abſolvam. Moribus & exemplis non eſſe judicandum, clamant omnia judicia, omnia

fora. Quam multa enim perverſa in veterum conſuetudinibus & moribus, quàm multa impiè & ſcelerate facta occurrunt? Moribus excuſare parricidia omnia poſsis? Aſtarent tibi Thraces, aſtarent gentes aliæ barbaræ, quibus religio fuit parentes naturali fato permittere, obtruncabant ipſos, devorabant ipſos, ne vermiumq́ corroſionibus corpora illorum (quod nefas putabant) obnoxia redderentur. Moribus ſi indulgeas adulteria impunita omnia erunt, ſtupra in laude & commendatione ponentur: morum argumenta ſi ſequaris hoſtias humanas immolabis, nihil denique tam abſurdum, tam ab omni ratione alienum fuerit, quod morum & conſuetudinū umbra velari non poſsit. Sileat itaque in benè conſtitutis judiciis vox antiquorum morum & conſuetudinum, non audiantur veterum ritus ac inſtituta, niſi rationibus optimis ſtabilita, cōfirmata ac munita ſint. Quamobrem quemadmodum in aliis feudalibus textibus facere ſolemus, ut, ſi quid dubium, ſi quid inconveniens, ſi alienum à naturali norma ac præſcripto, ſi à gentium jure diverſum quippiam occurrat, quam primùm ad legem civilem & commune judicium, tanquam ad Cynoſuram quandā recurramus: idem hoc loco nobis faciendum eſſe ſtatuamus, ut, ſiquidem nō ſolùm civilia, ſed etiam naturalia jura omnia

reclament, æquitatis ratio repugnet, fas & ſcitum divinum adverſetur, morem ac conſuetudinem barbaram in ordinem redigamus, cum Cujatio acutiſſimo cenſore conſuetudinem naturæ conciliemus, patris vocabulum expugnamus, ac naturam potiùs, quàm errorem, librariorum ſequamur, ab honeſtate perpetuùm pendeamus. Deum ac parentes noſtros nunquam offendamus, & ab omni deniq; pacto, convento, ab omni juramento, quod conſcientiam pungere, animum ſauciare poſſit, tanquam ab animæ peſte abſtineamus.

ORATIO VIII.

Vaſallum teneri etiam contra Patrem domino auxilium præſtare.

ETſi non omnium, quæ à majoribus noſtris ſapientes & præclarè inventa ac inſtituta ſunt, ratio à nobis, quemadmodum conſultiſſimus Ulpianus ait, exactè ſciti, reddi ac haberi poſſit: Non tamen idcirco à ſanctionibus ac placidis, aut à conſuetudinibus moribusq; eorum facilè aut temerè & deſultoria quam levitate deflectere atq; deſciſcere, aut antiquitatis decreta reſcindere ac rejicere debemus: verùm potius, ſi quæ conſuetudine longa comprobata, an-

norumque multorum curriculo confirmata, ac diuturnæ obſervationis robore communita fuerint, non minus religioſè, quàm quæ in æneis tabulis ſculpta, aut ex Græcia per decem viros domum allata, aut quæ Imperatoris oraculo promulgata ſint, ſervanda ac cuſtodienda jura eſſe nobis arbitremur. Quocirca non ferenda illorum hominum audacia ac temeritas, ne quid gravius dicam, eſſe videtur, qui, neſcio, qua dictatoria aut tyrannica magis poteſtate freti, in antiquorum decreta & Senatusconſulta, inſcita, & leges veterũ prudentum, & in majorum noſtrorum ordinationes, in mores & conſuetudines magna violentia hodiernis temporibus involant & irrumpunt, tabulas & ſcripta omnia excutiunt, ad vivum, quod dicitur, verba & ſyllabas ſingulas ſecant, nihilque irreprehenſum, nihil incorrectum, nihil incorruptum, nihil ſanum & inviolatum eſſe patiuntur: hic quippiam omiſſum, quod explendum: illic quippiam admiſſum, quod detrahẽdum: hoc contra naturam, illud ſine ratione conſtitutum eſſe clamitant, adeò ut nihil tàm benè & præclare dictum eſſe poſſit, quod illorum ungues & ſpongiam effugere, & à ſcalpello immune eſſe, limâq; evitare poſsit. Quod cũ prudentiſſimorũ Juriſconſultorũ reſcriptis, quæ tãquã oracula antiquitus culta & obſervata fuerunt:

runt:tum verò ipſorum Imperatorum conſtitutionibus,quæ deorum voces ab omnibus habitæ ſunt, ne dum omnibus Senatusconſultis plebisque ſcitis,nedum moribus & cõſuetudinibus,quæ per ſe pręcipitio & mutationi obnoxiæ facilè ſunt, accidere videmus: cujus rei exemplum perſpicuum eſt *in c. 1. hic finitur*. §.1.ubi expreſsè hoc ſtatuitur, ut contra omẽs,ut textus verba ſunt, vaſallus debeat dominum adjuvare, & contra fratrem & filium & patrem. Quid verò huic apertiſſimo textui non accidit? alii eum impietatis accuſant,naturæ alii contrarinm eſſe clamitant: patris vocabulum expungunt: Verùm hac mea oratiuncula efficiam, ut & Longobardorum prudentiam & juſtitiam in eo demonſtrem,& textum ab omni injuria vindicem, & ab unguibus raſoriis & violentis expunctionibus illibatum conſervem. Primò itaque ex ipſo fundamento fidei,quæ baſis & principium feudorum eſt, diſputemus, quæ inde,ut ex Tullio pueri ſumus inſtituti, nominata, quod fieri debeat id, quod dictum eſt. Hinc omnes contractus,omnes obligationes, omnia pacta & fœdera, omnia conventa, nervum & mnnimentum roburque ſuum accipiũt.Nec verò quicquam humanæ fidei magis conſentaneum eſt,quam ſervare ea, quæ hominib. placuerunt,*l.1.ff.de pactis*.Cùm

itaq;

itaq; ita conceptũ,ita placitũ,ita conventum, ita cõfirmatũ,ita religione fidei & juramento ſtabilitũ ſit;ut ſi quis vaſalli nomen aſſumere, & domini fidelitateſeſe obſtringere,ſi feudi, quod dicitur,jureſeſe obligare velit, renũciet primùm oporteat,omnib.aliis nexib.,omnib. quoad fieri poteſt, ligamentis ac impedimentis, quæ fidei illi,quã domino ſuo vaſallus præſtare cogitur,manũ & morã injicere,& fidelitatis curſum interpellare poſsint, ut ſi dominus hoc exigat, quemadmodum exigit,contra omnes,uti textus clarus eſt, poſsit & debeat dominum vaſallus adjuvare. Removendus reſpectus á fratre eſt,removendus à filio, removendus à patre, in hac quæ cum domino agitur cauſa. Non audiris hîc cum illo Evangelico, qui ſe ſequi quidem velle affirmabat cœleſtem noſtrum præceptorem,ſi modò liceat antea parentes inviſere. Contra omnes qui nocere poſsint, munitus vult eſſe dominus,ab omnium injuriis vitam ſuam vindicari expetit. Contra omnes itaq;, fides concepta,fidelitas jurata,obligátio accepta eſt. Nec verò juris civilis ſi admittatur,ut admittenda hic eſt,prudentia,res aliter tradi poterit,cùm verbo generali, OMNE, nihil excludi dicat. Nec verò verba textus aliquid obſcuritatis & caliginis in ſe continent,aperta ſunt,omnia plana ſunt& perſpicua,ſenſuq; ſuo omnibus

obvia.

obvia.Contra omnes adjuvari flagitat dominus; contra omnes auxiliũ vaſallo promittis? vide quid promittas quid jures,ſerves quę promiſeris,quę juraveris.Malis etenim cũ Regulo nũquam ſatis laudatæ fidei & conſtantiæ illo Romano,Carthaginem redire,malis vitam amittere, quàm fidem,qua ſemel amiſſa,poſtea nullus eris,ut ait ille, proditum ire. Grave enim, inquit Jureconſultus,grave eſt fidem fallere.At naturam reclamare ajũnt, quæ ejuſmodi obligationem & conventionem non ferat,non ſinat,non patiatur. Audiam naturã, quæ ſi & domini & patris cauſam æquis rationibus perpenderit,nihil ſibi convenientius eſſe aſſeverabit, nihil naturalibusq; legibus & æquitati accommodatius,quàm illam Longobardorum conſuetudinem.Metiamur autem utriusque & domini & patris merita recto modulo,domini cùm dignitatem, tùm verò beneficiorum,quæ uterq; confert, & quibus paterni nominis amplitudinem conſequitur, magnitudinem æſtimemus & perpendamus. An verò majoris beneficii eſſe arbitramur vitam dare, nervos atque oſſa concedere, ſanguinem infundere, quam vitæ alimoniam, fortunas, opes,domicilia,lares,penates, bona & prædia largiri, ſine quibus vita omnis contempta ac acerba, & ſine quibus vita illa naturalis, à patre naturali data, conſiſtere

vix

vix poteſt? Nónne verò illa, quæ à domino conceduntur, etiam juris civilis æſtimatione, vitæ & ſanguinis momentum in ſe continere dicuntur, cùm alter ob id ſanguis hominis fortunæ prædicentur, imò verò vitæ ipſi præferantur? An non ut agros, ut prædia, ut domicilia, ut bona noſtra tueamur, & ab externa vi defendamus, animam ipſam omnibus periculis exponimus, ac vitam profundere non dubitamus? Quod ſi itaque minoris æſtimamus ea, quæ à naturali patre accepimus, quâm quæ à domino, qua ratione fiat, ut non maiore etiam amore, majore etiam fide ac gratitudine dominum, majorum beneficiorum auctorem, quàm patrem proſequi debeamus? An hoc minus naturale eſſe dicemus? Quid verò tibi ipſa natura convenientius præſcripto, quid juſtius, quid æquius dictitabit, quàm ut quò majores diligendi cauſæ, eò majoris etiam gratitudinis ac remunerationis, majorisque fidei debita habeantur & exigantur? Ac vide quam domini favor ac benevolentia caritasque, qua inprimis omnium beneficiorum momenta ponderantur, parentũ affectũ longè ſuperent. Vitã quod habeas, ſpiritũ & ſanguinẽ, quod acceperis, non tã ſæpè volũtati parentũ erga te, aut tui procreãdi ſtudio ac amori, quã deſiderio & voluntati inter ſeſe, quã parẽtes fovẽt, & alter ab altero

expe-

expetunt, & amori, quem mutuô alunt, cujus naturali ſtimulo ad vitam aliis etiam impertiendam, & de lumine ſuo lumen aliis accedendum, pertrahuntur, acceptum referendum eſt. At hîc ſibi natura, quæ generationis totius actum dirigit, & quaſi digito ſuo format, ac inſtruit, benficii ejus, quod à patre accipitur, potiſsimam partem vendicat. Voluptas verò ac amor ita procreationis cauſam ad ſe trahunt, ut principes ejus videri omninò poſsint. Verùm in domini beneficiis longè aliter comparatum eſt, in quibus omnia libera, & à voluntate benevola derivata, omnia ab ipſo profecta, nihil hîc caſus, nihil fortuna, nihil eventus ſibi ſtribuere ea in re poteſt. Totum hoc, quantumcunq; eſt, quod ſanè maximum eſt, totum, inquam, à charitate, à gratia, à divina quadam benevolentia domini profluit & promanat. Quocirca neminem tam alienum à vera rerum æſtimatione eſſe arbitror, qui hæc non intelligat, non videat. Hoc autem illud eſt, quod illi juris Feudalis perpendiſſe Principes videntur, qui Vaſalli auxilium domino contra omnes paratum eſſe voluerunt, cùm hunc patris nomine multò digniorem & majorem, imò verô, quaſi quendam deũ homini eſſe judicarent. Quod ſi enim Ægyptiorum veterum religio deorũ numero aggregandos cenſuerit illos, qui divinis

vinis beneficiis mortales affeciſſent: Nonne etiam feudalem hunc dominum patrem & patre auguſtiorem, & ſuperiorem, imò Deum aliquem terreſtrem nobis eſſe fatebimur. Quod ſi itaq; beneficiorum largitor pater eſt, & quidē naturali illo præſtantior, magnitudineq; beneficiorum ſuperior, quid mirum eſt ipſam naturalem caritatem quodammodo ſede ſua moveri ac mutari, & in civilem hanc, quæ inter dominum & vaſallum eſt. propinquitatem ac copulam demigrare, viresq; ſuas longe majores effundere, vimq; omnem in ſe, quam continet eodē accerſere & derivare: Neq; verò aliū in ſe affectum, aliū amorem, aliam flagrantiam, aliam honorem & reverentiam dominus à vaſallo depoſcit, aut aliam caritatem expectat, quàm quæ inter amicitiæ illa notiſſima paria, inter Pyladem & Oreſtē, inter Damonem & Pythiam floruiſſe memoratur. Hujuſmodi Vaſalli animum dominus requirit, hoc fine feuda conſtituuntur, agri, villæ, prædia expenduntur. Quantum verò hoc ipſum eſt, quod dominus Vaſallo committit? vitam, caput & ſanguinem in tutelam ejus tradit, tantamque cuſtodiam ſui ab eodem exigit, ut nulla pericula recuſare, nec ferrum aut ignem formidare, ſed caput ſuum pro domini capite objectare, & corporis ſui oppoſitu domini animam defenſare debeat.

O fidem omni alia fidelitate majorem! quam nulla nativi amoris vincula, nulla ſanguinis conjunctio, nulla propinquitas, nulla affinitas ſuperare poterit. Fidem profectò ejuſmodi! quam, medius fidius, ipſa natura ſatis admirari nequit: tantum in civili fœdere firmitudinis, tantum in illa, quæ ex beneficiis ac donationibus feudalibus proficiſcitur, gratiæ, tantum arctitudinis contineri, ut omnes, quos natura inſeverit pectori erga parentes affectus, in dominum tanquam veriorem parentem, & beneficiorum divinitate ſuperiorem, transvolent, multoque vehementius ibidem flagrent ac ardeant. Quis igitur jam non videt Longobardorum legem minimè bardam & barbaram, ſed rationibus naturalibus maximis eſſe ſubnixam, cùm etiam contra patrem auxilia Vaſalli parata & in promptu eſſe debeant, Quid verò Cujati acutiſsimè, rimaris? quid ſtimulo ſubtilitatis tuę textum pungis & interpungis? Contra fratrem, & filium auxilia concedis, contra patrem recuſas patris vocabulum textu legis eximis? Deum immortalem quónam illa mutandi textus licentia non efferveſcit? Quid tandem in bonis literis, in decretis majorum, in tabulis, in veterum libris & prudentum monumentis tutum quid inviolatum, quid in corruptum ab hujus ſeculi cenſura, & lima eſſe poterit? Quid tam

munitum

munitum vetuſtatis ſanctimonia & auctoritate ſtabilitū, quod evertere & pervertere hodierni mores non audeant? Quid à priſcis legum latoribus ſancitum, quid promulgatum, quod Critici ungues non ſcalpāt, ſecent, urāt? Ut enim quiſq; ex tenebris erutū, ac ſitu blattisq; conſumptum, & vetuſtatis vitio corruptum codicem nactus fuerit, eum tanquam Sybillæ folium, ac è cælo demiſſum oraculū complectitur, ſi quod tabellionū errore & inſcitia ſcribentis verbum omiſſum, aut additione ſciolorum admiſſum & appoſitum è margine in contextum irrepſerit, hoc rectum, hoc genuinū, hoc verò conſonum, hoc equum juſtumq; pronunciat. Remove, Cujaci peritiſſime, remove antiquum tuū mendoſum & mutilatum librum, qui haud ſecus ac unus teſtis, contra tot alios auctoritate & uſu confirmatos conſiſtere non poteſt. Rationibus autem legum correctionem iniri oportet, non antiquis librariorum erroribus. At rationibus certare te profiteris? quibus verò? dabimus profectò manum illicò; ſi viceris. Honeſtas inquis, naturalis repugnat, iniquiſsimi igitur Longobardi, & honeſtatis omnis immemores vos, Inſubres, qui tam inhoneſta in conſuetudinem veſtram recepiſtis, & legibus iiſdem uti conſueviſtis? Quid ſi verò quempiam ex illa barbara gente in medium noſtrum è buſto evocem, ſi interrogem,

quò reſpexerint veteres, quid cogitarint, quòd tam inhoneſtam, & ut videtur, iniquam conditionem vaſallo obtulerint? Nonné arbitramur eum in hanc ſententiam reſponſurum? Quid majorum noſtrorum prudentiam exagitatis, cujus minores ne minimam quidem partem attingere videmini? quid contra honeſtatem à noſtris ſtatutum, quid uſurpatum eſt? An illud inhoneſtum, quod domini perſonam in certis cauſis ſanctiorem, ac auguſtiorem, quam patris voluerint? nónne hoc ipſum ſecundum ipſam naturam eſt, qua, qui hominem majoribus affecerit beneficiis, pater ejuſdem intelligitur & dicitur? An verò non intelligitis, in feudali hac in conjunctione & pacto, naturam quodammodo connivere & conquieſcere, ut quaſi alieni, pater & filius intelligantur nec reciprocũ illum reſpectum inter ſe hoc loco habeant. Quod etiam jura civilia ſæpe numero faciunt, ut quamvis in certis caſibus unam & eandem perſonam patris & filii accipiant, in aliis ſeparatim utrumque conſiderent. Id cùm fiat, non quidem contra naturam, ſed concedente natura fieri dicitur. An verò illud inhoneſtum eſt, quod cum beneficii, quo filius vaſallus affectus, & ſi naturæ voce & lege utaris, pater in ipſo filio, pater immemor & ingratus erga dominum, contra jus naturale agat, quod

Feudalis conſuetudo jubeat & velit, ut auxilia potius domino quam patri præſtentur? Minimè omnium, cùm omnium mortalium judicio & ipſius naturæ voce indignus cenſeatur, qui juris naturalis beneficia conſequatur, qui juris ipſius terminos tranſilierit, & contra naturæ legem egerit. Videant itaque quid dicant, quid ſentiant, qui Longobardos in honeſtatis & iniquitatis coarguant. Si enim etiam civilia jura eò convenientiam naturæ redigere honeſtè poſſunt, ut in certis caſibus à filio parens obtruncari poſſit præmio etiam propoſito à Republica: quidni etiam conſuetudines & mores efficere hoc honeſtè poſſint, ut auxilia contra patrem domino, patre ex pacto & convento] propriori præbeātur. Sed nolim ulteriore excuſatione Longobardorum uti, cùm ſatis ſit ipſam legem loqui, quæ ut maximè dura ſit, ſervandam tamen eſſe lex ipſa docet. Cui ſententiæ Germanorum graviſſimos Zaſius ſubſcribit, ut gloſſa in d. tit. final. ejuſdem mentis eſt, pluribusque è recentioribus Roſenthalius aſſeverat, & ſexcenti acerrimi Juriſconſulti alii, Quibus qui obloqui velit. Soli contradicere omnibus prudentioribus Feudalisq; ſcientiæ peritioribus jure videbitur.

ORATIO IX,

Recitata à

CAROLO CLAVR, NOBILI HESSO.

Papinianum Iuriſconſultum imprudenter feciſſe, quòd interfici maluerit, quam Caracallæ fratricidium excuſare.

VELLEM, auditores, Deus immortalis feciſſet, ut vivo potiùs Papiniano, ſummo illi Juriſconſultorũ vertici, viroq; divino, jam tum aliquis è cœlo delapſ9, viri illius optimi ſervator, ſalutare hoc conſilium dediſſet, quàm ut nunc, cùm extinctus ſit, de eo, quod factu optimum, & ad ſalutem ejus neceſſarium, in oratorum circulis & his dicendi ſpatiis verba faciamus. Nec verò dubito, ſi vir ille, qui ſuæ ætatis omnibus veræ philoſophiæ ſacerdotibus juſtitiæq; præſidibus prudentiâ anteibat, rationes eas, quas hac mea oratione vobis producam, paulò accuratiùs & penitiùs perpendiſſet, ſi reip. ſalutem conſideraſſet, ſi officium prudentis viri altiùs ſecum examinaſſet, quin ipſe multò meliùs, cùm ſibi, tùm maximè reipublicæ conſuluiſſet. nec in tàm apertum diſcrimen vitam ſuam conjeciſſet, neque rempub, ſeſe, tanto

tamq;

tamq; utili viro, orbaſſet. Quapropter non immeritò prudentiſsimis & rerum publicarum peritiſſimis hominibus diſplicuiſſe videtur, quod Juriſconſultum feciſſe hunc legimus, cum ab Antonino Caracalla commiſſum fratricidium excuſare juſſus, pervicaciter illud recuſarit, malueritq; mortem oppetere, ſecurimq; haurire, ac extrema quæq;, Stoica quadam pertinacia ſufferre & perpeti, quam in tanto ſcelere defendẽdo, maximum, ut ipſe interpretabatur, ſcelus ac flagitium perpetrare. Nec verò hæc cùm ita dicam, ideò dici à me quiſquam arbitretur, quod viri clariſsimi laudes imminuere aliqua ex parte, aut obſcurare velim, quod, quemadmodum fieri à nemine unquam poterit, ita à meis cogitationibus longiſſimè remotum eſt, ſed ut oſtendam majorem in viro illo conſtantiam & fortitudinem (quæ niſi prudentia temperatur ſæpenumerò exitialis eſt) quam cùm ſui, tùm Reip. amorem ac curam extitiſſe: tum verò ut omnes intelligant, quatenus admiſſa illa, quæ emendari ac corrigi non poſſunt, principibus condonanda, quatenus reip. conſervandę gratiâ toleranda, ac ne majores turbæ & ſeditiones, majoresq; calamitates oboriãtur, neve ex una cæde clades & ſtrages innumeræ naſcãtur & univerſus imperii ſtatus evertatur, quo

quo-

quomodo velanda, tegenda & obliteranda ſint. Veſtri, auditores, muneris erit, ut quã aliis qui ex hoc loco verba fecerunt, attentionem ac benevolentiã conceſſiſtis, eandem mihi ne denegetis, meique ingenii tenuitatem ac dicendi infantiam veſtro favore & æquitate ſublevetis, ut cauſam hanc omnium graviſſimam, quæ ſummum civilis prudentiæ momentum in ſe continet, qua poſsim, brevitate, vobis expediam. Rem autem, ut geſta eſt paucis ante percipite; Severus Imperator, cum jam ſibi hujus vitæ fabulam deſerendam, ac imperio excedēdũ eſſe animadverteret, omnẽ ſuã curã in liberos, quos heredes imperii ſui eſſe optabat, convertit, maximè de eo ſollicitus, quem tutorẽ ac parentẽ alterũ pupillis, deſignaret. In ea enim re non ſolum filiorum ſuorum, verùm etiam reip. ſalutem potiſſimùm verti ſciebat. Erat autem jam dudum Papiſtiani noſtri virtus ac prudentia & fides notiſsima. Quid fit? Imperatoris hujus ſapientiam, & verè paternum erga liberos animum cognoſcite. Poſthabitis omnibus aliis, qui in Imperatoria familia vel divitiis ac fortunis lautioribꝰ, vel generis affinitate, vel honoribꝰ, aut potẽtia eminebãt Papinianũ JCtũ eligebat, minimè dubitãs, quin, divinis hujꝰ viri cõſiliis univerſa illa tãti imperii moles gubernari quã optimè poſsit, beatosq; liberos fore judi-

judicabat, ſi hunc virum, in quo omniũ virtutũ exemplar poſitum erat, principem & auctorem omniũ honeſtiſſimarũ rerũ haberent His itaq; ex ſententia ita diſpoſitis Severinus Imperator æquiſſimo animo deceſſit, Tutelam Papinianus ſuſcipit: at quomodo eam geſſit? ita quidem, ut ſi deus aliquis hanc curam ſubiiſſet, adhibere neque operam, neq; ſtudium, neque fidem majorem potuiſſet. Sed attendite, quæſo, & mecum diligentius cognoſcite, quàm parum, ſtudioſiſſima etiam & optimorum virorũ curà & cuſtodia, quàm parum correctio & admonitio omnis expediat, ubi naturalis aliqua malitia radicem in homine primis ab in cunabulis defixit, quæ, ut rectè ille Lyricorum noſtrorum princeps ait, licet furca eam expellas, uſque tamen recurrit. Senſerat quidem vir divinus fomitem quendam æmulationis inter fratres deliteſcere, ſenſerat ſuſpicionum fumos oboriri, ſenſerat fermenteſcere inter illos nonnihil odii. Quid ille? connivet ad hæc? aut, ut fieri plerunque ſolet, oleum flammæ addit? Minimè omniũ: nolite de viro divino ejuſmodi quippiam ſuſpicari. Admonet ille aſſiduè, caſtigat, corripit. Verùm, neſcio, profectò, qua perverſitate naturæ hoc ſæpè fiat, ut in fraternis animis tantum virus ailquando reperiatur, quod adeò in cognatum ſanguinem ſæ-

viat, ut neque rationis expertes animantes, quæ ſibi naturali quadam adverſitate contrariæ ſunt, infeſtiora inter ſe bella & inimicitias exerceant, ex quo etiam in proverbium fermè abierit illud, quod Poëtarum quidam canit: rara eſt gratia fratrum. Augentur autem fraternæ diſcordiæ nulla re magis quàm æmulationis acceſſione, quæ inter coheredes imperiorum, ſempiterna quaſi quædam flamma, alitur. Nec enim à vero aberravit ille, qui nullam fidem ſociis, omnemque poteſtatem impatientem conſortis eſſe clamavit. Ejuſmodi veneno cùm fratrum horum duorũ animi vehementiſſimè infecti eſſent, fruſtra remedia â noſtro Papiniano afferebãtur. Sed, ut quædam ulcera ſunt, quæ magis magisque, ſi tangantur, tactu ipſo exaſperantur & incruдeſcunt: Ita malum hoc fraternis animis conceptum, nullis melioribus præceptis, nullis admonitionibus leniri aut ſanari poterat. Erumpit tandem in alterius interitum: Ab Antonino interfectus Geta frater eſt. O facinus! Facinus eſſe immane, auditores, quis negare poteſt? Imò, addo, immaniſsimum eſſe. Verùm illud in contentionem & controverſiam voco, & in præſentis orationis cardine colloco. Cædes cùm jam eſſet perpetrata, frater occiſus, ac in eum locum res adducta, ut nullis conſiliis, nullis rationibus ampliùs locus ullus reliquus eſſet, an non conſultiùs & pæſta-

bilius fuerat quovis modo furorem potentioris lenire, æſtum iræ ſedare, ferociam compeſcere, quàm igni, quod ajunt, oleũ infundere, & ex inſano inſaniorẽ reddere, vulnera reip. exacerbare, & obductam cicatricem refricare? Certè quantum mihi quidem videtur, boni ac fidelis conſiliarii officiũ ab archiatri aut à periti chirurgi prudentia diſcedere, ac quàm minimùm abire debet. Quemadmodum enim phreneſi laborantibꝰ multa condonant, multa connivent medici, ſi perperam ab illis nonnulla geſta, ſi fortè præfixam in cibo metam transgreſſi, vetitos cibos ſumpſerint, interdictas potiones hauſerint, non illicò ſeverius illos increpant, aut gravioribus verbis objurgant, verùm mollioribus dictis corrigunt, aſſentantur, adblandiuntur, arrident, eòque omnia ſua conſilia referunt, ut mitigent & dolorem ſenſim minuant. Ac, quẽadmodũ febricitantibus multa concedimus & indulgemus, quæ in ſanis reprehendimus, minus illi ſalubria ſibi cùm nonnunquam appetunt, & petita capiunt, connivendum in eis non raro eſt, ne dum corporis ægritudini avertendæ operam adhibere velimus, internam aliquam animi flammam multò graviorem excitamus. Eodem modo conſiliarius ſeſe inſtruat oportet. Quid enim? ſi quem principem, tyrannidis morbo affectum, tractandum & curandũ ſuſceperis, hoc prudenter quidẽ agas,

ut malis, antequam fiant, omnibus obvia eas, principemque tuum à conſiliis & factis cruentis deterreas, ſubmoveas; neq; ipſe ullis periculis, quò minus hanc operam ſumas, moveatis; At ſi fortè, quæ inhibere ac prohibere non poteras, deſignata jam & facta quædam ſunt, quæ quidem optandum eſſet, nunquam facta eſſe, in fecta autem reddi nequeant, quid verò tum? an non ſummoperè cavendum, ne morbum atrociorem ac vehementiorem efficias, ne flammam ex flamma trahas, totumq; imperium incendiis maximis involvas. Hæc, hæc, inquam Papiniane, vir omnium ætatum memoria celebratiſſime, perpendiſſe te oportebat; hæc paulò altius quidem conſideraſſe, & mentis tuæ trutina examinaſſe, atque ita tecum ratiocinari debueras: cùm nunc alter illo fratrum interfectus ſit, qui nullis rationibus á morte excitari, nullis meis conſilis in vitam reduci, nec in lucis hujus uſuram revocari poterit, quid agam? quid inceptem? quibus modis ſaluti Reip. conſulam? quas rationes ſalutares imperio ſuſcipiā? Patiarnè tanto ac tam nefario admiſſo ſcelere Reip. dignitati quicquam detrahi, imperii majeſtatē infringi ac funeſtari? Minimè; emori malim, quam Reip. quæ nobis carior, quàm noſmet ipſi, eſſe debet, pro qua etiam mortem oppetere nemo vir bonus extimeſcet, maculam ullam i-

ſuri ſinam. Sed quî non patriar? Paſſus equidem ſum; factum infectum fieri nequid, ſera nimis, ſi quæ poterat eſſe, ſera nimis medicina eſt; quid igitur? ulciſcar facinoris atrocitatem? perſequar injuriam? Sed quid ego? ô fruſtra omnes ſuſcepti mei labores; ſpes fallaces! cogitationes inanes meæ! verbis ne hominem jugulem, & in ſenatu accuſem; rei fœditatem ſuis coloribus depingam, ſceleriſque infamiam toto terrarum orbe divulgem? Papiniane, vide quid agas, officio boni conſiliarii rectè fungere, finemque reſpice. Hoc conſilii ad frugem & ſanam mentem tyrannum non rediges; hac ratione à cruenta illa ac fraterno ſanguine etiamnum calente via, in veram viam non reduces, imò inſaniorem efficies; te ipſum conſilio perdes, & latiùs liberiuſque graſſandi feneſtrã ei aperies. Quam igitur viam perſequi inſiſtam? quas rationes aggrediar, quibus cruentam Tyranni ſitim ſedem? defendam patricidium, ut juſſus ſum, inſidias à fratre interſecto ipſi primùm dicam eſſe ſtructas? dicam venenum in ſuperſtitis vitam paratum? dicam non ſcriptam ſed natam eſſe legem, quam non dicimus, accepimus, legimus verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quã non docti ſed facti, nõ inſtituti ſed imbuti ſum9: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela

aut latr

aut latronum aut inimicorũ inciderit, omnis honeſta ratio ſit expediendæ ſalutis? dicam, non conſulto, non cogitato, ſed repentino animi motu aut etiam caſu peccatum? Dicam eandem Romuli & Remi cauſam, eandem Titi & Domitiani, eandem Germanici ac Neronis fuiſſe? Dicam melius & conſultius eſſe tempori occurrere: quàm poſt exitũ ſeſe vindicare? Dicam reip. commodius ac præſtabilius eſſe unum ex duobus fuiſſe ſublatũ, quàm perpetua duorum contentione ipſam remp. conflictari & periclitari? Sed nónne hæc videbuntur conſtantiæ, virtuti ac integritati meæ repugnare? hoc potiùs conſtantis viri eſt, hoc officii ejus ratio flagitat, hoc poſtulat, ut dolorem omnem premat, omnia humana deſpiciat, nihil, quod homini accidere ulli poſſit, intolerandum putet, nec exacerbãdo affectui indulgeat. Hanc verò virtutem, hanc integritatem, hanc prudentiam reſp. requirit, imperii dignitas poſcit, ipſa ſalus mea & bonorum omnium exigit, ut cùm præteritis non ampliùs poſſim, futuris tamen medicinam ad hibebam, ac ſalutari conſilio occurram. Quantam verò victoriam referam, ſi tyranni iram mitigavero, ſi ſenatui eum conciliavero, ſi furorem hominis repreſſero? nonne maximam hominum multitudinem hoc unico remedio conſervavero? Certè ipſe ad ſe redibit,

dibit, ubi hæc inſania deferbuit: tum locus objurgationi meæ fuerit: tum angore conſcientiæ facinoriſque cruciatu agitatum, ſcelerum furiæ inſectabuntur, & à flagitiis aliis perpetrandis quàm maximè impoſterum deterrebunt. O incredibilem viri prudentiam! O felicem ac beatum conſiliarium! hæc ſi, Papiniane, animo tuo agitaſſes, & ad vivũ, quod ajunt, reſecuiſſes. Sed quam, quæſo, diverſam viam, vir bone, inſtituis? quæ ſiniſtra ratio animum tuum occupavit? quò ruis miſer? ſi neque ſanguinolenta ſecuris, neq; crudelitas, neque tyranni furor ac ferocitas animum tuũ movere poterit, moveat te ſaltem reip. amor, quo eam proſequi meritò debeas; moveat triſtis rerum iſte eventus, qui hanc tuam pertinaciã fuerit excepturus, moveat denique miſerrima reip. lamentatio, quæ te his quaſi lacrymis adoritur, & jam jam ad interitum proficiſcentem hac voce revocat: Quæ tua iſta conſtantia, aut potiùs pertinacia Stoica eſt, quæ reip. maximã tẽpeſtatẽ flãmãq; attrahit? quæ in te ipſũ tanta crudelitas? quæ immanitas? qua te ipſe lucis hujus dulciſsimæ uſura privare expetis? vides in quæ tempora incideris, quibus nubibus reſp. occupetur, quibus, prohdolor! fluctib9 jactetur? Vides longè alio conſilio his moribus eſſe ſubveniendum, &

longè

longè alia ratione rem iſtam aggrediendam: noſtri prudentis eſſe gubernatoris, qui clavũ navis moderatur, ſinus nonnunquam adverſa tempeſtate ventisque parũ ſecundis obliquare, ac vela ſecundum auram tendere. Noſti, quid eloquentiæ parens, ſummæque prudentiæ magiſter Tullius ſuadeat, ut cùm portum tenere rectà nequeas, mutata velificatione aſſequi ſtudeas. Indulgendum enim ventis contrariis eſt, cùm recto curſu contendere non poſsis. Itàne verò navem omnem evertendam, & ob unius interitum naufragium optandum omnium cenſes? Tum verò te de fratricidii atrocitate graviſsimè diſſeruiſſe, tum cœlum & terram totamque naturam in teſtimonium adduxiſſe, tum tyranno ob oculos tanti flagitii turpitudinem poſuiſſe, ſceleriſque infamiam ſempiternæ memoriæ ſubjeciſſe, tum te clamaſſe, deorumque iram ac infernales furias cogitanti tam immane nefas denunciaſſe, juris legumque omnium ſanctiones advocaſſe, & in execratione tam ſcelerati ferri fulgetraſſe oportuit, cùm nondum ille execrandus mucro diſtrictus, nondum manus fraterno ſanguine polluta, nondum parricidii flagitium admiſſum eſſet. At nunc, cùm horrenda illa cædes perpetrata eſt, cùm jacet ille, quid clamas, quid vociferaris, quid fruſtrà de facinoris immanitate conquereris,

quid

efficis? An non reſtes nectentem, patibula deſigentem, pugiones & gladios acuentem, venena miſcentem vides? Illud tibi, vir conſultiſſime, in mentem revoca, quod olim conſul meus Cicero prudentiſſimè ſcripſit: ſtare debere omnes tanquam in orbe aliquo Reip. qui cùm verſatur, eam deligendam partem, ad quã utilitas illius ſalusque ſe convertat. Quod ſi verò tibi tam vilis anima tua eſt, & ad vitam tuam minus reſpicis, maviſq; in Caroniana tua pertinacia ad mortem uſque perſeverare, Rempub. quæſo, & quæ omnium caritates complectitur, Patriam, pro qua momentis omnibus vitam profundere paratus eſſe debebas, tantò vulnere ac funere ne affligas, reip. ne te ipſe tua intempeſtiva audacia eripias, ne tecum tot millia hominum, quos accenſus furor tyranni conſumet, perditum eas. Meus enim, meus es, mihique plus juris in te quàm tu tibi ipſe debes, ita quidem, ut ſi corpore te velis exuere, vitæque hujus uſura privare, per me tamen non poſsis: Non permittam, non patiar, non ſinam: ſine meo imperio è ſtatione tua diſcedere nequis, niſi ſummo cum ſcelere reipub. te eripere & perfidiæ notam ac inconſtantiæ ſubire malis. Prudentis etenim eſt, tempori cedere, ejusq; circumſtantias diligenter obſervare, ut tũ ſibi tum reip, ſaluti omniumq; bonorum incolu-

mitati optimè conſulat,eoq; omnes vitæ ſuæ rationes conferendas exiſtimet,ut magnam nominis ſui famam maximis in remp. meritis poſteritati relinquat.Hac re itaque unica mihi & conſules optimè,& beneficium exhibebis maximum: ſi quacunq; ratione Caraccallæ furorem mitigaveris, fregeris,ſi te ipſe deniq; conſervaveris, & reipub.curam nō abjeceris. Hac unica re promiſſum imperatori tuo Severo præſtitum ſervabis,& immortalem gloriam reportabis. His profectò ſanctiſsimis reip. vocibus, Papiniane, morem geſſiſſe oportuit. Nec ſi prudentiſſimos quoſque rerumq; maximarum peritiſſimos in conſilium adhibuiſſes,dare tibi conſilium quiſquam ſalutarius & prudentius potuiſſet. Ita enim omnia conſilia in principatibus ac imperiis cōſtituenda eſſe omnes affirmaſſent,ut quo ad fieri poſſit,honeſtas nullibi lædatur,virtus conſervetur,infamia & labes omnis repellatur; ſed cùm nullum unquam magnum imperium ſine nævo aliquo reperiatur.nullæq; gubernatio ſit, nullum imperium,in quo nullæ injuriæ nulla delicta inveniantur, hunc omnem politicæ prudentiæ nervum eſſe dixiſſent,ut ſi quibus vitiis amplius mederi,ea, qua velimꝰ ratione non poſſimus,æquo animo feramus, operamq; omnem adhibeamus, ut de futuris magis,quàm præteritis anxii & ſolliciti ſimus.

Sciẽ

Scite ſiquidem ille, qui, Jovem nunquam ſua fulmina ponere poſſe, ſcribit ſi ad omnia omnium hominum peccata mittere ea velit. Idem in reſpub. eveniret, ut nulla unquã quies, nulla pax, nulla cõcordia futura eſſet, ſi omnium, quæ ſecus & perperam fiant, ſeveram & ſtrictam rationem ac animadverſionem ſuſcipere velimus. Hæc utinam, Papiniane, tuæ Stoicæ & Catonianæ pertinaciæ oppoſuiſſes, in ſecurim non ita pręcipitanter irruiſſes, nec illas voces per jugulum tuum ituras emiſiſſes, atque eo modo reipublicæ te conſervaſſes, Caracallũ in omnibus tibi obſequentiorem habuiſſes, conſiliis tuis impetum & ferociam ejus impoſterum cohibuiſſes, ac unius facinoris injuriam, maximorũ aliorum commodorum cumulis & ponderibus obruiſſes. Sed quid tuus obſtinatus animus effecit? quid illa intempeſtiva ſeveritas & pertinacia profuit? Nihil certè, imò verò maximam reip. calamitatem hoc modo attraxiſti, te ipſe, qui baſis & firmamentum reipublicæ eras perdidiſti ſacrilegium pręterea in te ipſe commiſiſti, qui juſtitiæ ſacerdotio tam eximium antiſtitem eripuiſti, rempub. tuo præſidio orbaſti, tot divini ingenii admirãda in te munera extinxiſti: tot millia bonorũ virorũ tecum ſuſtuliſti, maximãmq; ſtragẽ civitatis excitaſti, dũ tyranni ferociam, quã verbo compeſcere poteras, tua aſperitate inflãmaſti, & tanquã belluã immanẽ

irritaſti. Sed quid, vir meritiſſime, manes tuos hæc cum audiant, perturbo, quid umbram tuam fruſtra adhæc conſilia revoco, quid tibi cervicem, quid caput & ſenſum imponere rurſus conor? Caput enim ſi haberes, quod tibi ferro truculento reciſum eſt, annueres ſat, ſcio, huic meæ orationi, illudq́; haud dubiè exclamares, quod ille, qui prudentiſſimum quemque labi, decipi, errare & hallucinari interdum fatetur. Vobis, auditores, quæ dixi, judicanda, æquiſſimis rationibus relinquo, audiſtis quid ipſa reſp. quid prudentiſſimi omnes, quid doctiſſimi quiq; de tali cauſa ſenſerint, quorum auctoritatem tanti vobis fieri ſcio; ut ſententiæ meæ robur validius fore confidam, quàm ut contrariis ullis unquam rationibus everti poſsit.

ORATIO X.

Recitata ab

HERMANNO SCHLVTER DE BURGWEDEL.

Papinianum prudenter juſteq́ʒ feciſſe, quod mori maluerit, quàm Caracallæ fratricidium excuſare.

CUm maximè hic fructus hiſtoriarum agnoſcendarum omnium ſit, ut ſi quid in illuſtri rerum momento poſitũ ſit, quàm diligentiſſimè obſervemus, trutinemus & examinemus, ac ſi quid fœdum inceptu, fœdum exitu fugiamus, ſi quid laudabile, ſi quid prudenter, ſi contra, quid ſtultè & iniquè geſtum ſit, illud ut imitemur, hoc vitemus, ſi quid pulchrum, ſi quid honeſtum, & reip. ſalutare, amplectamur, cujus quidẽ conſilii graviſsimum auctorem ſcriptorem illum Patavinum habemus: Sumoperè profectò commendanda illorum induſtria ac diligentia eſt, qui ſyncero rectoque judicio veterum tùm facta tum dicta altiùs & diligentiùs excutiunt penitusq́; introſpiciunt, ac poſteritati, quaſi quoddam lumen ad interiorem rerum perſpicientiam, & ad veritatis inveſtigatio-

nem præferunt, dum nihil opinionibus vulgaribus, quæ nebuloſæ & præcipitiis errorum referte quam plurimis, nihil externis coloribus, ac integumentis ſpecioſis, nihil inanibus pompis, nihil communis præjudicii umbris, ſed veris rationibus, ac ſuis ipſius momentis rem quamq; perpendant & æſtiment, ne quas fortè offucias ac tenebras verò intellectui aliorum exempla offundant. Quod cùm plurimorum illuſtriũ virorũ egregiis factis, quæ ut quęq; ſui judicii impetus tulit, variè explicantur, nunc laudantur, nunc culpantur: Tum verò inprimis Papiniani, divini illiꝰ viri, ac principis, omnium JCtorum, triſtiſſimæ quidẽ, ò-mniũ tamen maximæ laudabili & ipſi immortalitati conferendæ morti, accidere videmus, Quã quidẽ cum fortiſsimus ille juſtitiæ propugnator, ſubire, atq; æquiſsimo animo ſecurim perferre maluerit, quã quod deteſtandũ omni ſeculo erit, perpetratum à Caracalla tyranno fratricidiũ excuſare, ne juſtitiæ, cujus ſacerdos & antiſtes erat, eo ipſo majeſtatem læderet naturamq; æterno rubore ac ignominia afficeret, ſiniſtra profectò hominũ judicia cenſurasq; admodũ iniquas experitur. ô labẽ omniu morũ & temporũ! ô peſtẽ! Eóne perverſitatis ſensũ ac judiciũ hominũ veniſſe, ut etiã ſcelera, eaq; immaniſsima, patricidia, fratricidia, defenſionẽ ac excuſationẽ non inve-

niſſe

niſſe olim indignemur, & vitio ſeculi illud graviſsimo aſſcribamus? quin etiã reprehendamus, vehementerq; vituperemus, & imprudentiæ ac iniquitatis anquiramus eos, qui, ne poſteritati tantã maculã & turpitudinem relinquerent, néve ſocietatẽ & communionem quandã ſcelerũ, patrocinio eorundem contraxiſſe viderentur, ad aram juſtitiæ, tanquã divinæ victimæ, procũbere & ſanguinem ſuũ profundere non dubitarint. Illud autem in hoc ſanctiſsimo juſtitiæ ſacello, in hoc ampliſsimorũ JCtorum cœtu, in hac lectiſsimorũ juvenũ corona, qui Papiniani, præceptoris omniũ noſtrum æterna monumenta aſsiduè legimus, atque in ſinu & oculis ferimus, quique inde meliores & doctiores quotidie evadimus, illudne, inquam, audiamus, & tacitè prætérire ejuſmodi ſermones ſinamus? Minimè equidem arbitror. Nec enim fas neque pudor, neq; hujus loci amplitudo, neque Papinianei nominis cultus & ſanctimonia, neque ſtudiorum noſtrorum religio, ſilentium nobis permittit. Video equidem mihi non opus eſſe attentionem veſtram pluribus expoſcere: Video animos veſtros in hanc orationem ultrò arrectos. Video eã, qua divinum illum virũ meritò amplectimini, caritatem, ſtudiũ ac benevolentiã omnẽ, in hanc meam cauſã converti. Sed hoc tamẽ ſtudiosè peto, ut ſi forteìexſpe-

ctationi

oni veſtræ minus ſatisfecero, illud non tam Papinianeæ cauſæ quæ patricinio meo non indiget, quàm ne infantiæ meæ, ac imperitiæ imputetis. Dicam autem, quàm breviſsimè potero, & validiſsimis argumentis confirmabo, nihil à Papiniano potuiſſe prudentius nihil juſtius, nihil fortius, nihil Jurisconſulti amplitudine atque auctoritate dignius, nihil ad omnem memoriam commendabilius fieri, quàm quòd tyranni in fratre Geta perpetratum homicidium excuſare noluerit, fortiſsimeq; mortis diſcrimina propoſita & extremam neceſsitatem contempſerit. Quod ſi itaque primùm omnium ad naturæ ipſius tribunal & ſupremum quaſi ſenatum cauſam præſentem vocemus, aut ſi, ut preſsiùs loquar, divini hujus Jurisconſulti factum non hominibus, ſed diis ſuperis dijudicandum proponamus, quid naturam ipſam, quæ Dei vox eſt, reſponſuram eſſe nobis arbitremur? Nihil profectò aliud, quam *juſtè*, prudenter & laudabiliter divinum virum feciſſe, quòd quæ contra naturæ ac divinas leges perpetrata turpiter fuerant, nullo excuſationis velo adumbrare, nullo fuco, & ſimulationis pigmento, nullis tectoriis ac verborum lenociniis nullis artibus ac verſutiis adornare neq; defẽdere voluerit, ſatiusque eſſe ac multò præſtabilius judicarit, non ſolum patria, lari-

bus,

bus, penatibus, bonis, fortunis, domiciliis, ſed vita denique ipſa privari, quàm fidei, juſtitiæ, integritatis ac religionis irreparabile damnum ſubire, & indelebilem infamiam apud omnes poſteros contrahere. Quod enim parricidio & fratricidio ſcelus ex cogitari aut fingi atrocius poteſt? quid ab omni natura nõ dicam humana, ſed belluina remotiùs, quàm trucidare eũ, quẽ natura parẽs, ex eodẽ ſanguine, ex eodẽ utero, ex eodem ut ita loquar, ovo, progenuit? Nec verò ulla unquam cauſa tanto ſceleri velum obducere, nulla ratio patrocinium præſtare poteſt. Omnia enim elementa, omnia animalia, totusque procreationis ordo & natura, tam immani flagitio adverſantur, non hic admittuntur, non audiuntur excuſationes iſtæ, quæ vulgò fratricidiis ſpecioſè prætendi ſolent. De Abelis in ſe contẽptu conqueritur Cainus: at cauſa ab ipſo Deo rejicitur: Foſſas & aggerem ſuum Remo ludibrio fuiſſe, murosque tranſultu illius illuſos & contemptos conqueritur Romulus; Nihil agis Romule: cauſa nihil eſt: non ſuſcipitur; Conſcientia te tua non liberat à fratricidio. Regnum à fratre ſibi præripi Cambyſes conqueritur cauſã conſcientia judex non audiit. Tantũ igitur abeſt, ut in hoc naturæ judicio imprudẽtiæ aliquã notã Papinianus ſuſtineat, ut etiam hac ipſius naturæ & Dei juſtiſſimi aſ-

tu ac voce glorioſiſſima ad omnē poſteritatis memoriā commendetur. Hęc vera, Papiniane, divinę juſtitię antiſtes, hæc eſt illa vera, cujus te ſacerdotē nominarunt, Philoſophia, hæc vera prudentia, quam inter mortales profeſſus es: hic verus tui ſtudii fructus, hæc gloria, ut nihil ad gratiam, nihil ad aulæ auram & favorē neq; dicas, nequé facias, nihil quod contra Deum, contra naturam ſit, defendi ullo unquam jure poſſe exiſtimes, Ut multa quidem divina in te, quæ nulla unquam ætate interibunt, ita diviniſſima tua ad Caracallam hæc vox eſt, cùm fratricidium facilius perpetrari, quàm excuſari dixiſti. Dignum, juſtitiæ oraculum, quod omnium tyrannorum non ſolum parietibus, ſed animis inuratur? dignus ipſe qui hoc effatus es, ut perpetua fortitudinis, prudentiæ, & virtutum omnium commendatione omnibus ſeculis deprædiceris! Atque hæc, auditores, naturæ, aut potius Dei oratio eſt, quę inſtar æterni elogii, ac immortalis tropæi, & triumphi habenda. Quod quidem cœleſte judicium omnibus aliorum aulicolorū paraſitorum, omnium Gnathonum ac adulatorum reprehenſionibus, validiſsimè opponendum, qui imprudenter Papinianum & dixiſſe & feciſſe temerè vociferantur. Imprudentes illi maximè, qui imprudentem hunc virum faciunt, ne quid gravius in illos dicam. An verò quicquam imprudentiæ in eo eſſe

poteſt, quod ſecundum naturæ præſcriptum, ſecundum Dei ipſius normam ac conſilium, ſecundum juſtitiæ ac æquitatis rationem dictum, factum ac geſtum eſt? Imprudens ergò ipſa natura, quæ hoc ordinavit, hoc ſanxit? Imprudens ipſum cœleſte numen, à quo hæ leges, hæc præcepta derivata ac profecta? Imprudentes illi omnes, qui injuſtitiæ ac ſceleribus ſeſe fortiter opponunt, qui tyrannorum crudelitatem improbant, qui caſtigant, qui reprehendunt? imprudentes ii omnes, qui vitã ſuam nunquàm non periclitari, quàm famam & exiſtimationem malunt. Imprudens igitur horum judicio ſapientiſsimus Romanorum Cato, quòd vitia hominum in ſenatu, pro Roſtris, in curia, in conciliabulis, in comitiis, in foro vehementiſsimè increparet, quòd in magnatum mores & nobilium vitam animadverteret, poteſtatemque cenſoriam ſeverè exerceret, eamque ob cauſam & invidiam & odiũ omnium diſſolutioris diſciplinæ hominum in ſe concitaret? Imprudens ſuperiore memoria doctiſsimus Anglorum Morus, quòd inceſtuoſum complexum Henrici Regis defendere recuſarit, ferrumque carnificis, quod æquiſſimo animo paſſus eſt, eadem ratione, ac ignem ſufferre maluerit. Imprudentes omnes illi Saulis impii regis optimi conſiliarii & miniſtri, qui crudeliſsimi tyranni, ſacerdotalem ſanguinẽ ſitientis, nefariũ mandatũ exequi re-

cuſarunt. Prudens verò ſolus ex omnibus ſceleratus ille Doegus erit, qui ſacro & uncto ſanguine non ſe abſtinuit, quiq́, ad gratiam tyranni non ſolùm ſcelus non excuſare, ſed ipſe etiam perpetrare illud maluit, quàm naturæ & Dei legibus parere. Egregiam profectò aulicorum & politicorum prudentiam! quam in Chironis illius ſemiferi Centauri ſchola didiciſſe videntur in qua non homines ad humanitatem, ſe ad ferinam immanitatem educantur. Hoc enim illud eſt, quod quem in fabulis partim hominem, partim beluam fuiſſe poetæ antiqui commentantur, per Chironis magiſtri naturam ac inſtitutionem adumbratur. Non ita verò noſter divinus ille Papinianus educatus, non ita inſtitutus, non inferina illa & Centaurea ſchola edoctus, ſed in Scævolæ Cerbidii, juriſperiti ſanctiſſimi ac prudentiſſimi ſinu fotus, & in diſciplina integerrima enutritus, nihil prudens, nihil eſſe eruditum, nihil ſapiens audierat, quod non & ipſum ſyncerum, & candidum, quod non & rectum, & juſtitiæ ac æquitatis naturalis normæ conſentaneum. In ea ſcilicet ſchola noſter informatus erat, in cujus veſtibulo & aditu illa quotidie in oculis habebantur, quæ apud graviſſimum poetam extant:

Juſtum & tenacem poſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,

Non vul-

Non vultus in ſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neq; Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iovis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Hanc equidem ſententiam obſervatam noſtro illi divino viro eſſe credam, cùm ante ora tyranni conſtitutus, crudeliſſimi mucronis aciem obverti ſibi videret, cùm juberetur ſanctiſſimam ſuam vocem ſceleratiſsimi fratricidii patrocinio adhibere: Qúem quidem ita ſecum animo tacitè deliberaſſe ac conſultaſſe veriſimile eſt. Quid agam? quid inſtituã? quò me in hoc rerum turbine vertam? quos ventos ſequar? defendam & excuſem, ut juſſus ſum, fratricidium? Qui poſſum? quibus integumentis tantum ſcelus involvam? orationem meam quibus verbis incipiam? quo ore, qua fronte in conſpectum hominum progrediar? Contra naturam armáne ſcelerata apertè ſumã? contra deos ipſos impudenter extollam? Juſtitiæ religionem & profeſsionis meæ dignitatem infringam, imminuam? Fidem & integritatem ac boni viri exiſtimationem perdam? ab ipſa natura, perfidus, ſceleratus, ac immaniſsimi flagitii protector, defenſor & patronus nuncuper, diis ſuperis infeſtus, & reipublicæ nefarius fiam? Aliud in-

juſti-

juſtitiæ gymnaſio, aliud in luce clariſsimorũ virorum dixiſſe, aliud in curia, iu foro, in ſenatu docuiſſe, aliud in aula inter aſſenratorũ greges feciſſe dicat? Quid enim ipſe in quæſtionibus meis reſcripſi, quid documenti poſteritati reliqui? Hoc ſcilicet, ut quæ facta ledãt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores ſunt, ea ne quidem ſimpliciter nos facere poſſe Quid huic meo reſcripto ipſe contrarium factum meum opponam, fidem ac integritatem proſtituam, memoriam nominis mei poſteritati execrandam relinquam ſacerdotii mei inſignia ac juſtitiæ ſanctimoniam profanem? Tyranni gratiam ac benevolentiam, exiſtimarioni meæ præferam? Non equidem, non faciã. Mori ſiquidem viro bono præſtabilius eſt, quam cum ignominia ſempiterna ac infamia vivere. O divinam divini viri ſententiam! ô mentem Romanam! ô pectus! cui etiam illa lucidiſſima cœli ſidera Caſtoris ac Pollucis clariſſimorum fratrum, loco ſuo cedere videnrur, quòd majorum fratricidii atrocitatem ab immanitatem eſſe judicarit, quàm ut excuſari ac homine ullo poſſit aut etiam debeat. Quid verò cœleſtem juſtitiam cogitaſſe, qua voce exclamaſſe, qua lætitiã extulaſſe illam dicam, cùm ſecurim illam horrendam, in ſacerdotis ſuis caput vibrari,

necemq;

necemq; glorioſo huic vertici infligi videret, cùm adeò intrepidum, & ad mortem oppetendam promptum, alacremq; animum ſpectaret. An non credamus ipſam ſibi juſtitiam de omnibus, quæ ubique terrarum floruerunt jurisprudentiæ ſcholis & gymnaſiis gratulatã eſſe, exiſſe videlicet ex ſuis officinis tantum, & tam eximium heroem, qui univerſo orbi ſui admirationem, & æternum juſtitiæ colendæ, & vitæ ipſi, nedum omnibus fortunis, anteferendæ documentum relinquat, O fructum æternum ac immortalem gloriam fortitudinis & ſapientiæ, quam dii ipſi prædicare, natura admirari, omnesque homines cum ſtupore audire coguntur. *Sed* quid mihi triſtem & luctuoſa cæde infelicem rempubl. atque afflictam hujus viri amiſſione facis? Quid eſt, quod reſpubl. deſideret? quod lamentetur, quod ploret, quid eſt, quod lachrimis repoſcat, quid eſt, quod amiſerit? Conſilium, inquis, tanti viri. At tu remp. illud amiſiſſe dices, quod æternis monumentis impreſſum & relictum, hodiernis omnibus imperiis utile, ac fructuoſum eſt? Quæ enim ætas unquam, quæ temporis injuria, quæ tyrannorum flamma, quæ charybdis ac rabies reſcripta tua, divine JCte, ac conſilia, delebit? quæ ſecuris, qui gladius, quod ferrum cum omni poſteritate loquentem, in curiis, in comitiis, in fo-

in foro, in ſenatu, in omnibus aulis regumque palatiis, in tribunalibus oracula juſtitiæ promentem, & conciliorum omnium curſus dirigentem linguam præſecare poterit? Fremas, frendas, uras, ſeces Caracalla, papiniani vocem clariſsimam nunquam extingues, nunquam auferes, conſilium non interimes, prudentiam non jugulabis, gloriam non obrues: Reipub. nihil adimes, cui in hac re ipſa ſummum conſilium, ſumma prudentia conſtituta, tanquam in æterno monimento erit, quòd boni & amantis juſtitiæ ac æquitatis viri ac conſtantis ſit, minoris vitam ſuam, quàm legũ obſervationem, juris divini ac naturalis religionem, cultumque juſtitiæ æſtimare. Cedunt namque huic monimento omnia, quæ in Platonis civitate iiſdẽ de rebus diſputantur, quæ in ethicis, in politicis ſcholis egregiè declamantur: Cedunt omnia dicta, omnes philoſophorum voces, omnium JCtorum reſponſa & oracula. Papinianea ſiquidem ſecuris illuſtriora documenta exhibet: Papinianeus ſanguis clariorem vocem edit, & in omnium hominum ſenſus ac judicia altiſsimè penetrat. Dignam profectò ſecurim! quæ in omnibus curiis pingatur, in tribunalibus ſculpatur, in JCtorum veſtibulis ac parietibus affigatur, regum & principum atriis ac cancellis præponatur: dignam, quæ in omni Senatu, in Cameris, in

ris, in Parlamentis, in judiciis omnibus bus ante oculus obverſetur, in cujus intuitu plus certè conſilii, plus conſtantiæ, plus integritatis, plus prudentiæ, quam in omnibus aliorum voluminibus continetur. Vide itaq; reſpubl. quàm nihil omninò à miſeris, ut etiã morte hujus viri beatior & felicior facta eſſe videaris. Caput viri amiſiſti: capitis quod præſtantiſſimum eſt, reſervaſti. Viri tanti conſilium & prudentiam incomparabilem literis mandatam retinuiſti: vitam ejus conſideraſti: ex morre ejus plus fructus & commodi reportaſti: ſecurim, qua nobiliſsimus vertex reciſus eſt fructuoſiſſimam recepiſti; proh Deũ immortalem, quantæ virtutis monumẽtum in illa ſecurè poſſediſti: Ita enim velim, Romana civitas certò exiſtimes, planeque tibi perſuadeas, non majori tibi ornamento ac dignitati & ad remp. tuendam, & ad ſalutem ejus propagandam majori uſui fuiſſe, illud, quod quõdam cœlo delapſum majores tui opinati ſunt, ancile aut illud etiam, quod è Trojanis cineribus ereptum Romam vexerunt Palladium, quàm Papinianea hæc ſecuris haberi debeat. Tollantur veterum omnium ſtatuæ imagines omnes, ceræ omnes, & monumenta omnia evertantur: Papinianea ſecuris omnium ſtatuàrum exempla & virtutũ antiquiſſimarum effigiem ac memoriam in ſe

cõplectitur. In ea tanquã in Hieroglyphica columna notari ac adumbrari, & tanquam ſymbolo clariſſimo, omnes quæcunq; in divinis animis dotes ac ornamenta ſunt, ſignificari poſſunt. Illam itaque ſecurim tanquam æternum clypeum, ac inſigne honeſtatis & virtutis, ſcutumq; juſtitiæ omnibus aulicis aſſentatoribus objiciamus, & obtrectationes omnium fortiſſimè hac ſecuti repellamus: Ateio Capitoni in ruborem & & ignominiam eã oſtendamus, qui ob id, imperante Tiberio, infamia, notatus fuiſſe dicitur, quòd humani diviniq; juris ſciens, egregium publicum & bonas artes dehoneſtaſſet. Ipſi etiam *Senecæ*, & Burrho Neroniani patricidii defenſoribus opponamus? omnibus denique illis, qui tyrannorum furori indulgere, eorum ſcelera tegere, ac defenſionibus munire conantur, ſecurim hanc tanquam divinum aliquem radium ac clariſſimum lumen exeramus. Sed quid præterea remp dolentem & acerbè ingementem fingis? quid pervicaciam, quæ conſtantia eſt, appellas? quid iniquitatem & imprudentiam, in eo collocas, quòd cùm in ſervare reip potuerit, ultrò ipſe ſe perdiderit, quod rei, quæ infecta reddi non potuerat, ſtultè ſe oppoſuerit, quod vitæ ſuæ prodigus rationem ejus nullam habuerit, rem non reſpexerit de parentibus de patria non cogitarit, quod Tyranni ferociam, quam lenire debuerat, magis accen-

accenderit, inflammarit, quòd cauſam & initium majoris calamitatis præbuerit, quòd vi viginti millia hominum, qui Papinianeæ ſententiæ ſuſpecti erant in exitium una traxerit? Quibus quidem omnibus breviter reſpondebo. Nam quod ſacrilegium in eo commiſſum eſſe clamitant, quod ſe ſervare reip. cùm potuerit, animam profuderit, quòd dona ſibi divinitus ad ſalutem reip. conceſſa temere projecerit, quòd remp. viro bono defraudarit: næ iſtæ calumniæ meræ & inanes vociferationes ſunt. Nec enim illi homines intelligunt ſervare reip. ſeſe quis dicatur. Quod quidem ſe didiciſſent, tam inepta & ridicula, atq; adeò puerilia non proferrent. Papinianus noſter tum ſe ſervari reip. ſciebat, cùm viri boni, prudentis & juſti officio ſatisfaceret, cùm documenta utilia & exempla ſempiterna reip. relinqueret, ex quibus ad omnem poſteritatem conſiliorum, prudentiæ omnisq; virtutis præcepta peti poſſent. Nec enim ille ſeſe reip. ſuæ ſervat, qui vitæ ſuæ quovis modo conſulit, ſed qui reip. ſalutem & æternitatem morte ſua conſervat, ac beatiorem felicioremq; civitatem in eo ipſo efficit, dum vitam ſuam publicè utilitati poſtponit. Nam ſi etiam ii, qui in acie gloriosè oppetunt, æternùm reip. vivere exiſtimātur; quid de eo dicemus, qui in quodā quaſi conflictu, juſtiq; ac injuſti certamine, pro juſtitię defēſione, pro legū & æquitatis

patrocinio fortiſſimè occubuit? An non ſervatum illum reip. & æternùm in ea vivere exiſtimabimus? Ac qui mori reip. ille potuit, quomodo eripi, qui ne ſibi quidem ereptus unquam eſt? Hæc enim vera vita in his terris dicenda illorum eſt, quorum gloria moriendo juſtitiæ & virtutis causâ, ad omnem æternitatem tranſmittimur. Falluntur verò, ſibiq; ipſi verba dant, qui futurum mitiorem tyranni animum facta fratricidii excuſatione, arbitrantur. Hæc ſiquidem tyrannorum omnium natura, hæc indoles, hoc ingenium eſt, ut, cùm ſemel ſanguinem humanum deguſtarint nullam ejus ſatietatem percipere ullo tempore poſsint. Nec enim Neronem aliis leniorem reddidit, quòd Seneca & Burrhus patricidium ejus obvelarent, Quandoquidem laxiores ſibi habenas graſſandi libido ſumere conſuevit, ubi furoris ſui laxamenta & patrociniorum vela nanciſcitur. Eſt verò, defendiſſet Papinianus fratricidium: cauſam obtinuiſſet: quantam, proh ſcelus, viam aliis ſceleribus muniſſet, quantam omnibus flagitiis feneſtram aperuiſſet? Jam tum etiam inceſtuoſas nuptias defendere debuiſſet; hodie aliis, cras aliis criminibus patrocinia ac aſyla quæſita eſſent. Nec verò tum demum ille tam ſceleratus, cùm maximè ſceleratiſſimus, qui hæc perpetraſſet, quam ille qui ejuſmodi defendiſſet, qui

filiis ſuis flammam ac peſtem foviſſet, ſceleriſque radicem & propaginem aluiſſet? Quæ tum ita ſint, non arbitror, auditores, quenquam noſtrum fore qui ſuperiori orationi nō ſuccenſeat, qui non moleſtè & ægrè ferat divini viri diviniſſimum illud factum tam ſiniſtrè accipi atq; intelligi, cùm vel ob hoc unicum, digniſſimus ille fuerit, qui non modò argentea, qua condita ipſius oſſa fuerunt, urna, ſed aurea tūba condecoraretur, digniſſimus, cujus memoria in omnium bonorū virorū animis perpetuò conſervetur, cui ſtatuæ & monumenta in omnibus judiciis, in omnibus juris ac æquitatis officinis, in omnibus curiis & gymnaſiis perpetuò collocentur.

ORATIO XI.

Recitata à

STEVOLINO BRANDEBVRGIO POMERANO.

Electione deferendum eſſe imperium.

CUm multa in hoc auguſtiſſimo imperio, præclarè & ſapienter ordinata ac inſtituta ſunt: tum nihil prudentius, nihil præclarius, nihil ad imperii majeſtatem amplificandam, & ad dignitatem cõſervandam, nihil ad tranquillitatem, ad concordiam, ad ſalutem Reip. perpetuò retinendam firmius, nihil validius, quam, quód univerſum hoc Imperiũ ab uno pendeat, ab uno gubernetur. Id quod totius mundi compages, qui á conditore ipſius uno adminiſtratur, comprobat: præſes enim dici unus eſt, facem quæ nocti præfert, luna una eſt; cor quod præcipuum in homine, unum eſt. Unius dominium præſtantius eſſe, ipſa natura dictitat: animalia rationis expertia docent, omniũ ferè gentiũ uſus confirmat. Verùm qua ratione, & quo modo cooptandi illi ſint, qui ſoli tantis rebus præſint, inter paucos cõvenit. Omniũ autẽ optimé inter alia illud majores noſtri conſti-

conſtituiſſe videntur, qui prudentiſſimo atq; prope divino conſilio, liberæ electionis & ſuffragii jura in conſtituendis imperii hujus ampliſſimi gubernatoribus, ſucceſſionis ſerie omni rejecta, perpetuò valere voluerint, ut ſolius virtutis & prudentiæ habita ratione, digniſſimus quiſque ex omni procerum numero, ad ſummum illud totius terrarum orbis gubernaculum, atque omnium, ſecundum cœleſtem poteſtatem, potentiæ maximæ faſtigium non cœco fortunæ ludibrio, neque incerto natalium eventu, ſed exquiſito delectu adhibito, voto liberrimo, judicio & ſuffragio prudentiſſimo, eveheretur. Quod ſi in republ. noſtra res ullo tēpore ſaluberrima verſata eſt, hujus profectò inſtituti utilitas tanta eſt, ut totius imperii magnitudo, auctoritas, gravitas, univerſæ reipublicæ ſalus, ſceptri ac diadematis cæſarii dignitas, majeſtatiſque amplitudo, atq; principatus ſplendor in hac ordinatione, tanquam in Atlanteis humeris & omnium fortiſſimis columnis niti ac recumbere videatur. Nobis itaq; hodiernis temporibus cùm nonnihil vacillare ac inflecti fundamentum tantum videamus, reclamante cum more ac conſuetudine aliorum regnorum propè omnium, tùm verò maximè hominum, qui non ſolùm in exteris, verùm etiam in medio hoc imperio verſantur, opinione ve-

hementer repugnante, ſtudium, quantum poſſumus, adhibendum eſt, ut laudabile hoc inſtitutum & prudentiſſimum majorum noſtrorum conſilium in hoc noſtro imperio per plurimos annos obſervatum ac retentum diutiſſimè impoſterum conſervemus. Ne quis igitur ſine graviſſima deliberatione, & utilitum, quæ in Rempublicam redundant, maximarum conſideratione, ſuſceptam hanc eligendi principis rationem eſſe autumet: tanquam in comitia, & quaſi in ſenatum argumentorum illorum copias, convocabo, quæ evidentiſſima hujus rei commoda ob oculos nobis ſtatuent, nihilq; regno & imperio tutius, nihil conſultius ſuffragio & electione eſſe docebo. Reſpondebo ſimul illis, qui ſucceſſionem præferre, & electionis vocem imprudentiæ redarguere atque evincere conantur. Ad vos autem, lectiſſ. auditores me converto, rogans, ut benevolentiam iſtam & attentionem, quam aliis, qui ante me locum hunc conſcenderunt, tribuiſtis, etiam mihi concedere dignemini. Primum autem quæram ex vobis ipſis, auditores, ſi quis veſtrum navigiolo ſuo gubernatorem præficere velit, utrũ ſibi potiſſimũ proræ regendæ aſſumendũ eſſe duxerit? Illumne, quẽ caſus aliquis fortuitus obtulerit, ac qui, licet ſe nautæ alicuj9 celebris filiũ, aut cognatũ dixerit, nondũ tamẽ vẽtos didicerit, nondum

nondum ſtellarum nomina notarit; nondum ſyrtes ac ſcopulos fretorum explorarit, nondum verſoriam calluerit, nondum ad ſideritem clavum regere edoctus fuerit? An potius illum, qui licet neq; avum, nec abavum, neq; parentem nauticæ rei peritum habuerit, ipſe tamen maria omnia longo curriculo emenſus, gubernandi ſcientia ac felicitate commēdatiſſimus omnibus habeatur? Quid hoc quæſito opus eſt? reſpondebitis, opinor: Quemquamnè tam dementem & à ſenſu communi inopem eſſe exiſtimabis, qui non illicò alterũ illum rerum ignarum rejiciat, huic verò navis ſuæ gubernaculum committere minimè dubitet. Quid verò? ſi ulterius interrogem, utrinam Reipublicæ clavum concreditum cupietis? Illinè, qui et ſi longas majorum ſuorum lineas præferens, ſe regis filium aut nepotem prædicaverit, nec quicquam tamen prudentiæ aut virtutis avitæ & paternæ, aut quidquā aliud, præter inanem generis pompam, ad adminiſtrationem imperii ſuſcipiendam attulerit: Aut illi potius diademata & ſceptra ultrò deferetis, qui fortitudinis, prudentiæ, reliquarumque virtutum opinione omnibus aliis præſtantior eſſe celebratus? Hunc æquidem arbitror, petitis, hunc optatis, huic potentiam defertis, huic vos jure & meritò ſubjicitis. Sed quomodo hunc habetis, niſi conſi-

 lio ini-

lio inito, oculos ac animos veſtros in univerſum hominum cœtum conjeceritis hæreditariæ ſucceſſionis omnis intuitu relicto, voto & ſuffragio ſingulari adhibito, dignum veſtra commendatione elegeritis. Sed ne vos involvere videar, aut collecto argutiarum nodo, ſenſum veſtrũ præcipitem trahere, agam vobiſcum explicatiùs, proponam clarius, quæ ex electione conſequantur commoda, & quæ ex ſucceſſorio jure repullulaſcãt incommoda, ac in Remp. redundent detrimenta, ob oculos breviter conſtituam. Quod autem adverſus tyrannidem & avertendam omnem ferociam præſidiũ majus eſt, quàm ſi ſpectata probitate & pietate, ac melioris naturæ indole, non ex Tarquiniorum ſuperbiſſima familia; non ex ambitioſo & turbulento genere Appiorum; non ex ſeditioſa Grachorum ſtirpe: verùm ex Pompilii poſteritate, ex Valeriana manſuetudine, ex Brutorum ſanguine aliquis eligatur? Si quid enim periculi in hereditario imperio & ſucceſſione regni habetur, hoc profectò tantum eſt, ut pauciſſima regna oſtenderẽ poſſis, quæ cùm reges ac principes magiſtratusq; ſuos ſucceſſorio jure accepiſſent, in hanc calamitatem non inciderint: Facilimus enim ab hoc regnandi genere gradus ad tyrannidem eſt. Nec verò ejus cauſa alia, quàm quòd ii, qui á majoribus acceptã guber-

natio-

natione poſſident, & ſucceſſionis via imperiũ conſecuti ſunt, nihil ferè Deo, nihil fortunæ, nihil voluntati & voto ſubditorũ, nihil aliorũ hominum ſuffragiis tribuant: Sed quicquid eſt, illud omne in ſe poſitum & ſuis viribus eſſe arbitrentur. Cumq; à ſui generis faſtigio, majeſtatis ſplendorem omnem pendere cenſeant, inſolentiæ eò plerumq; devenire ſolent ut quicquid infra ſuam fortunam eſſe vident, pro nihilo ducant, & tanquam viliſſimũ mancipium tractent. Tarquiniorum enim tyrannis unde orta, niſi hoc principio & hac ſucceſſorii juris origine? Atq; Aſſyriorum Reges ſæpenumerò ad tyrannidem hoc gradu veniſſe: Medorum ferociiſſe, Ægyptiorum ſæviſſe accepimus. Quid veterum exempla nomino? Hodierna regna ac imperia conſpiciamus. Turcarum furorem, Moſchovitarum beluinam immanitatem: ſucceſſoriæ dominandi potentiæ rectè adſcribimus. Galliæ lanienas, Angliæ uſtiones ac cædes; Hiſpaniæ crudelitatem, ſucceſſorio imperio acceptam referimus. Unde non immeritò Philoſophorũ princeps, illos populos omnes barbaros appellavit, qui non ſuffragio & electione, ſed ſucceſſorio jure regna & imperia ſua deferrẽt. Quid enim hominis præſtantia indignius eſſe poteſt, quàm ita ſeſe abjicere, omnéq; gubernãdi ſui rationem negligere, ut cui vitæ & necis tuæ arbitriũ in manũ colloces, cui faſces & ſecures in

te committas, penſi nihil habeas, non diligenter ante deliberes, non judices, non æſtimes. Quid verò hoc aliud eſt, quàm libertatem ſuam turpiter profundere, & ſervitutis frenos ultrò apprehendere. Contra tot verò incommoda difficultatesque maximas electio præſidium tibi munire tutiſſimum poteſt. Eliges eum, cujus tibi, antequam in regnum introducatur, natura optimè perſpecta & cognita eſt, qui neque natura ſanguinarius, neque crudelis, neque inſolens aut ſuperbus, neque injurioſus, quique ab omni immanitatis ſuſpicione remotus. Eliges virum virtute præſtantiſſimum, eliges juſtiſſimum ac optimum, eliges prudentiſſimum, fortiſſimum, temperatiſſimum, patriæq; amantiſsimum. Atqui hanc viam ipſa natura nobis munire ac præſcribere videtur, quæ, cùm in regiis & heroicis familiis præſtantiam ingenii & nobilitatem animi, cæteraq;, quæ ad imperii dignitatem tuendã requiruntur inſignia dona haudquaquam cõtinuet, verùm ex alia ſtirpe in aliam ea transferat, ita quidem, ut ſecundum triviale dictũ, heroum filii plerunq; noxe fiant, & ab avita virtute longiſsimè degenerent, omniumque deterrimi, peſsimi, & ineptiſsimi ad gubernaculum reip. moderandum evadant, quid, quæſo, magna illa parens, cui parere meritò debemus, quid, inquã, dum hæc eo modo peragit,

In non quaſi digito ſuo ad electionis rationẽ
n imperiis conſtituendis habendam animos
noſtros deducit? nónne verò cum imperandi
rtibus & nobiliſsimis illis heroicæ indolis
nuneribus ipſum imperiũ transfert, & à ſuc-
eſſoria illa dominandi ratione, ad calculum
z ſuffragium, ad votum ac electionem revo-
át? Ita profectò eſt. Sic enim Auguſto ſucce-
erè Tiberiũ ipſa natura abnuebat, cùm quæ
n illo virtutes & ad imperium idoneæ artes
nituerant, in hoc jacebant torpebantque
mnes. Imperatorium animum abſtulerat na-
ura Claudio, abſtulerat omnem meliorem
ndolem Neroni: At quid hæc ablatio ſignifi-
abat? nihil aliud, quàm, cùm indignos Au-
uſti poſteros imperio & avito ſolio feciſſet,
on ex ſtirpe aliquam ſucceſsionem, ſed ele-
tione quærendam & retinendam. Prudentiſ-
mi itaque veterum ætatum illi cenſendi, qui
aturam ducem hujus rei ſecuti, rejectis cæ-
æ fortunæ cunabulis, rejecto natalium even-
u, reges & principes ſibi non fortuito naſci,
ed eligi voluerunt. Antiquitati verò reve-
entiam cum in aliis inſtitutis & ſanctionibus
am tribuamus, ut nefas & quaſi piaculum
ucamus ab ea facilè deflectere, majorumq;
rudentiam floccifacere, cumque, ut JCtus
it, *mos retinendus ſit fideliſſimè antiquitatis*?
uid cauſæ eſt, cur vetuſtatis veſtigia relin-
quere,

quere, & ab electionis jure ad ſucceſſionem hereditariam animos noſtros abducere conemur. Nam ſi electionem cum altera illa quaſi confligere & certare de antiquitate expetamus; fateamur oportet omnium regnorum primodia, omnium impiorum initia, & principatuum auſpicia à ſuffragio, â voto, & conſilio atque ab electione profluxiſſe. Hoc igitur argumento maximè ſe electio noſtra efferre, hoc magnificé triumphare poteſt, quòd antiquitatis venerationem & ſanctimoniam, tanquam fulcrum & baſim immobilem habeat, cui certè ſi vocem concedere, dicendiq; locum permittere velimus, ipſa in hunc modum pro electione verba faceret; Quantum equidem præteriti temporis reſpicere & recordari ab ultimis ſpaciis poſſum, electionem in omnibus imperiis, ac regnis, omnibus in rerump. gubernationibus valuiſſe video: meminiq; non ex ſtirpium lineis, non ex majoris incunabulis, non ex commendatione ſanguinis, ſed ex mediis univerſi populi cœtibus, ex media interdum acie, ex viliſſimo nonnunquam tugurio, & è latebris obſcuris reges & principes in atria & palatia eſſe deductos: Ab ovili alios vocari ad imperia conſpexi: ab aſinis alios ad ſceptra ampliſſima evehi meis oculis vidi: alios ab aratro ad curiam & faſces invitari, é villis in urbem deduci feliciſſimos gubernarores animadverti, atq; ita optimos

quoſq;

nosq; eligi primos omnium reges, ac princi-
es obſervavi. Audimus, teſtem omniũ ve-
iſsimam, antiquitatem ipſam, electioni pal-
nam concedere: eã verò dũ audimus, audi-
e non cogitemus, omnia regna, omnes reſp.
c civitates, omnia imperia & principatꝰ no-
biſcum loqui, quorũ ſalutem, incolumitatem
& felicitatem ab hac dominandi ratione pro-
fectã eſſe maximã, temporũ omnium annales
confitentur: electio regnũ Hebræorũ funda-
vit; electio conſervavit: Davidem electio de-
dit: ſucceſsio idem regnum peſſundedit: ſuc-
ceſſit hereditariò Roboamꝰ, ſucceſſit Achacꝰ,
ſucceſsit Manaſſes, ſucceſsit Johas: O peſtes!
ô labes reip. ſucceſsio! Perſicũ imperiũ electi-
one floruit, ſucceſsione periit: Idem omnibus
ferè aliis regnis eveniſſe cõſtat. Electioni debet
Polonia ſuum Piaſtũ, quem omnibus aliis ex-
emplo proponit, debet Jagellonem, debet Lu-
dovicũ, debet Sigiſmundũ, debet ſuũ Stepha-
num: Dani verò neque unquã Hiarnũ ſuũ do-
ctiſsimũ & prudentiſsimũ regem habuiſsent,
neque ſuos Fridericos feliciſsimos principes
accepiſsent, niſi electionem ſecuti fuiſsent.
Caruiſſet Germania ſuis Carolis, caruiſſet ſuis
Ottonibus, caruiſſet Fridericis, Henricis,
Maximilianis, Rudolphis ſuis feliciſsimis
rei Romanæ moderatoribus caruiſſet, niſi ele-
ctio divinos illos principes imperio dediſſet.

Vides

Vides quò ſucceſſionis linea decurrat, quid monſtri imperio apportet: Ea enim viâ, peſtis illa imperii Iſraelitici, Athalia, frenos regni arripere conabatur. Sed demus huic labi remedium, & prudentiam Gallorum veterũ ſpectemus, fœminamque omni imperiorum aditu arceamus, Salicæ legis obſtacula objiciamus, Neapolin, ut factum à collegio Cardinaliũ eſt, fœminei imperii infamia liberemus, nihilnè porrò à virili ſucceſsione periculi imminere reipublicæ exiſtimemus? Quantas diſcordias, quas flammas, quæ fraternæ æmulationis incendia, quæ diſsidia regnandi ambitione oborta, ſucceſsionis fomite naſci videmus? Aut quod unquam regnum fraternis armis vacuum fuit? quæ unquam regio fratricidiis non polluta? quę imperia veneficiis aliisque immanibus ſceleribus non contaminata, in quibus ſucceſsionis hæreditarię jura moderationi viam aperuerunt? Fraternum illud Thebanorum bellum his ſcintillulis exortum eſt: Caracalla hanc ob cauſam fratrẽ ſuum jugavit: Cambyſes ſuum ob eandem ſuſtulit: & ne vetera proferam, quæ innumera ſunt, quis Palæologorum Orientis Imperatorum diſsidia ex ſucceſsionis jure derivata non audivit? quis neſcit his favillis Conſtantinopolitanũ imperiũ deflagraſſe? Turcarum fratricidia immaniſsima quotidie legimꝰ, quotidie no-

die nova audimus, quæ quidem omnia à ſucceſſionis fonte proficiſcuntur. Sola autem electio omnibus malis collum præcidere poteſt. Non enim jam ampliùs inter coheredes ambitio, non libido dominandi, non odia, non inſidiæ, non diffidia, non rixæ & contentiones verſabuntur, cùm electionis arbitrium non ad generis pompam & familiæ ſplendorem, non ad divitias, non ad potentiam, ſed ad virtutem & præſtantiam cujusque directum & intentum eſſe intellexerint. Hîc nihil privilegia primogeniti, nihil intra regnum nati, nihil patre rege procreati contentionis ſuſcitabunt: O aureum imperiorum omnium columen electio! ſine qua felicem & beatam rempublicam nullam eſſe poſſe video, & qua ſublata, virtutem ipſam interire & emori oportet. Hæc enim ſola eſt, quæ virtutem premiis ſuis alit, quæ ſuſtentat eum, & in imperiis conſervat: Hęc illa eſt, qui viciis fomēta omnia ſubtrahit, ac diſſidiorum & diſcordiarū igniculos funditꝰ extinguit. Staret fortè etiamnum Macedonicum imperium, ſi electionis fulcro ſtetiſſet: ſtaret Aſſyricum, niſi Sardanapalum ſucceſſionis hereditariæ Jure oblatum accepiſſet: Et Medorum potentia nondum fortè corruiſſet, ſi fortiſſimos princeps electio potius, quā ſucceſsio imbelles, timides ac væcordes dediſſet. Orientale verò

imperium à Conſtantino fundatum, à Juſtiniano electo conſervatum, & à multis aliis electis amplificatum etiamnum ſine dubio floreret, niſi ſucceſſionis labes regnum occupaſſet, niſi ad impudicam Zoem, niſi ad adulterum & veneficum Paphlagonem, ad Monſtroſum Calaphatem, ad effœminatum Monomachū, niſi ad ſceleratum Palæologum; deniq; dignitas imperii nobiliſsimi ſucceſsionis ordine deveniſſet. Nec verò Scotiæ regnum tot parricidia, tot veneficia in aula ſua vidiſſet, ſi electionis arbitrium ſoli virtuti imperium elocaſſet. Nec aliorum regnorum faſciæ & ſupremæ poteſtates, ad indignos homines delatæ eſſent, ſi electioni locus fuiſſet. Non tot furioſos, non tot amentes, non tot ſimplices, Gallia habuiſſet, ſi conſultiſſima electio prævaluiſſet. Concidiſſet ſat ſcio jam pridem Germanici imperii majeſtas, nec quicquam Romanæ amplitudinis in reliquiis ſupereſſet, interiiſſet cunctus bicipitis Aquilæ fulgor, nomenq. Cæſareæ dignitatis ex memoria omni ſublatum eſſet, niſi electoralis collegii firmamentum. & æternum Romanæ potentiæ robur hoc uſq; vires hujus regni conſervaſſet. Hinc tot prudentiſsimi, hinc tot fortiſſimi, hinc tot juſtiſſimi patriæ propugnatores hinc tot Achilles, ac Hectores in hoc imperio extiterunt. Nec verò ullam huic potentiæ

ruinam

ruinam unquam timebo, dummodò hoc munimento Germaniam circùmſeptam eſſe videro. Nunquam ex tot potentiſſimis ac fortiſſimis imperii familiis non erunt nobis alteri Henrici, alteri Ottones, alteri Caroli, alteri Fridrici, quorum virtute ac felicitate defendi, gubernari ac amplificari imperium poterit. Quocirca eant illi, qui ſucceſſionem ſanguinis amplectuntur, qui naſci ſibi, quam fieri & conſilio & prudente electione regnùm malunt, qui à cœca fortuna potiùs, quàm à deliberatione animi pendere ſuum ſceptrum cupiunt, eant, & ſucceſsionem ſuam cum noſtra electione conferant, commoda utrinq; perpendant, & æſtimet. Hinc etenim felicitatẽ, illinc infelicitatem: hinc rerum omniũ proſperitatem, floremq́; imperii perpetuum, illinc calamitatem: hinc virtutem, illinc vitiorum omnium flammam: hinc tranquillitatẽ, pacem & concordiam, illinc ſeditiones, bellum & diſſidium: hinc amorem, illinc odiũ: hinc continentiam, illinc libidinem: hinc denique æquitatem, temperantium, fortitudinẽ, illinc iniquitatem, luxuriam ac ignaviam videbis. Quæ cùm ita ſint, auditores nobiliſſ., neminem noſtrum eſſe arbitror, qui majorum noſtrorũ inſtitutũ nõ ſummoperè cõmendet, non laudet, nõ approbet, ſibiq́; nõ applaudat, nõ gratuletur, quod in hoc imperio natus ſit,

in quo divinum illud electionis arbitrium cõſervatur, in quo virtuti ſua præmia, & pœna malefactis tribuuntur, ubi nulla tyrannis unquam metuenda nulla inter principes ambitio, nulla corruptio, nulla diſſidia & contentiones, regnandi gratiâ inveniuntur. Deus itaque optimus max. nobis ſaluberrimum hunc ſtatum muniat, confirmet, fulciat, protegat, & ad omnem æternitatem conſervet.

ORATIO XII.

Recitata à

JOHANNE FELTHAVS

LUBECENSI

Præſtabilius eſſe hæreditaria ſucceſsione, quàm electione imperia conſtitui.

SI quicquam eſt, auditores nobiliſſimi, quod ad reip. ſalutem, ad concordiam, ad pacem & tranquillitatem imperii, ad omnium & ſingulorum commodum & utilitatem conſervandam & amplificandam, imò ipſam rempublicam multò beatiorem efficiendam maximè ſpectat, illud profectò ejuſmodi eſt, ut eò omnes ingenii & corporis nervos intendamus, quo feliciſſima gubernatorum ſeries & ſucceſſio in regnis & imperiis

retine-

retineri, & ad omnem poſteritatis memoriam transferri, ac denique laudabili & prudenti inſtituto, jure ac legibus conſtitui confirmariq; poſsit. Hoc enim primum rerump. fundamentũ, hanc baſin imperiorum, hoc fulcrum regnorum, omniumq; adminiſtrationũ quandam quaſi Atlanteam columnam haberi oportet, ut, cùm fatorum viciſsitudini, naturæq; fragilitati ii ſubjecti ſint, qui ad clavũ imperii collocati, remp. tanquam navim aliquam moderari debeant, certæ rationes habeantur, quibus veluti ſalutaribus remediis, humanis caſibus occurratur, brevitati ævi cõſulatur, fatorumq; lacuna compenſetur ac conſolidetur, atque ita aliquo modo immortalitas & æternitas reip. perpetua ſucceſſorum ſubſtitutione conſervetur. Qua quidem in re niſi provido ac propè divino quodã conſilio reip. diligentiſsimè proſpectum ſit, non video, quo modo illa buſtum ac interitũ imminentem effugere & evitare poſsit. Non minus itaque prudenter quàm utiliter omnium ferè imperiorum, ac rerumpub. inſtitutores hanc viam primum omnium munitam voluerunt, ut, quo poſſent, ſummo ſtudio præcaverent, ne quis fortè aut caſus aut fortunæ injuria, aut naturæ benevolentia rempub. ita affligere poſſet, ut non deficiente, & cadente altero, non illico alius adeſſet, qui lampadẽ,

quod dicitur, exciperet, vicemq; alterius expleret, atq; à ruina interitu imperium vindicaret. Duo autem tam ſalutaris rei conſtituẽdę remedia præſtantiſſime ac præcipua maxima haberi poſſe oſtenditur. Quæ verò illa? Alterũ electionis, alterum hæreditariæ ſucceſſionis appellant; de quorum alterutro eligendo magna in ſupremis imperiorum regnorumque curiis & in ipſo quaſi deorum ſenatu, in prudentiſsimorum hominum judicio, animis in diverſas ſententias euntibus hucuſque habita contenti fuit, & adhuc habetur. Audiſtis enim, Academici, audiſtis quàm ſpeciosè, quã probabiliter, quàm contẽtiosè electionis fautor ſuas partes peregerit, quàm nihil reliqui fecerit, nihil omiſerit, quod ad electionem commendandam atq; conſtabiliendã requiratur. Audiſtis, quibus argumentis tanquam cuneis ac telis ſententiam ſuam vehementiſſimè torſerit, quibus rationibus eam munierit, quibus ornamentis veſtierit, quò aures ac animos veſtros in ſuffragium commune alliceret, & pertraheret. Sed ſi eadem benevolentia ac æquitate huic meæ orationi alterani duntaxtat autem ſtudioſè præbueriris, efficiam, ut ſpero, hac ipſa hora, ut illam, quæ ex hæreditate eſt, ſucceſsionem, omni prudentiſſimæ etiã electioni & ſuffragio omniumque calculo mecũ longè ſitis præpoſituri. Tũ verò,

non, ut electionis, defenſor paulò antè ex Ariſtotele ſuo nuncupavit, barbaros & aggreſtes, ſed omnium prudentiſsimos, ac reip. gubernandi conſultiſsimos eos mecum exiſtimabitis, qui voto, calculo ac arbitrio, quod diſcordiæ & fallaciæ plenum eſt, relicto, ad ſanguinem, ad poſteritatem, ad ſucceſsionem & hereditatem ſceptra ac diademata ſoliumq; imperiale devolvenda eſſe judicarint. Nihl enim profecto vel ipſi naturæ & diviniæ inſtitutioni magis conſentaneum, nihil legibus atque conſuetudinibus benè introductis convenientius, quam eum in imperio per ſucceſsionem ſubſtitui, qui ab ipſa natura, & à Deo electus eſſe videatur, qui in ipſa purpura ac inſignibus imperii natus, in ſolii ſplendore & regni majeſtate educatus, in trabeæ folgore enutritus qui laudatiſsimarum rerum ſtndiis ab ungue imbutus, & ad omnis glorię cupiditatem inſtitutus, faſces atque faſcias regias ex avita & patria manu in manum acceperit, cui naturæ benignitas cœlique favor animum atque ſpiritum regandi celſiſsimum indiderit, ſanguinem regium infuderit, vires heroicas ac generoſam indolem contulerit, quem & in ipſum regiæ dignitatis ſolium tanquam manu ſua collocaverit. Iſtum verò naturæ ordinem ac legem non modò in genere mortalium, ſed in omnibus animantibus cuſtodiri ac retineri quis non animadvertit, non perſpicit? Atqui-

lam cùm omnium avium reginam natura conſtituerit,in hoc genere regnum conſtitutum,indole ac vi propria propagatū conſervat neq; ad milviū, neq; ad accipitrem, neque ad gryphē,aut ad alia volucrū genera imperium aquilæ conceſſum transfert, ſed potius illud omnibus modis in ejuſdē propagine cōſervare nititur.Eadem cū quadrupedum imperiū generoſiſsimum animantium leoni permiſerit, dominandi virtutem ac potentiam roburq; in eodem genere ſtabilitum promovet. Quocirca ſi in conſilium naturam ipſam vocemus, ſi in curiam, ſi in ſenatum eam deducamus,ſi interrogemus,quid ipſa hac contro verſia ſtatuat, quid cenſeat,quid judicet, quid pronunciet; quidnam putabimus magnam illam & omnium prudentiſsimam parentem nobis reſponſuram: Equidem videor illam in medio noſtrùm audire, & hanc longè graviſsimam & objurgationis pleniſsimam voce emittere : Quid inepti, quid rerum maximarum rudes conſultores agitis? quid incipitis? in quam viam inſiſtitis? quò ruitis? quo arbitria & ſuffragia veſtra dirigitis? quò calculos veſtros conjicitis? quò animos ac ſententias veſtras deflectitis? Meliorémne ullam exiſtimatis à vobis viam inveniri poſſe, quàm ipſa vobis oſtēdi? ullumnè vos ſalubrius indagere remedium poſſe,quàm ipſa vobis
ideò

ideò præſcripſi, ut omnium bellorum civiliũ fibræ eliderentur, omnium rixarum radices evellerentur, cunctæ contentiones ſtirpitus è rep. excinderentur. At ſi quis fortè tam obturatis ſenſibus auribusq; haberetur, ut hanc naturæ vocem non exaudiat, non advortat, ille velim in ſe ipſe pauliſper deſcendat, apud ſe ipſe conſilium & ſenatum inſtituat, & de præſenti controverſia hunc in modum ſecum deliberet: Duę eligendi regis ac principis rationes, duo modi, electionis alter, alter ſucceſsionis hereditariæ, habentur: utrum horum apprehendamus? utram viam ingrediamur? ut imperii tranquillítas, pax, concordia, reip. ſalus, omnium ac ſingulorum utilitas conſervetur, atque ad poſteritatem propagetur. Quid verò, hæres, quæſo? quid dubitas? quid unguem rodis, capud ſcalpis? in te ipſe quid bivii, quid nodi offendis? electionis incommodum primùm in te ipſe vides: Animus tanquã in lintre pôſitus vacillat, cogitatio fluctuat, conſilium dubitátionis æſtu agitatur, ut, quod momento placuit, momento diſpliceat, neque in ullius ſententiæ firmitudine ratio conſiſtere poſſit. Quid verò, cùm in te uno tantos fluctus electio excitet, quid fore arbitraris, ſi in plurimorum ſententiis ac ſuffragiis jus illud poſitum habeatur, quantũ diſcordiarum fretum, quantum Euripũ obo-

rari in contentionibus & diſſenſionibus, quã-tam omnium inde civilium calamitatum naſci ſegetem oportet? Revocentur in conſpectum ex veteribus regnis & rebuspub. electionis tempora: Quas ſtrages hominum, quas clades, quas cædes ſuffragia attulerunt? Intuemini ipſam Romanæ Eccleſiæ, quæ ſanctiſsima haberi expetit, ſedem & cathedram pontificiam: Quæ in ea lanienæ? quæ prælia? quę bella? Nondum trecentos & ſexaginta ſeptem annos piſcatorius annulus floruerat, cum propter Damaſi & Urſinici, de pontificia tiara contendẽtium, graviſsimas factiones, ſexcenti Romanorum cives cæderentur. Cæſi ob eandem cauſam ipſi pontifices: quorum viginti quinq; ampliùs in intimis conclavibus, in delubris, in aris & focis, crudeliſsimę jugulati: plures veneficiis ſublati, clandeſtiniſq; artibus de ſede deturbati. Neq; verò id Romę tantũm ſed in omnibus provinciis, in omnibꝰ urbibus, ab oppidis, quæ ſacerdotalis ſuffragii ſedem habuerunt, omni ætate contigiſſe ex annalibus perſpicuum eſt. Electio agros vaſtavit, Eccleſias diripuit, electio fana ſpoliavit bellis & cædibus omnia contaminavit electio Germaniam patriam noſtram ſæpius hac unica cauſa factam miſerrimam, teſtem ejus rei nominem? quid non inde inteſtinæ calamitatis, quid cladis civilis non exortum?

Rhenus

Rhenus & Iſter quoties ſangnine inundarunt? quoties diſcordis ſuffragii pœnas non modò Mœnus, ſed omnes imperii provinciæ, miſerrimis modis dilaceratæ, dederunt? Pleni triſtiſsimarum rerum noſtri libri ſunt, pleni faſti ac hiſtoriæ; pleni veterum ruderum agri, plena direptionum vaſtitatumq; antiquarum monimenta, quæ neq; ſine horrore, neq; ſine maximo dolore etiam hodie aſpici poſſunt. Quis temporum Ludovici Bavari, quis Guntheri, quis Adolphi, quis Philippi ſine ſuſpiriis & lacrymis meminiſſe poterit? Infeliciſsime tempora! ſi modò tempora dicenda ſunt, quæ funere & luctu merſa ac ſepulta omnia habuerunt, cùm per diſcordes & incertos electionis calculos omnia incerta fierent, incerta domus, incerta uxor, incerti liberi, incerti agri, lares, domicilia incerta, cùm cædibus ac rapina ſacra & profana omnia miſcerentur, jura omnia delerentur, aræ & foci verterentur. At hæc illa præclara electionis munera, hæc illa, quibus tam magnificè electoris oratio triumphat, egregia commoda, hi illi uberrimi qui in remp. redundant fructus: Sed ô res omnium ſaluberrima, ſucceſsio! Videamus, quæ tua viciſsim bona, quæ præmia exhiberi poſsint. Tu regnis pacē, tu concordiā populis, tu tranquillitatem rebuspub. fortunis & copiis incrementū, oppidis florē familiis voluptatem, agris quietē, tu temporibus ſe-

renitatem & gaudium largiris: Prædicant verò te omnes gentes, cœlo te nationes omnes efferunt, quæ ex ſanguine quæſitos reges & principes habuerunt. Quid enim Chaldæorum, quid Aſſyriorum imperia ab inteſtinis ſeditionibus per tot ætatum ſpacia conſervavit, quid ea ád ſupremam omnium dominationum potentiam, maximumq; faſtigium evexit? Succeſſio hæreditaria. Quid Perſicum regnum florentiſſimum reddidit? Succeſſio. Quid Scotiæ & Angliæ ſceptra, ne ſolùm exempla vetuſtoria nominẽ, ad hæc uſque tempora per mille annos, inter utriusque maris ſcopulos, inconcuſſa retinuit? Succeſſio: ô feliciſſima ſucceſſio! Cujus quidem quanta vis roburque ſit in avitis ſedibus ac regnis muniendis, in tranquillitate imperiorum retinenda, quis nou ſuperioribus annis in Philippi regis Hiſpaniarum deceſſu animadvertit? Nullæ in tot & tam vaſtis, tamq; inter ſe diſſitis regnis commotiunculæ, nihil ne minimi quidem ſtrepitus, nedũ tumultus accidit. Defuncto parenti filius continuò ſubſtitutus: Anteceſſoris defectum nemo percepit; mutationis veſtigiũ nemo perſpexit. Viſa in eodẽ ſtatu omnia conquiſcere. Sed quæ contra in electionis regno, tanquam in violentiſſimo freto tempeſtas concitari ſolet? Quæ ſcylla tam rabioſa? quæ procella tam calamitoſa?

Romam

Romam ipſam ſanctiſſimam rurſus adi: Proh pietatem! proh fidem! Quid ibi tam ſacrum & tam cuſtoditum exiſtit, quod novæ electionis turbine, tanquam furore quodam Tartareo, non lædatur, corrumpatur, perdatur? Quæ enim pauló antè homicidia & ſcelara tot & tanta commemorari audiviſtis, ea omnia exiguo illo ſpatio, dum in conclavi purpurati Patres electionis calculũ verſant, dum diſcordibus ſuffragiis occupantur, dum de ſucceſſore legendo diutiùs deliberant, propè cum interitu urbis perpetrantur. Horreo equidem meminiſſe non ita pridem per illam interregni tyrannidem centum & ſedecim parricidia à duobus ſceleratiſſimis latronibus in agro Romano commiſſa. Electionis ſanè fructum præclariſsimum! cujus diſſidia & prælia tam diuturna ſæpenumeró extitiſſe leguntur, ut plurimorum annorũ vaſtitatem deſerta reip. moderatio regnique ſedes attulerit. Non opus externis teſtimoniis, domeſticos illos octodecim annos videamus, quibus ab interfecto Wilhelmo Batavo, Germanici imperii altitudo in extremum ruinæ diſcrimen abducta eſt, cùm tanto intervallo nullæ omninò habenæ, nulla gubernatio, nulla diſciplina, nulla jura, nullæ leges, nulla æquitas inter homines extaret; Cyclopica manu agebantur omnia; rupes altiſsimique montes prædonum domicilìis ceſ-

liis ceſſerant in omni ferè jugo Caci ſpeluncā erat: nulla itinera, nulla oppida à cædibus & ſpoliationibus immunia. Ea que temporū calamitas tantiſper ſæviit, dum fatali quadā felicitate tanquam Hercules aliquis oblatus, Rudolfus primus Habspurgenſium fortiſsimus Imperator, in melioremſtatū pæne dilapſam atque extinctā remp. revocarit: Incredibiles certè electionis procellæ, infinita ſuffragia mala; quibus hæreditaria ſucceſsio omnibus carere animadvertitur. Nullā ea interregni lacunam, nullam adminiſtationis intermiſsionem nullā diſſolutionē imperii, nullū interſtitiū nullū hiarum ſentit: nihil illa tumultus, nihil turbæ, nihil novitatis, nihil mutationis, neq; in legibus, neque in moribus admittit: At illud in electionis limine omnium malorū primum. Ex gente aliena electus alienos mores ac inſtituta, conſuetudines adducit: ex aliena familia, alienam diſciplinam, alienam religionem apportat. Nihil in regno firmum, nihil ſtabile, nihil certum, nihil vetuſtū, nihil avitum haberi poteſt. In ſucceſsione autem priſcæ laudis omnia; priſtiniq; floris veſtigia undiquaq; viſuntur veterū exempla exprimūtur, imagines antiquæ referuntur. Accedit præterea illud, quod longè maximum eſt: avita, & à majoribus accepta ornamenta, bona,

fortu-

rtunæ,domicilia,diligenter curantur,here-
taria regna ſtudioſius conſervantur, fines
ajores induſtria amplificantur, majore ſtu-
o copiæ coacervantur. Hac enim ratione,
æ olim minima erãt,ad ſummas vires mul-
rum regna pervenerunt. Caſtiliæ principa-
s quorſum evaſit? hæreditariæ induſtriæ
licitasq́ univerſumHeſperiæ orbem comple-
eſt.ſucceſsionis cura ultra Antipodes pa-
imonium extulit.Jacet è contrario in ele-
ione omne ſtudium amplificandi,friget in-
ſtria acquirendi,torpet alacritas conſervã-
. Alienæ meſsis tritura eſt:alieni agri cultu-
. Arces ac oppida oppignorantur,vectigalia
nduntur,majeſtatis jura diſtrahuntur,regni
res profunduntur,largitionibus electionis
bitria corrumpuntur, ſuffragia immenſis
eciis emuntur.Hæc illa nimirum electionis
rtus,hæc integritas:Wenceslaum ſine rubo-
audire non poſſumus: norunt Rhenus &
anubius, novit Albis, quo quæſtu ad impe-
ũm ille pervenerit, novit Mœnus, quo pre-
o purpura vendita,quæ nundinatio calculo-
m celebrata.

Vidit ſuperior parentũ ætas per medios ſa-
llites,per curias,per ſenatus,per ampliſsima
ptẽvirorũ atria,per interiora magnatũ cubi-
la regis Liligeri aurum corrũpẽdi ſuffragii
idiſſimũ,tanquã Jovis imbrẽ,in Danaesiur-

tim,

rim, illabi. Quid autem tam ſanctum, tam munitum, tam inviolabile, quod pecuniæ vis non expugnet, quod argenti nitor non occæcet, quod largitionis copia non obruat, quod munerum profuſio non labefactet. Unde ſæpiſsimè factum, ut fortiſsimis heroibus prætcritis, ignaviſſimi fuerint ad imperia acciti; & aureis ad regni ſolium cuniculis actis evecti. At illud in primordiis rerumpubl. vetuſtiſsimi quique mortalium perſpexerunt, quorum antiquiſsima imperia non ſuffragio, non arbitrio, non electionis impetu, ſed hereditaria ſucceſſione conſtituta, & per ſanguislineam feliciſſimè ad plurimam ætatum poſteritatem traducta. Stirpem enim ſecuti Aſſyrii, ſecuti Medi, Perſæ, ſecuti gentium prudentiſsimi Ægyptii: ſtirpem amplexi Parthi, Armenii, omnesque Aſiatici populi. Græcis longiſſimo tempore imperarunt Heraclidæ, quorum nobilitas ab Hercule radicem generis derivabat. Sed neque divinitus inſtituta Iſraelitarũ gubernatio electionem màluit quàm ſucceſſionem hæreditariam complecti: cujus veſtigiis omnium ferè Europei cœli gentium ac nationũ regna ad hæc uſque tempora commodiſsimè innituntur: Florent ex incunabulis accepto rege Franci: florent Scoti: florẽt Sueci: Nullus ibi motus; nullus ſtrepitus per ſucceſsionem factus: Vix ſentiri potuit ſceptrum à pa-

rente

eſſe ad filium delatum. Ad adoleſcentiæ noſtræ memoria in Polonia, poſtquam eligi reges cœperunt, quid non turbarum auditum? qui tumultus? quæ diſſenſiones? quæ certamina? quam cruenta ibidem prælia habita? quantæ mutationes rerum tam brevi tempore factæ? nunc ex Gallia Henricus, nunc ex Tranſſylvania Stephanus: ex Boreali regno Sigiſmundus acceſſitus. Incredibilis molis negotia! regum electorum alii ultrò elabuntur, & ad hæreditatem avitam regrediuntur, alii armis repelluntur; alii precibus & pretiis longè maximis inducuntur. Quarum quidem rerum difficultatibus nunquam, Polonia, implicari viſa fuiſſes, ſi regis tui Sigiſmundi Auguſti poſtremi gentis Iagellonicæ prudentiſſimo conſilio morem geſſiſſes: cùm, antequam vitam ille cum morte commutaret, conſtituendum ſibi ſucceſſorem, & in ſolium collocandum eſſe exiſtimaret, ne, quod poſtmodo evenit, electionis controverſiâ novas nubes ac tempeſtates reip. afferret. At idem jam pridem Anglicani proceres deliberatiſſimum ac conſultiſſimũ regno ſuo judicarunt, quorũ conventus & concilia in Londinenſibus comitiis, quid aliud, quám ſucceſſionis certæ deſignationem flagitârunt? Nec verò non Eliſabeth regina, etſi ſibi foſſam aperire nollet, cùm tamen perſpiceret, iſta rogatione populi nihil

eſſe utilius intereſſe huic ſaluberrimo conſilio voluit, ne ipſa fatis cedente, per electionis aleam Reſp. vel ambitioſiſſimis hominibus dilaceranda relinqueretur, vel ad interregni ſcopulum gubernationis clavus deferretur. Qua ſanè peſte nihil haberi in imperio luctuoſius, nihil calamitoſius excogitari aut fingi in repub. poteſt. Quod enim tam vorax fretum, quæ Charybdis. quæ Scylla tam exitioſa, quàm interregni & anachiæ tempeſtas in imperiis? Quæ tum ſcelerum omnium impunitas? qui furor? quæ ferri flammæq; ſævities? quæ cædes? quę prædatio? nulla conſularis via non infeſta latrociniis: nullus ager, nulla domus tuta á ſicariis. Pontificii interregni faciem intueamur; Quæ in urbe, quamprimùm ſolium ſeſſore vacuum eſſe cognoſcitur, tanquam in expugnatione hoſtili barbaries? quæ nequiſſimorum hominum audacia? quæ laniena & crudelitas? Carceres effringuntur, cuſtodes occiduntur, ſontes judiciis eximuntur, ædes invaduntur, opes & copiæ diripiuntur, matronæ, & virgines comprimũtur. divina humanis omnia miſcentur, & tanquam ſuperis infera confunduntur. At vigent in ſumma tranquillitate Hiſpani: tuentur ſeſe adverſus Orientis immanitatem Ungari: pace ac felicitate perfruuntur Bohemi, quorum Ladiſlaus ſalubeerimo conſilio perfecit, ut,

ùm inſtar Cycladum, utriusque regni admi-
iſtratio per electionis arbitria fluctuaret, &
uod de Delo inſula in fabulis ſcriptum eſt,
anquam in æquore hinc inde nataret, heredi-
ariæ ſucceſsionis fundamentum, ſtabilemq;
edem imperium Pannonium acciperet. Quod
iſi fortiſsimæ gentes feciſſent, ſi, quemadmo-
um imprudenter primũm non ſatis intelle-
o conſilio reſtiterant, calculum ſuũ veterem
rmis defendiſſent, jã pridẽ profectò in extre-
am Turcicæ ſervitutis calamitatem incidiſ-
ent, exciſa eſſet omnis regni majeſtas, ipſum
omen imperii eſſet amiſſum. Quis itaque
am tot & tam potentibus nationibus, præ-
laris populis, tam florentibus imperiis, ſerva-
ricem illam veterum omnium regnorum ſuc
eſſionem non collaudet? quis electioni eam-
ẽm non præferat? quis contra arbitrii cæci-
atem non damnet? quis non domi natum re-
em, quàm foris acquiſitum malit? quis non
ranquillum & beatum, firmum atq; perpetu-
m imperium, inconſtanti, & mutabili guber-
ationi anteponat? nolim pluribus, tametſi
lura ſint quæ dici poſſint, cauſam hujus rei
gere; Video enim veſtros oculos ac ora,
uditores, in exterarum gentium felicita-
e defixa, video ſucceſſionis emolumẽta cogita
onib. veſtris obverſari, video vota ac optio-
es veſtras in animis intimis videre, qui nihil

Q 2 impe-

imperiis fructuoſius, nihil felicius, nihil ad omnem poſteritatem diuturnius ſucceſſione hæreditaria eſſe cognoſcitis. Benè ſit prudentiſſimis populis benè omnibus imperiis ac rebuspub. quæ divinum hunc gubernationis modum complexæ: benè pariter nobis omnibus, qui conſilio, ope, diligentia, cura atque induſtria ſumma eandem rationem perſequemur, & ad poſteritatem feliciter transferemus.

ORATIO XIII.

Recitata ab

HECTORE von Oelen / EQVITE FRISIÆ ORIENTALIS.

Neceſſarium eſſe principi literarum ſcientiam

MAXIMIS de rebus ac Reip. admodũ neceſſariis conſulimur, de Principum ſtudiis, de literis, de exercitiis. Quarum rerum eò difficilior explictio videtur, quò diſcrepantiores graviſſimorum hominum diverſum hac de re ſtatuentium ſententiæ. Adducta eſt enim in maximum diſputationis periculum, extremum penè diſcrimen

ſcrimen illa multorum bonorum virorum ſẽtentia: Principem incumbere literis debere. Reclamant undiq; mali feriati homines, nihilq; reliqui faciunt,quod ad explodendam, penitusq; non ſolùm exaulatum liminibus exterminandam,ex atriis regumq; veſtibulis, principumq; palatiis ejiciendam, verum etiam ex mediis Phioſophorum circulis, ex gymnaſiorum doctiſſimorum ſpatiis,ſcholarũq; parietibus excludendam ſalutarem hanc orationem pertinet. Illud autem ne ullo modo in hac noſtra Rep. cum certiſſimo principatus interitu, fieri poſſit, dabimus omnem, quantum in nobis erit,operam,ut non ſolum ſententiam omnium graviſſimam retineamus, ſed eam etiam magis magisque confirmemus, ſtabiliamus,& ad omnem poſteritatis memoriam transferamus. Hoc itaque unicum evidenſiſſimis rationibus confirmabo,ac non ſolùm utile & honeſtum,verùm etiam ſummopere neceſſarium eſſe.principem & gubernatorem Reip. humanioribus literis eſſe inſtructum,neque ſine illarum adminiculo adminiſtrationis clavũ ſuſtineri commodè poſſe oſtẽdam,ſimulque in ruborem illorum hominum ora conjiciam, & apertiſſimis rationibus ſententiam eorundem profligabo, qui ruditati principis velum prætexere, & inſcitiam ſcientiæ præferre conantur. Adeſte,quæſo,nobis

animis, qui corpore præſentes eſtis & equitate & benevolentia veſtra meam de tanta re dicendi imbecillitatem ſuſtinete. Primum itaque hoc mecum, auditores, conſideratæ, cùm ea literarum ac diſciplinarũ dignitas, ea præſtantia, ea utilitas exiſtat, ut ſine illarũ perceptione maxima ac potiſſima humanitatis pars in homine percipi & cognoſci nullo modo poſſit, nõ equidẽ video, non intelligo, qua ratione aut quo pacto mortalium quiſquã ab ſq; humanitatis jactura, ejusq́; rei, quæ in homine longè præſtantiſsima eſt, carere iis poſſit. Nec enim non veriſſima illa philoſophorum principis ſententia èſt, qui cùm interrogaretur; quid literatus ab illiterato differat, quid doctus eb indocto? Quid, inquit ille, vivus â mortuo? Mortuos ille exiſtimabat, qui animũ nullis literarum agitationibus motum, nullis cognitionum curriculis exercitatum, nullis meliorum artium ſuccis ac medullis imbutũ, hebetem, ſtupidum, aridum, bruto ſenſu circumferrent. Nec verò immeritò; *Prudentia* etenim ſola eſt, quæ animo lucem ſuam præferat quæ rationis aciem inſtituat, quæ dirigat. quæ quid ſequendum, quid fugiendum ſit, ſine ullo errore præſcribat: Atque illa ſuam regiam ac domiciliam in literis poſitum, & ex diſciplinarum artiumq́ue in formationibus oirginem habet. Quod ſi itaq; nec hominis

appel-

appellatio ſine humaniorum literarum ſtudiis conſiſtere, neque nomen ſuſtineri poterit, principis illud auguſtũ nomen abſque illarum cultu florere quinám queat? Quid enim princeps? An non ab eo, quod hominum primus, ác hominum caput eſſe debeat, nominatus eſt, à quo tanquam á primó humanitatis fonte omnia ea petenda, arceſſenda, hauriēda, quæcunq; ad hominis condititionem amplificandam, exornandam & conſervandã requiruntur? Quam ób cauſam etiã dii à Deo ipſo nũcupãtur, quòd ad Dei proximitatẽ quã maximé accedere, & inſtar numinum cœleſtiũm divinitatis imaginem repręſentare, pietatis, prudentiæ, virtutumq; omnium radiis cõceſſas ſibi oras illuſtrare ac exornare debeant. Quod eriam magnificentiſſimus ille titulus, quó illuſtriſsimi inſigniuntur & appellantur, clariſsimè indicat. O incredibilem principis dignitatem! quantum vel in ipſo nomine majeſtatis! quantum divinitatis involutum continetur? Quantum itaque ſacrilegium eſſe, quantum flagitiũ arbitrabimur, ſpoliare principẽ iis ornamentis, nudare iis inſignibus, privare iis admiculis, ſine quib. ille neq; nominis ſui dignitatẽ tueri, neq; adminiſtrationis ſuæ munere perfungi, aut principis honorem ſuſtinere, quid principis, imò veró nec ho-

minis appellationem mereri poſſit? Illud verò ut accuratius mecum cognoſcatis, ſubjicite quæſo veſtris oculis omnes Reipublicæ partes, perſcrutamini omnia boni magiſtratus munia, conſiderate univerſæ adminiſtrationis membra, & in ſingula principis officia diligentius intuemini, oſtendite mihi ex omnibus vel minimam functionem, quam præſidio literarum vacare poſſe opinemini. Duo etenim cùm publicorum temporum genera habeantur, unum togæ, alterum belli, quorum illud ſemper optabile, hoc execrabile ſemper, nonnunquam tamen neceſſarium, quomodo, ut hanc partem priori loco attingamus, in pacis ſerenitate, princeps civibus jura præſcribere, quantum cuique tribuendum ſit intelligere, civium diſſidia componere, verba publicè facere, legationes cum laude audire, præterita tenere, futura proſpicere, quid in rebus omnibus factu optimum ſit perſpicere, & ex aliis alia colligere poterit, niſi doctrinarũ & artium luce præfulgente, prudentiæ viam cognitam & exploratam habeat. Quemadmodum enim ſi quis oculorum lumine orbatus eſt, diem à tenebris diſcernere, colores diſtinguere, nigrum à candido ſeparare nequit, ita etiam princeps qui doctrinarum luce deſtituitur, nihil feliciter expedire, nihil majoris momenti ſuſcipere, nihil præclari poteſt co-

gitare.

itare. Quis verò communis vitæ adeó ignar9 habetur, qui principum regumq; omniū præcipuum minus, in eo verſari neſciat, ut juſtitiam in omnibus imperii ſui partibus & hominum ſocietàte univerſa tueantur, bonis ut præmia, malis verò pœnas diſtribuant, ipſi ut lancem & gladium juſtitiæ temperent, ipſi pro tribunali ſedeant, jus dicant, aurem alterā actori, alteram reo, præbeant, ipſi cauſas dijudicent, æquitatem obſervent, quod rectum eſt colant, neque vel latum unguem tranſverſum veritatis & juſtitiæ tramite deflectant. Hîc verò mihi, quam ſtatuam, ſi hominem illiteratum & indoctum in ſolium collocaveris, in ſenatum adduxeris, judiciis præfeceris, ſtatuam, inquam, quam mihi propones? Rem non modò ridiculam, ſed omni meliore hominum conſilio indignam? Ille meam cauſam cognoſcat, ille litem dijudicet, Ille ſententiam ferat, qui quid audiat, quid cognoſcat, parum, aut nihil intelligit? Expreſſit hanc rem ſcitè & graphicè illa fabuloſa vetuſtas, quæ in aſininis Mydæ auribus, in aureo tribunali ſedentis, ſceptrum manu tenentis, quid aliud adumbrare, quid vivis quaſi colori9 depingere & exſculpere voluit, quàm hebete & craſſo ſenſu, præpoſteroq; judicio regem ac principem, qui literarum firmamē- ſuffultus, nulla bonarum artium cognitione in-

ne inſtructus, reip. adminiſtrationem infeliciter atq; indignè tractet. Ponite vobis, ipſi ob oculos miſerabilē ejuſmodi aliquem rerū ſtatū, & quæ confuſio, quæ perturbatio, quanta in omnibus reipublicæ partibus fluctuatio futura ſit cognoſcite. Senatus nullus eſt, conſilium nullū, nulla conſultatio, nulla rerum felicitas. Nec enim alio modo fieri poteſt, ut bona conſilia dari principi queant. qui conſilia bona non intelligat. O miſeram reipub. faciē, ſi modò reip. nomen in ejuſmodi faciem cadere ullo modo poterit! Nec verò hæc oratiuncula ex meo ſenſu deprompta ſolummodò videatur exempla nonnulla, quibus tanquam vivis imaginibus & graviſſimis monumentis veritatem hujus aſtruam, principumq; ſtudia evincam, ſi attendere, ut cepiſtis, perrexeritis, in medium proferam. Sed unde ordiar? quos primò loco nominem? utrū illos, quos in antiquis Mauſolæis & vetuſtis marmoribus, quos in priſcis ſtatuis depictos, ſculptos & expreſſos videmus & admiramur: an potius illos quos præſentes etiamnū intuemur, quorū gratia perfundimur & obumbramur, & in quorū vultibus omniū noſtrûm oculos, tanquam in omniū virtutū ſpeculis & domiciliis habitare oportet? In hos opinor primò omniū intuitū noſtrum defigamus, quorū exempla multarū orationum & omniū maximè graviſſimarum

ratio-

rationum eſſe debent. Quid enim? An putatis
Illuſtriſſimum & potentiſsimum principem
Mauritium, Haſsiæ Landgravium, dominum
noſtrum clementiſsimum, tantum ſtudii, tan-
tum induſtriæ laborisq; à primis huc uſq; an-
nis, in literarum omnium divinarum huma-
narumq; artium & facultatum ſcientiis colen-
dis poſuiſſe, niſi tum à parente ſuo Wilhelmo,
auguſtæ memoriæ, tanquā à Salomone, ut ap-
pellatus eſt, Germaniæ ſapientiſsimo ſibi im-
preſſum, tum ex monumentis omniū ſeculo-
rum obſervatum & eventūm innumerabiliū
documentis cōprobatum & exploratū habe-
ret illud, quod graviſsimè Vegetius ad Impe-
ratorem ſuum ſcribit: Neminem plura & ma-
jora ſcire debere quā principem. Quid enim
aliter? Cujus exercitationes & indefeſſa ſtu-
diorum curricula cùm videmus, quem veterū
illorum qui in Peripato, in Lyceo, in porticu
ætatem omnem ſuā conſumpſerunt, non re-
quirimus. Cujus ſcripta cum legimus, quem ex
omnibus illis, qui hodie in publicis literarum
cathedris & in numero eorum verſantur, qui
habendi ſtudio nominis aliquam celebrita-
tem venantur, non contemnimus? Cujus di-
ſciplinam & vitam totam cùm intuemur,
quem antiquorum illorum principum, qui
ingenii laudibus doctrinæq; celebritate im-
mortalitatem conſecuti ſunt, huic præ-
ferimus? Quas autem ille voluptates,

quas delitias ſtudiis ſuis non poſtponit? Dum alii venationibus, alii aucupiis, alii congerendis argentiq; incumbunt acervis, alii verſant calices, potantq; ad ſtellam uſque matutinam. *Illius* (liceat enim mihi Illuſtriſſimi Principis verſum uſurpare)

Aonia venatio ſobria Muſa eſt,
Prodi fera cerva, vera Minerva placet.
Ejus amor Sophia eſt, dulces ante omnia Muſa,
Ejus amor docti turba novena chori:

Scribit omnium doctiſſ. Princeps Comœdias, ſcribit Tragœdias tam ſacras quàm profanas, meditatur Rhetoricen, Dialecticen, Muſicam, Mathematicam, Oratoriam, Politicam, ut ſi ſingula ejus ſtudia eo quo par eſt orationis cultu proſequi vellem, vel totus dies me deficeret. Nec verò ad voluptatem tantum ſuam Princeps divinus ſtudia & meditationes ſuas convertit, ſed ad fructum & emolumentum Eccleſiæ & Reip. lucubrationes omnes dirigit. Quod ante ſe cum æterna laude & gloria Cæſares & Principes auguſtiſsimos feciſſe videt, in eodem noſter induſtriam & operam feliciſsimam ponit. Pueritiæ ac adoleſcentiæ, ne minima etiam, ſine quibus majora aſſequi nemo poteſt, prætermittentur, compendioſiſsimam Grammaticæ ſcientię rationem præſcripſit, omnis ut eruditionis fundamentum & literarum optimarum auſpici-

m non à neſcio quibus obſcuris & obſoletis
cunis, ſed ab illuſtriſsimuis *Principis* ſplen-
ore peteretur. Quamvis autem nunquam
tis laudandi hujus principis omni æternitā-
commendandum exemplum nobis, qui ve-
gia ejus adorare, & ſequi virtutis tantam
vinitatem debemus, ſufficere videatur ad o-
nem noſtræ orationis auctoritatem: ne ta-
en quiſpiam veterum exemplorum inopes
os exiſtimet, aut bonas literas ab antiquis
is heroibus, principibus, à regibus, à Cæſa-
ous fuiſſe deſertas, mentione aliorum faciē-
ſuperſedere non poſſum. Ex Germaniæ diis
is majoribus Carolum illum Magnum vo-
s producam? quem non una lingua locutum
ſe accepimur, cujus Grammaticam, quis a-
ò in Grammaticæ cognitione hoſpes & pe-
grinus qui non audierit, ſi minus legerit?
ujus carmina quis adeò Muſarum vete-
m negligens ut non perceperit? Cujus
ſtronomiam & naturalem rerum ſcientiam,
is adeò quatuor cœli cardinum ventorum-
e omnium ignarus: qui nomina, a Carolo
lis impoſita neſciat? Quis Faſtorum &
alendarii Germanici adeò inſcius? Quis in
enſibus dinumerandis adeò rudis, ut illorū
ppellationes à Carolo acceptas ignoret? Quis
omnibus Academicis ita antiquitatis Aca-
emicæ expers, ut quas Academias Carolus
funda-

fundaverit, quas inſtituerit, quid ipſe illis fecerit, quid quotannis egerit, quid diſputarit, examinaverit, auribus ſuis nunquam perceperit? Quis enim celeberrimum iſtud literarum emporium ad Sequanam in Gallia etiamnum florentiſſimum, ex quo omnes meliores artes tanquam ex fonte jucundiſſimo profluxerunt primò aperuit? Carolus. Quis magnam illam matrem ſtudiorum Italia, Bononiam, reſtituit? Carolus. Quis illam omnis liberalioris ſcientiæ officinam; & Italiæ alteras Athenas, ad Padum primò collocavit? Carolus. Atqui hic etiam exemplorum veterum momentum in ſe contineri omnium poſsit, qui ut imperii collapſi inſtaurator, ita imperatorum, regum & principum æterna imago, ad quam reſpiciant omnes, quicunq; Carolei aliquid regni cũ laude poſsidere velint. Atque fecerunt hoc laudabiles illi Caroli ſucceſſores, Ludovicus Secundus, quem multis & ſtudiis & ſumptibus ingenuas artes coluiſſe eti ã hodierni poetæ verſibus ſuis celebrant: Fridericus Secundꝰ, quem Græcè & ſcribere & loqui potuiſſe etiam omnibus, qui ex Græciæ reliquiis hodie ſuperſunt, cognitum eſt, quemq; ex Saraceno ſermone in Latinam elegantiam tranſtuliſſe aliquot libellos Latinitas ipſa nunquam inficiabitur. Prætereo ſilentio Ottones, Saxoniæ familiæ æterna decora, quorum primum ea-

diſci-

diſciplinarum cupiditate flagraſſe accepimus, ut etiam in adultiore ætate animum ſtudiis linguarum, artium & ſacrarum literarum cognitioni penitus adjecerit, Juriſconſultos undique acquiſiverit, cum Epiſcopis ſui ſeculi diſputationum certamina ſuſceperit, eosque vicerit, & ſuperarit Ottonem verò ſecundum quis in Oſnaburgenſi Eccleſia inſtitutum, tum Latinis, tum Græcis informationibus excultum, Atticæq; linguæ beneficio, cùm in *Saracenorum* præliis eſſet, liberatum & conſervatum fuiſſe non audivit? Producam vobis in conſpectum Claudum illum Henricũ, in progreſsu quidem ſcientiarum minimè tardum, ſed ex Hildesheimenſi inſtitutione ad ſummũ poteſtatis faſtigium incredibili celebritate enixũ? Quot linguis veró Carolum illum Quartum, quinque linguarum peritiſsimum, deprædicem? Cujus Pragenſe monumentum literarium quis omnium veſtrum non cognovit? Cui non auditæ illæ imperatoris in diſputationes Academicas ingreſsiones? Cuj diligentiſsima attentio non memorata? Cui converſationes illè ſcholaſticę incognitæ, qui doctorũ diſſertationes & colloquia, ſua prãdia ſua ſcitamẽta & epulas nominabat, qui regalib9 apparitib. inſtructas illas diſputationũ lautitias pręponebat. Nec verò tuas Maximiliane laudes

laudes, quas ex ſtudiis retuleris, obliterati ſi-nemus, cujus puritatem & elegantiam latinæ dictionis etiam flumina, ut Orphæum olim admirata ſunt, cùm Lyuda Conſtantiam uſq; navigares [rerumque] tuarum geſtarum memoriam, Byrchaimero viro eruditiſsimo audiente, incredibili gratia & venuſtate conditam ex ore dictares, & ad veterum hiſtoricorũ gloriam quàm proximè accederes. Carolum Quintum verò quibus ſub pellibus video inter armorum ſtrepitus & equorum hinnitus, igneosq; circumvolitantes globos geometricis & mathematicis meditationib9, tanquam Archimedem alterũ incumbere? Quorum tamen omniũ ſtudia, & induſtriã, & ingenii felicitatem, auguſtiſsime Rudolphe, imperii cuſtos & triumphator glorioſiſsimè longiſsimè exſuperas, qui nullãm philoſophiæ partẽ non attigiſti, qui plures quàm Carolus IV. anteceſſor tuus, linguas didiciſti, qui inter tot imperii onéra, quibus vel ipſe Atlas ſuſtinendis vix eſſe queat, tot inter bellorum fluctuationes, inter tot curas & moleſtias nullam dieculã ſine linea, quæ ad ingenii cultũ & literatũ [ſtudiũ pertinet, elabi ſinis. Quid igitur verba hac de re plura faciã, aut quis tanta audacia inveniatur, ut os ſuum tãtis exemplis contrariũ opponat? Quis ẽ barbarica illa Gothicorum Centaurorum collu-

vie-

vie reliquus, qui literis adhærere non regium eſſe clamitabit? Ubi autem illi, qui ut Gothi quondam ex Amalaſunthæ matris ſinu & præceptoris gremio Athalaricum puerum regium ab artium inſtitutione liberalium ad ſtabula, ad lances ac lanceas adduxerunt, ita principem meum à ſtudiis abſtrahere velint? Quiſquam ne erit omnium veſtrum, cui tot ex Germania noſtra exempla nondum ſatisfaciant; idſe velim etiam ille antiqua evolvat ſecum, & à Julio Cæſare incipiat, ejus analogiam Grammaticam cognoſcat, Tragœdias ejus perlegat, commentarios inſpiciat: Auguſtū Cæſarem non prætereat: Ælium Hadrianum non omittat: Antonium Imperatorem aliosque ferè innumerabiles ex hiſtoriarum monumentis eruat: Sive in exteris regnis propi, ora noſtro ævo exempla quærere malis, extera regna floruiſſe omnia principum literis, inſcitia verò & ruditate principum gubernationes corruiſſe cognoſces. Stephanum ſuum prædicabit cum aliis Polonia: Franciſcum ſuum oſtendet cum aliis Gallia: Alphonſum cœlo efferet Arragonia: Eliſabetham ſuam, heroibus omnibus, quotquot unquam vexerunt, anteferet Anglia: Ac vide quæſo, quid literæ etiā in fœminea guberatione poſſint? Quod unquam imperium felicius, quàm eruditiſſimę hujus reginæ, quæ univerſum orbem

admiratione ſui inflammavit. Literam enim eſt, quòd tanta conſiliorúm prudentia emineat, quibus potentiſſimorum hoſtium inſultus à cervice reip. ſuæ fortiſſimè avertit: Literarum eſt, quòd tanta juſtitiá & æquitate muliebre hoc imperium adminiſtratur, ut etiam multorum virilis dominatio, intuitu hujus, erubeſcere cogátur: Quòd tranquillitas domeſtica conſervetur, ſeditionum procellæ cohibeantur, amorumq; civilium motus omninò nulli oboriantur. quòd tanta erga viraginem ſubditorum reverentia, tanta obedientia, ea benevolentia, is amor, & obſervantia ſit, literarum eſt, Quid igitur ruditatis & ignorantiæ propugnator ais? Victus es, cedis, & veritati manum das? Nondum? Quid verò pertinaciæ? quid habes quod objicias? Nequis enim exiſtimet literarum uſum & ſcientiam rebus duntaxat tranquillis & otio domeſtico ſervire, illarumq; dignitatem ſolùm in ſenatu, in tribunali, in judiciis aliisq; togatis partibus illuceſcere: armorum etiam, quæ principi ad defenſionem imperii maximè neceſſaria, adminiſtrationem, literarum adminiculo carere non poſſe oſtendem. Etenim cùm omnis belli gerendi ratio in duabus hiſce rebus conſiſtat, in potentia, & quæ potentiam illam tanquam oculus regit, prudentia, quis adeò cœcus & communis ſenſus expers

inve-

inveniatur, qui quantum rerum ante geſtarũ cognitio, quæ etiam literarum monumentis addiſcitur, in bellicis rebus rectè adminiſtrãdis momenti habeat, non videat, non intelligat? Et cùm maximam omnium victoriarum gloriam conſilia ſibi ſuo jure vendicent, quæ dementia eſt, & pertinacia non toleranda, literis, & artibus in tentoris & ſub pellibus & in caſtris nullũ locum relinquere? An ignoramus celebre illud regis Agamemnonis votum, qui ut Troja facilius potiretur, non Achillis aut Ajacis, ſed Neſtoris decem ſimiles optabat? Audiamus velim illud *Horatii* Venuſini;

Vis conſilii expers mole ruit ſua.

Inſpiciamus porrò, quæſo, in Homericis pigmentis giganticam illam Polyphemi molem, quæ tanto robore & vaſtitate propè incredibili, quid aliud denotat, quid nobis aliud ob oculos ponit, niſi hoc unicũ, quod maximè probatum volumus, bellicarum virium, niſi litterarum oculo & ſole gubernentur, nullum uſum, nullum fructum, nullam denique eſſe vim? Vultis vos deducã ad antiquã Chironis ferulã, vetereq; illorũ Heroũ ſcholã, oſtẽdã vobis Herculẽ, digitũ intendã in Achillẽ? Quid illi? literam tabulas manu tenent, diſciplinasq; artiũ quàm diligentiſſimè advertũt, nullã profectò aliã ob cauſã quàm quòd á pa-

rentibus eo deducti & præceptorum lateribus affixi eſſent,ut literarum præſidiis muniti, ad fortitudinem majorem eniti, bellicamq; gloriam eò faciliùs quàm maximam conſequi poſſent. Sed quid glorioſius,quid ad hanc meam cauſam obtinendam fortius & validius, quid clarius afferre poſſum? Intoite mecum in Alexandri magni illius terrarum univerſi orbis victoris tentoria, & quantum literæ in bello poſsint animadvertite, pulvinum regis excutite, at quid ibi?pugionem(ſi modò vobis tantum lucis ineſt) cognoſcite, quid harũ rerum illa conjunctio nocturna ſibi velit, quid ſpectet, quid indicet, expendite. Nihil ſine dubio aliud ipſi, ſi modò velitis, judicabitis, quàm id quod res eſt,principi adeò neceſſarium eſſe ad belli munia rectè & prudenter obeunda,literarum ſcientiam, ut nec caſtra locari,nec aggeres cingi, nec foſſæ muniri, neque acies, neque exercitus educi, neque oppida obſideri, arces expugnari,prælia committi,neque claſſicum cani, aut ulla ſtratagemata expediri,mœnia conſcendi, arces everti regna vinci & ſuperari ſine illarum uſũ & exercitatione poſſint. Qua in ſententia ut eò magis confirmemini producam vobis in medium ex ludis literariis duces belli prudentiſſimos,qui rem ab omnibus jam deſperatam & propemodum deſertam ſumma cùm gloria

reſtituerunt Carthaginenſium res ita afflictæ, & cladibus continuis exhauſtæ & attritæ erāt, ut quo ſe verterent, non inveniret, Imperatoris omnes ſe boni egere vociferabantur. Mittunt eam ob cauſam ſuos Lacedæmonem, qui Xanthippum ludimoderatorem ad ſummam belli gubernandam invitent. Venit ille, & è pulvere literario ad omnium maximam provinciam graviſſimi contra Romanos belli ſuſcipiendi progreditur. Ac ut ille venit, vidit, vicit. Vicit non aliquo fortuito & cœco caſu, Martisvé inopinato ſucceſſu, & temerario impetu ſed, ſingulari & præmeditata prudentia, quā literarū ſtudio aſſecutꝰ erat. Quid verò illa propugnacula Græciæ Periclem, Themiſtoclē, Epaminondam loquar? Quid illas Romani imperii colūnas Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosq́; innumerabiles proferā? ex quibus omnibus maximè memorabile eſt exemplum Luculli, qui cùm nulla unqnam militiæ tyrocinia deguſtaſſet, lectioni Xenophontis & Cineæ librorum in ipſo expeditionis itinere tantus imperator factus eſt, ut Mythridates nullum confirmàrit poſt Macedonē illum magnum ducem majorem ſe cognoviſſe. Deniq; verò imperator exercitus bonus putandus non eſt, niſi naturas regionum, ſitus fluminū, vallium ſylvarū, ventorum, temporis aliasq́; circumſtantias exactè intelligat & ex-

 plorata

ploratas habeat, utpote ſolis, ut ex ortu puro nec fervente ſerenum diem judicet, ex pallido hybernâ grandinem: ſi vero pridie ſereno occidat & oratur, tantò certiorem ſerenitatis fidem auguretur, ſi concavus oratur, ut pluvias prævideat & ventos, ſi nubes ante ortum rubeſcant, aut ſi nigræ rubeſcentibus interveniant, pluviarum indicium ſumat. Si, inquam, hæc & ejus generis infinita alia in principe, duce bellico, requirantur; quo modo, quæſo, ipſum literarum cognitione vacare poſſe exiſtimabis? Nec verò hæc eò dico, quòd unum hominem omnia ſua ſcientia complecti poſſe arbitrer, quòd omnem alienam prudentiam, omne conſilium, à principis officio remotum eſſe velim, ſe ut ipſe conſiliorum arbiter, ipſe oculorum ſol, ipſe meliorum rerũ inſpector eſſe poſſit, ne, quod proverbio dicitur, fulmenta lectum ſcandant, nève qui principis officium majeſtate tueri debeat, magis ab aliis regi, quàm alios regere videatur, unde tum contemptus maximus, tum verò imperii interitus certiſſimus emergit. Canem quendã Rachabonem nomine, Daniæ regem conſtitutum quandam eſſe annales gentis & regum ſeries teſtantur, ſtultitiam ejus rei quis non deridet? quis hominum inſaniam non deteſtatur? Verùmquid intererit brutúmne & rationeq; expertem animantẽ diademate cingas,

ſceptro

ſceptro ornes, ſolio imponas, an hominem iiſdem inſignibus ornes, eadem potentia armes, qui nullis ſenſibus ſuis in adminiſtratione, ſed alienis duntaxat motibus ducitur, & trahitur? O principem verò minimè profectò omnium principem! nec enim ipſe jam imperio præeſt, qui omnia alienis oculis, alienis manibus, omnia alienis auribus committere cogitatur. Quàm multa verò ſunt, quorum nec ipſa interiorem tunicam, ut rectè Metellus ille opinatus eſt, conſciam eſſe conſultum eſt? Quàm multi verò adulatores, canesque & tineæ ac ſorices naſcuntur, qui principis inſcitia, atque poteſtate conceſſa ad ipſius principis & ſubditorum damnum & interitū abutentur. Sed quis incōmoda ea omnia cōplecti oratione poſſet, quę in omnes reip. partes, in omnia gubernationis munia, quæ foris, quæ domi obeunda, ex inſcientia & imperitia principis redundant? Auguſtiſſimi hujus imperii oculum prævidiſſe cuncta illa, Aurea Bulla, ut vocatur, in qua totius hujus gubernationis ſi firmamētū poſitū eſt, ſi alia? Annō prudentiſſimo atque adeò divino conſilio conſtitutum eſt, ut Electorum, qui ad maximā imperii gloriam, & gubernationis ſpem adoleſcunt, liberi, literis, & linguis informentur, & ab incunabulis ad eruditionem deducan-

deducantur. O verè auream & divinā conſtitutionem, quæ certè invictum & æternum argumentum, ac telum inſuperabile contra omnes ruditatis fautores & inſcitiæ defenſores præbet. Quid pluribus rem tam manifeſtā agam? Verbum ulterius non addam? malim quemq; principum in majorum ſuorum imagines intueri, & ex illis avitæ gloriæ ac eruditionis exempla capere, quàm in immenſum vela orationis meæ extendi. Pluris quidem mihi fuerit illuſtriſſimæ & potentiſſimæ familiæ Brandeburgicæ exemplum, in qua Germaniæ Ciceronem (ita enim illuſtriſſimus princeps Joachimus primus Brandeburgicus ob admirabilem dicendi virtutem appellatus eſt) floruiſſe accepimus: pluris apud me ex illuſtriſs. Megapolitana domo oriundus Johannes, qui ut verè principem patriæ ſuæ referret, viginti per annos Lutetiæ Parioſum in literatum cultu continuè verſatus eſt, nec non omnium doctiſsimus ad gubernacula reverſus. Pluris apud me Egmondanæ illuſtriſſimæ familiæ inſtitutum laudatiſsimum. Quodnam illud? Miſſi ex illa domo Lutetiam omnes qui ad Principatus faſtigium tenendum educabātur, filii, miſsi, ut dignas principe artes & literas addiſcerent, nec verò ad larem paternum redirent, niſi aurea magiſtri, ut appellantur, bonorum artium, acceptis publicè titulis

talis honoribus, evaſiſſent: Pluris apud me verè regia illa Alphonſi regis, vox, qui cùm Hiſpanum quendam audiſſet dicere, principe indignas eſſe literas: Bovis judicium eſſe affirmavit, non hominis Pluris illuſtriſsimæ ac potẽtiſsimæ familiæ Haſsiacæ exemplum, ex qua Solomones, ſapientiſsimi, Neſtores prudẽtiſsimi Antonini Philoſophi prodierunt: Pluris profectò nobis illi, quam omnia literarũ inimicorum contorta contra literas argumẽta, & neſcio quæ, invalida tela. Vivant itaque nobis precor, æternum uſque noſtri Mauritii, Ottones, Wilhelmi, artium & literarum firmiſsima præſidia, ſint in regnis & imperiis ubiq; gentium Rudolphi ſint Alphonſi, ſint Alexandri, ſint Julii, ſint Magni Caroli, certòque confirmabimus, rerumpub. multò feliciorem fore, omnibusq; ſuis patribus beatiorem, quàm ſi inertes Wenceslai, aut literarum omnium ignari Sfortiæ, aut ſimplices Galliæ Caroli adminiſtrationi admoveantur.

ORATIO XIV.

Recitante

ERICO SCHRODERO

Sueco.

Principis officio plurimum officere literarum ſtudium.

CRedo ego vos auditores nobiliſſimi, mirari, quid ſit, quòd cum in hoc oratorio cœtu tot eruditiſſimi juvenes ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, is qui neq; ætate, neq, ingenio, neq; auctoritate ſim cùm iis, qui ſedent, comparandus. Omnes enim hi quos videtis adeſſe, in hac oratoria corona, mirificè hanc cathedram expedita dicendi facultate ante me celebrarunt magnamq; laudem ex hoc campo reportarunt. Sed nolite aliquam in me ambitionem ſuſpicari, verùm conſilii mei rationem potius intelligite, cauſamq; hujus mei factum recognoſcite, & rem totam diligenter reconſiderate, Spero equidem vos conatus qualeſcunq; meus non modò nihil repræhenſuros, ſed etiam valde vehementerq; probaturos.

Orationem illam ſuperiorē à nobiliſſimo noſtro collega habitam de Principum literis & ſtudi-

& ſtudiis, incredibili aſſenſu ab omnibus cõprobari, ac collaudari animadverteram, ita quidem, ut quàm plurimos audierim dicere, non fieri ullo modo poſſe, ut labefactari veritas ejus poſſit. Ita enim auditorum animos Suadæ illebra occupavit, ita omnium voluntates impulit, ut nihil turpius, nihil indignius liberali homine exiſtimetur, quam ſententiæ illi contradicere, opiniemq; inveteratam, & ab omnibus mirificè comprobatã, nova quadam ac veriore ſententia opprimere. At cum ego longè aliam de re eadem opinionem conceperim, quam etiam veriorem eſſe arbitror, non poſſum, quin tacentibus aliis omnibus, quid ſentiam, quid judicem, libere pronunciem. Quid ergò? contentioſiſſimus ego ex omnibus minimè. At tanto veritatis amantior, quòd quæ mihi ad veritatẽ accedere propius videantur, non ſileri, non diſſimulari patiar, non, ut aliquod gloriolæ ac laudis ex hoc contentionis ſtudio venari expetam, ſed ut libertatem ingeniorum in judicando exuſcitẽ, ac ad veritatis, quam neſcio quis philoſophorum in abſtruſo & in profundo latitare profeſſus eſt, inveſtigationẽ animos noſtros quàm maximè invitem. Quod ſi in hac cauſa & in hoc ſummæ contentionis ſtudio, omnia quæ dicenda mihi ſunt liberius fortaſſe dixero; adoleſcentiæ meæ ignoſci velim.

Temetſi

Tametſi non modò ignoſcendi ratio, verùm etiam rectè cognoſcendi ſtudium hodiernis ſcholarum moribus ſublatum ſit. Sed ne longiore ambitu vos detineam, rem ipſam diſpiciamus. Quam cùm ſepoſito omni præconceptæ opinionis præjudicio, omniq; adulandi ſtudio, ut in ſe eſt perpendo & æſtimo: profectò deprehendo eos à veritatis ſemita longè itaq; deflectere ac aberrare, qui contenta voce clamitant, & argumentis valdè ſubtilibus ac ſpecioſis demonſtrare geſtiunt. Principi literarum ſtudia adeò eſſe neceſſaria, ut ſine illis adminiſtrari reip. clavus nullo modò poſſit. Quorum ego ſermonibus obviã ire in hac mea oratiuncula ita conſtitui, ut maximum etiam impedimentum ac obſtaculum ex literarum ſtudiis & exercitationibus earundem proficiſci contendam, firmoq; conſtanti judicio evincam, nihil principis adminiſtrationẽ magis interturbare, nihil officio ejus magis officere, quàm ſtudiorum attentiorem curam & meditationem. Quam rem ut eò accuratius cognoſcatis, ex utriuſque principis & reip. temporibus, togæ nimirum ac bellorum, ſententiam hanc meam evidentiſsimè explicabo. Aures mihi præberi à vobis, auditores nobiliſs. ſtudioſiſsimè peto: Quid verò mihi: imò verò veritati cognoſcendæ aditam patefieri velim, quem occupaſſe priorem de re eadem habi-

habitam orationem jamdudum animadverti. Primum itaque pacis tempora mecum perluſtretis & quid literarum ſtudium domeſticis compendiis quid laribus, penatibus, quid fortunis boni conferat conſideretis. Hic etenim hominem frugi, hominem ſedulum, bonumq; ut veteres appellarũt, patremfamilias, ac in omnibus providum ac ſagacem deſiderio, qui in ſingulas rei familiaris partes, intentus, ſumma cum diligentia rebus ſuis præſit, qui vigilet & expenſi atque accepti rationem exactiſsimam habeat, qui in ſingula officia, quib9 ſuos præfecit, quàm diligentiſsimè inquirat, quid facto opus ſit in negotiis urbanis, quid in villicis ipſe præſcribat, atrienſibus atrium, aſſcriptitiis & originariis glebam committat, qui ipſe ſingula perluſtret, atq; oculis ſuis, tanquam benigniſsimo & omnium feliciſsimo ſidere, rem familiarem ſerenet & exhilaret. Verùm ſi hanc induſtriam, hanc vigilantiam & attentionem in illo etiam deſiderabimus, cui familia exigua, opes ac facultates tenues, conditio mediocris, fortunæ non admodum amplæ, quid regi, quid principi ex hac parte incumbere curæ ac oneris dicamus? cui domus atque aula maxima, cui res familiaris ampliſsima, cui regni & imperii regenda majeſtas ſumma? Nam profectò, quamvis centum oculos, centum manus, centum ora, quibus non dico ad vaſtitatem totius imperii,

ſed ad familiæ tantummodò ac aulæ amplitudinem tegendam opus eſt, principi decerneremus, pluribus tamen ille oculis, pluribus manibus, pluribus linguis indigeret. Cæterum niſi ipſe rerum ſuarum curam ſuſcipiat, niſi omnia, quæ fieri velit, ipſe præſcribat, ipſe mandet, ipſi ſingula inſpiciat, cenſeat, judicet, niſi diligentiſſimè attendat, quid in ærarium conferatur, quid ex eodem rurſus expendatur, quid ex agro percipiatur, quid in alimoniam familiæ impendatur, quid in ſumptus neceſſarios cõtribuatur, niſi inquam, hæc omnia princeps ipſe curaverit, in quantam jacturam brevi intervallo corruet? quantum damni, fortunæ, atq; bona illius tolerabunt? Ærariũ minuetur, reditus decreſcent ſumptum magnitudo rei familiaris adminiſtrationem onerabit, theſauri exhaurientur, ſplendor aulicus obſoleſcet, & infinita detrimenta oborientur. Quæret igitur fortaſſe aliquis, unde tot incommoda, tot diſcrimina, tot varii caſus profluant ac promanent? A nullo alio fonte, quàm ab ipſo principe, cùm ſe literis ſecretioribus tradit, conſecrat, devovet, cùm ejus cogitatio, mens, ardor animi, oculi deniq; ipſi in literarum ſtudia, contemptis ac penè damnatis rebus domeſticis, perpetuò defixi, omnes deniq; ſenſus quaſi ſepulti in ſtudiorũ profundo habeantur, Quid enim? nónne idẽ,

quod

quod ſummis Philoſophis plęriſq; & præſtiſsimis viris contingere ſolet, qui totam ſuam ætatem in nullis aliis rebus, pręterquam in literis excolendis penè conſumpſerunt, nónne inquam quæ his occurrere ſolent detrimenta principis pariter imminebunt? Equidem ſic exiſtimo. Quam enim mercedem literis dediti aliam lucubrationum ſuárum reportant, quàm ſummam inopiam, extremam pauperitatem, vel potius egeſtatem ac mēdicitatem? Quod laborum ſuorum honorarium aliud capiunt, quam vitæ extremum periculũ? Egregia mehercle mercedem, egregium honorarium! Et certè, auditores, eò tandem res rēdacta eſt, ut ſolus Philoſophos pauperes eſſe in trivio clamitent. Tanta verò calamitas ex nulla alia cauſa provenit, quàm quod ita ſeſe Philoſophicis meditatonib. oneraríut, ut neq; ungues abradere, neq; crines detondere, aut ullam corporis curam cogitarint, nedum de rei familiaris induſtria ſomniarint. Sed ne inani quadam verborũ copia vos oblectare videar, inſpicite, quęſo, ipſi omnem verterum Philoſophorũ catervam, eorumq; in exhauſtas divitias contemplamini reperietis profectò alios pannoſos, & macilentos, & aqua ferè carentes, alios præter pallium & baculũ nihil tenentes, alios ex magnis divitis ad inopiã extremã revolutus Atq; ut ea tãtò clarius intelli-

gere

gere, poſsitis, quæ vobis commemoravi, rem ipſam exemplis quibuſdam veterum philoſophorum illuſtrabimus, quò facilius & adverſarii opinionem falſam, & verum eſſe judicium meũ cognoſcere poſsitis. Socrates Athenienſis Philoſophus eminentiſsimus, fuit doctrina, ingenio, ſapientia adeò clarus, ut Apollinis oraculo omnium ſapientiſsimus judicatus ac æſtimatus fuerit, ex quo tot Philoſophorum genera fluxerunt, ut ex ipſius monumentis non ſolùm Plato, ſed etiam Ariſtoteles & *X*enocrates, aliiq; innumerabiles Philoſophiæ doctores, totam ſuam Philoſophiã hauſerint ac depromſerint: unde meritò Philoſophorum fons Socrates appellatus eſt. Hic in paupertate tanta vixiſſe perhibetur, præter pallium nihil ferè poſſederit. O Philoſophiæ doctorem miſerrimum! O Philoſophorum parentem infelicem! Vultis jã ut Diogenem illum Cynicum vobis proponam. Fuit profectò is Philoſophus celeberrimus, vir omni doctrinarũ genere cumulatiſsimus. Sed quid illii Philoſophia tam magnifica profuit? Si Hieronymo fides adhibenda, cum tam pauperem, tamque inopem fuiſſe legimus, ut non modò cibum in ſingulos dies mendicando, quæſiverit verùm etiam propria domo deſtitutus & in portarũ veſtibulis & porticibꝰ civitatibus habitarit, doliumq; incoluerit. Sed quid

quid vetuſtiſſimos illos Philoſophos commemoro? Convertite vos ad hujus noſtræ tempeſtatis egregios Philoſophos, perpendiſe diligenter, quid ex Philoſophia, quam in ſcholis profitentur, utilitas hauriant, quos fructus, quas divitias colligant. Pudet, ita me Deus amet, referre. Multos profectò invenietis, qui licet magnificentiſſima Ariſtotelis decreta ſaluberrimaq; Platonis monita plurimos per annos propoſuerint, quiq; omnium Philoſophorum præceptiones maximas, minimas, & mediocres aliis tradiderint, vix tamē ſummis laboribus ac vigiliis victum & amictū ſibi comparare potuerint. O infelices homines, infelicia literarum ſtudia, quæ neque avitas fortunas ac opes á majoribus acceptas ſine ſummo detrimento eſſe patiuntur: ſed otio & inertia ſua abſumūt omnia, omnia decoquunt. Quod non temerè objeciſſe quondam Thaleti, uni ex ſeptem Græciæ ſapientibus propinqui & amici ejus feruntur, cùm nihil mathematicos circulos, nihil nocturnas lucubrationes, nihil aſtrorum contemplationes, nihil cylindrum facultatum afferre viderent. Sed & Sirenes propterea à prudentibus hominibus fictæ ſunt, quæ cantu vociſq; dulcedine prætérnavigantes allicerent, allectos interficerent: domicilium autem ſuum non in campis, non in foro, non in media hominū

S turba

turba, ſed in littoribus habuiſſe perhibentur. At quid fabula hac priſci illi homines adumbrare voluerunt? Sirenes illas literas eſſe voluerunt, quibus ſi quis deditus eſſet, fore exiſtimabant, ut ad actiones ſuas ſive domeſticas ſive forenſes obeundas inutilis redderetur, fore ut patrimonium ejus exhauriretur, & ad extremam inopiam redigeretur. Hoc non tantùm infirmę conditionis hominibus, ſed principibus etiā viris contigiſſe, hiſtoriarum monumenta veriſſimè profitentur. Sed leviora hæc ſunt, tantæq; rei porrò confirmandæ nō ſatis valida. Arrige aures, & quæ dico attentè cognoſce. Principem (quoniam ita tibi placet, quoniam ita commodum eſt) in literarū ſeceſſus abde, à forenſi commercio, à tribunali, à judicio, extra omnem hominum ſtrepitum remotum in bibliothecas colloca, inter volumina abſconde, (has enim latebras, hanc requiem, hæc otia, hæc ſecreta, literarum ſtudia poſtulant) quis, quæſo, ſceptrum interea gubernabit, quis judiciis præerit, quis judicū ſententias reget, quis querimonias afflictorū cognoſcet, quis reliqua reip. munera diriget ac diſponet? Alienis hæc omnia conſiliis, alienis oculis alienis manibꝰ cōmittētur. Princeps libris ſe ſuis affixum tenebit, libris invigilabit, Platonē evolvet, in omnes Philoſophiæ partes commentabitur, nunc carmina finget, nunc

rationes meditabitur, nunc ad Ariſtophanis, nunc ad Cleanthis lucernam lucubrabit, aditu omnes arcebit, á nemine interturbari cogitationes ſuas ſinet. Præclaram verò illam navigationem! ubi ad clavum, neſcio quis remigum, aut infimæ ſententiæ homunculus collocatus, tempeſtati imperat, ventos increpat, fluctus coercet, & pro libidine ſua omnia moderatur: gubernator autem omnibꝰ ſeriis cogitationibus abjectis voluptati operã navat, in carina ſedens otiosè de ventis diſputat, Euripi cauſas inveſtigat, & maris fluctus metitur, aut alea, & fritillis tempus conſumit, minimè ſollicitus, quibus ſcopulis & voraginibus navis implicetur. Meminerant illud olim Gothi populares mei, qui reges ſuos eam ob cauſam literarum ſtudiis tanquam deſibiæ fomentis arcebant, nolebantque regiam indolem inter pluteos & voluminum ſtrues deliteſcere, atq; remp. derelictui haberi. Nec enim fieri ullo modo poteſt, ut animus literarum dulcedine delinitus, & illecebris ſtudiorum occupatus, ad alias curas & actiones facilè revocetur. Quid enim dicam reip. curam non poſſe cum literarum ſtudiis conjungi, quando neque familiæ adminiſtratio in ſocietate earum conſiſtere poſſit? Quid enim illi qui diſputant, neq; uxorẽ eſſe ducendã, neq; libros educãdos philoſopho? Ac certè præſtat utroq; carcere,

quam non commodè utrumque habere. Prudenter itaq; illi & laudabiliter feciſſe videntur, qui cùm ita literarum amore, & Sirenum dulciſſimarum cantu devincti eſſent, ut nullo modo repudiare illas, aut ſeſe ab illis abſtrahere vellent, vitamque omnem acerbam ſibi futuram arbitrarentur, quã ſine ſtudiis transmitterent, maluerunt imperii dignitatem amittere, atque regni honoribus ac opibus valedicere, aliisque curas regendi populi concedere, quàm cùm viderent literarum ſtudia ac otia, cum tanto rerum detrimento conſiſtere non poſſe, Remp. in diſcrimen & interitum vocare. Eo conſilio multos Romanorũ à publico curiæ conſpectu & luce fori in privatas villas & prædia ſeceſſiſſe légimus. Diocletianũ purpura ſe exuiſſe, imperium depoſuiſſe, ut in umbraculis & ſpatiis hortenſibus philoſophari otioſè poſſet, accepimus. Eo animæ multos primogeniti jure relicto, ad monaſteria, (quæ olim diſciplinarum & artium fabricæ ac gymnaſia erant, abiiſſe, & imperia aliis conceſſiſſe, cognovimus. Plures oblata imperia detrectaſſe, faſces & ſecures arripere noluiſſe, coronas ſibi miſſas & diademata remiſiſſe conſtat, quòd literas, quarum cultu ætatem ſuam defraudari nolebant, convenire cum imperii curis non poſſe arbitrarentur. Et ut rogatas Reip. partes expediri aliquo modo poſſe concedam,

cedam, quid de bellicis rebus dicam? Hîc mallim Gothos populares meos antiquos feliciſſimos armorum & rerum bellicarũ ac regnorum amplificandorum peritiſſimos pro me loqui, ac eadem oratione uti, qua corã Amalaſventa Athalarici regis matre uſi quondam fuiſſe perhibentur. Non decere, inquiunt, Gothorum regem, qui ad æternæ fortitudinis & felicitatis monumenta erudiendus ſit, ſub ferula præceptoris literis ac otio adhærere, metum & formidinem à tanta indole omnem eſſe removendam, non patiendum ut ad magiſtri verba & ſyllabas tremiſcat, & plagarum terrore animus regius imbuatur: minimè omnium permittendum, ut literarum cultura Martio ſanguinis enervetur, & virtut e inſitæ nervus emolleſcat. Nihil enim ad regni amplificationem & populi cuſtodiam publicæq; ſalutis incolumitatem tuendam facere, Grammaticam didiciſſe, Latina aut Græca vocabula percepiſſe, Philoſophorum ſomnia & deliramenta cognoviſſe ſpinoſis dialecticorum contentionibus operam dediſſe, aut curiam oratoriis ampullis repleviſſe: arma, arma à teneris principi eſſe tractanda, equis fortiter hærendum, Bucephalos eſſe cum Alexãdro domitandos, cum Cyro venandum, in ipſis incunabulis cum Hercule eſſe luctandũ, in caſtris à puero verſandum. Sed ne cui bar-

barorum potius, quàm ſapientium hominum oratio hæc eſſe videatur, rem ita ſe habere & rationibus & exemplis illuſtribus evincam. Neminem verò arbitror eſſe tam ignarum, tam rerum omnium expertem, qui non videat, non intelligat animos noſtros emolliri, & mentes noſtras ad ſegnitiem quandam adduci literarum inſtitutione: Imò verò tam infeſtū tamque funeſtum odium inter bonarum literarum ſtudia & arma eſſe cognoſcimus, ut illa ab his perpetua quaſi lucta diſſideant, abhorreant, & quantum fieri poſſit, quàm remotiſſimè ab horum ſtrepitu eſſe cupiant. Neque verò incognitum hoc fuit vetuſtiſſimis fabularum ſcriptoribus, qui vel ob hanc cauſam maximè Muſarum chorum armis nudatum, & ab omni tumultu ſemotum eſſe docuerūt. Quæ cùm ita ſint, miror profectò illud quorundam ſcitum, quod & hodie in ſcutis circūſonat: Literis & armis: cùm tamen infeliciſſima utriuſq; rei ſit conjunctio, nulla conſenſio, nulla conſpiratio. Et ſi ulla conſenſionis ratio admittenda ſit multo verius & promptius, atqud ad hanc rem intelligendam aptius fuerit, eam ex hoc ſcito depromere: Inter arma ſilent leges: inter bellorum ſtrepitus ſilēt literarum ſtudia. Verùm ne quis veſtrum exiſtimet hæc à me magis diſputari, quàm confirmari, ac hiſtoriarū exēplis approbari: Theo-

doricum Gothorũ regem nominabo, cui valdè periculoſum fuit literarum ſtudia excoluiſſe, maximoque animi ardore cognoviſſe. Hic, inquam, Theodoricus ab adoleſcentulo artium ſcientiis inſtitutus, in philoſophorum ſpatiis exercitatus, & à literis ita inſtructus fuit, ut in Platonem commentarios ſcripſerit, hiſtoriamque perpetua memoria digniſſimã ediderit. Quod cũ Belliſarius Juſtiniani Imperatoris in Italia præfectus intellexiſſet, vehementer ſibi ſuoq; Imperatori gratulabatur, hoſtem ejuſmodi contigiſſe, qui amorũ eſſet rudis, caſtrenſisq; diſciplinæ ignarus. Quid enim rex literatus hic noſter tantæ militum potẽtiæ oppoſuit? Qualẽ ſe in ſuſcipiẽdo bello præbuit & exhibuit? ita ad primum armorũ crepitum cohorruit, ita expalluit, ut hoſti ſeſe quàmprimum dediderit, regnum ampliſſimũ reliquerit, darique ſibi tantillum ſpatii optaverit, quo Philoſophicas illas argutias, tanto tamque nobili principe indignas liberius exerceret. Quo quidem facto turpiſſimo, regnum, quod majorum induſtria, laboribus, conſiliis, periculis comparatum & acquiſitum erat, amiſit ac perdidit. Poſſent & alii à nobis nominari, qui poſtquã cum Archimede in pulvere pingerent, libris & meditationibus immerſi, Syracuſas ſuas capi & everti non intellexerint. Non igitur notandꝰ & reprehendendus eſt

dus eſt Hercules, cujus heroicam & ad imperia regenda natam indolem, Linus præceptor cùm ad tabulas ſuas affigere & literarum mollitie infringere ac avertere conaretur, malè ob id acceptus eſt: Gothorum autem, Vandalorum, Longobartorum & Germanorum imperia florentiſſima accepimus, cùm Marti potiùs quàm arti & otio literarum reges & principes ſe dediſſent. Prudentiam etiam intueri hîc licet Electorum Germaniæ, qui cùm collapſas imperii vires reparare, & in priſtinam dignitatem collocare potentiam à majoribus acceptam vellent, non ad literas, ſed ad arma Rudolphi primi reſpexerunt. Literis enim ille nullis inſtitutus, armorum verò gloria maxima erat. Ac ſi hiſtoriarum monumenta ingredi mecum velis, non raró factum fuiſſe oſtendam, ut quas literæ Reſp. everterint. (everterunt enim non paucas,) literarum expertes & armati homines reſtituerint. Hæc præterea ut maximè ſuperiora omittam, literarum peſtis non minima eſt, quòd principes nimium ſui admirantes, conſiliis ſuis ſolùmodò cõfidere & à ſe pendere faciãt. Si quid enim vel domi vel foris gerendũ, ſuo ingenio, quod literis contra omnem errorem munitum & exaggeratũ eſſe arbitrantur, niti & ſtare volũt: opinionẽ ſuæ eruditionis imminui putant, ſi aliis in conſilii communionem aſſumendi, alii au-

dìendi

diendi, alii ſequendi ſint. Id quod ſuo exemplo edoctus, omnium pernitioſiſſimum eſſe tandē confeſſus eſt Ludovicus XI. Galliæ rex, quiq; eam ob cauſam, ut graviſſimi Authores teſtātur, filium ſuum literis & artibus erudiri noluit, ne propriis confiſus opinionibus, aliorum conſilia & documenta poſthaberet. Peſtis hæc, peſtis inquam, omnium judiciorum eſt, ſi principes, qui juri dicundo præſunt, ipſi ſuis arbitriis, cauſas omnes, quas literarum confidentia, ſe optimè omnium intelligere exiſtimant, dijudicare velint, aliorumq; conſiliis animum adhibere, turpe ſibi eſſe ducāt. Prudentiſſimi contra illi, qui licet literarum ignari, aliorum tamen conſiliis uſi res maximas obeunt & adminiſtrant. Ne verò auditores, veſtra patientia, ad prolixitatem orationis meæ abuti videar, unicum ſaltem & quidem illuſtre ad ſententiæ meæ majorem confirmaonem exemplum in medium adducam. Juſtinianus Romanorum imperator auguſtiſſimꝰ, cujus rerum bellicarum gloria omnium imperatorum ac heroum virtus ac gloria longè lateq; victa ac ſuperata eſt, non ſolùm Perſas in oriente tumultuantes profligavit, Vandalos Africam in colentes horrendis præliis expulit; Hypatium & Pompejum, qui commota ſeditione, imperii dignitates atq; inſignia poſtulaverant, ſupplicio affecit, verùm

etiam Gothos populares meos, in victiſſimam ac formidabilem gentem, Siciliam longè lateq; occupantes, fudit ac diſſipavit. Hanc tam inſignem ejus rerum geſtarum gloriam tamq; omnium votis, omniumq; gentium literis ac linguis deprædicandam virtutis famam, non philoſophia peperit, non literarum ſtudium aluit, non doctrina progenuit, ſed Martis vis atque induſtria ſingularis procreavit. Rempublicam enim juſtiſſimè ac feliciſſimè tum domi tum foris literarum & legum neſcius, diſciplinarumq; rudis gubernavit. Hæc omnia Collegæ ſuaviſſimi, commovere vos debent, ut afflictæ deſperatæq; meæ cauſæ ſuccuratis, ut profligata, eque animis veſtris priore illa ſententia expulſa principi literarum ſtudia adeò neceſſaria non eſſe ſtatuatis. Cogitare cum quibus in rebus principis verſetur majeſtas, quibus ſplendoribus principis eluceat officium, perpendite incommoda, quæ ſi princeps literarum ſtudiis ſeſe tradat, pacis tempore ei obveniant, conſideratæ quam miſerè cogitationes ac conſilia, quæ pro Reipub. ſalute pacis tempore ſuſcipi debent, literis impediantur & conturbentur. Etſi hæc omnia vos ad meam ſententiam complectendam inflammare non poſſunt, commoveant atq; incitent, vos tot præſtantiſſimornm atq; præclariſsimorum hominum exempla, qui pro-

fectò nunquam tam egregia facinora præſtitiſſent, niſi relictis diſciplinarum ſtudiis in caſtra, & in aciem publicam ſeſe contuliſſent. Nobiliſsimus meus antagoniſta magnifica quorundam principum, qui ex his ſtudiis immortalem gloriam conſecuti, exempla in medium protulit. Ego verò cum exempla exemplis oppreſſerim, cumque multos ex literis cladem perpetuam, perpetuum mœrorem conſecutos eſſe probaverim, an non vobis ſatis firma reſponſione perfunctos eſſe videbor? Sed ne ipſis literis & otio abuti ad rem iſtam videar, pluribus rem actam agere hoc loco nolim. Quare ut ſuprema cum infimis conjungam, ſic mihi de vobis perſuadeo, neminem veſtrum tam durum, tamq; alienum à veritate eſſe, qui ſententiam hanc meam non gravis animis complectatur, non agnoſcat, non ut veriſsimam veneretur.

ORATIO XV.

Recitata à

GEORGIO MARTINIO BORUSSO.

Imperium Germanum eſſe Ariſtocraticum.

CUm multæ in rep. partes nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſunt: tum perdifficilis atq; ipſis rerum civilium juriſque publici conſultis per ob-

ſcura quæſtio eſt, de imperii Germanici ſtatu, quæ ad cognitionem Politicæ prudentiæ pulcherrima, & ad moderationem ampliſsimæ potentiæ maximè neceſſaria. Sunt autem de re iſta tam variæ doctiſsimorum hominum tamq; diſcrepantes ſententię, ut magno argumento eſſe videatur, cauſam hanc nequaquam ſuis ponderibus & veris rationibus, ſed tantummodò variis ſtudiis & affectu cujusq; eſſe perpenſam ac judicatam. Ex quo quidem accidiſſe animadvertitur, ut in hac controverſia exterorum doctorum ſententiæ ad rei veritatem multò propius, quam eorum, qui in imperio nati & educati ſunt, acceſsiſſe videantur. Quos enim illi in ſcopulos rationes ſuas, appulerunt? in quas ſalebras ac propè inexplicabiles labyrinthos opiniorum ſuarum argumenta conjecerunt? dum alii regium & monarchicum ſtatum, alii ex monarchico & ariſtocratico, neſcio, quod confuſum & mixtū adminiſtrationis genus, tanquam novam quādam imperii chimæram, excogitarunt. Atq; illos jute & meritò politicorum recentiorum facilè anteſignanus Johannes Bodinus, natione Gallus, in iis libris, quos de methodo hiſtoriarum; & de rep. ſcriptos reliquit, graviſſime refutavit. Sed tamen non ille princeps, ut plerisq; perſuaſum eſſe video, Germanici imperii gubernationem ariſtocraticam eſſe

Germanis oſtendit, ſed jam multò antè, quem univerſæ Germaniæ præceptorem non immeritò appellamus, omnium ille bonarum artium magiſter Melanchton, eodem nomine etiam indicaſſe videtur. Cujus quidem divini viri longè dexterrimum tum in hac, tum in aliis omnibus ſanioribus doctrinis judicium diligentiſsimè ſequendum eſſe, omnes mecum doctiſsimi hac ætate homines arbitrantur. *Si* qui verò fortè in hoc noſtro cœtu erunt, qui communi diverſæ opinionis errore animum imbutum habeant, ii velim huic meæ orationi ſilentium & attentionem tantę rei gravitate digniſsimam præbeant, ut quàm firmis atque ſolidis fundamentis hujus ſententiæ rationes innitantur, ipſi quodammodo manu apprehendere, omnibusq; ſenſibus rei veritatem percipere poſsint. Nam, ut primùm de ipſa Germanicæ nationis natura, de indole, de ingenio totius gentis dicam, quid ex omnibus omnium adminiſtrationum & imperiorum generibus, tam ei accommodatum, tam aptum, tamq; appoſitum divinitus dari potuit, quàm ea gubernationis ratio, is modus, qui quà proximè ad libertatis ſpeciem, cujus à primis incunabulis hic populus ſemper ſtudioſiſſimus fuiſſe cognoſcitur, accedere videatur. Quid enim aureæ atq; adeò inæſtimabili libertati propinquius, quid cum ea conjunctius,

quid

quid præterea animo ingenuo & generoſo gratius, quam eiuſmodi imperio ſubeſſe, cui plures iique optimi ex univerſo optimârum genere lectiſsimi præſint? Ná ſi, Tullio rectiſſimè aſſerendum ſecundum legis præſcripta, virtutisq; normam vivere, libertas unica & certiſsima eſt, quid non in eo reip. genere liberum, quid non magnificum, quid non excelſo animo dignum exiſtat, quæ non vel unius arbitrio, vel multitudinis impetu temeritate, ſed præſtantiſsimorum quorumq; virorũ auctoritate gubernetnr. Quid porro aliud eſt legis & ipſius virtutis gubernaculo regi, quàm ejuſmodi hominibus obtemperare, eorumq; ductum & juſſum ſequi, qui mortalium optimi habeantur, nihilq; quod legi contrarium, nihil quod rationi atq; virtuti adverſum ſit, ulla unquam cogitatone aut conſilio ſuſcipiant? Atq; hæc quidem optimarum optimorumque virorum virorum adminiſtratio, quid à ſanctiſsimo deorum cœleſtiu imperio diſtabit? Nihil etenim in eo ſervitii, nihil jugi, nihil aſperitatis, nihil oneris ſentietur. Cuncta tanquã in domeſtica gubernatione, paterneq; diſciplinæ gyro plena amoris, plena cuncta gratiæ, plena charitatis. Nec verò aliam imperii rationem, civilisq; gubernationis modum rerũ omniũ ſator & cõſervator, Deus hereditario ſuo popnlo, quẽ ex monarchicis ergaſtulis, &

lis & ex Ægyptiacæ ſervitutis compedibus validiſſima manu eripuerat; tanquàm omnium adminiſtrationum optimam præſcribendam curavit. Ad hanc enim rationem Gethronis conſilium, quod de Centum viris, aliiſque judicibus & ſenatoribus conſtituendis prudentiſſimꝰ ſocer divino illi ſuo genero dabat, unicè reſpiciebat: huc omnis Moſaicæ gubernationis ſumma referebatur: hoc reip. ſtatu à primo uſq; in Paleſtinā regionē ingreſſu, per multorum annorum curricula Iſraëlitæ feliciſſimè uſi eſſe leguntur. At cùm iidem longo tempore poſt avitam diſciplinam cum regio & monarchico imperio commutatam expeterent, ſe ipſe Deus conteſtatus voce clariſſima eſt, per eam converſionē eſſe rejectū. Sed & præterea ſtultiſſimam multitudinem idem vehementiſſimè increpuit, atque admonuit, ut de libertate priſtina, quam per regni coſtitutionem, atque unius poteſtatem amitterent, deq; contraria ei ſervitute, quam ſibi ipſi nova imperii monarchici ordinatione accerſerent, maturè cogitarent. Atqui tam duræ cervice populus iſte degener natus eſſe videbatur, ut aureæ libertatis auram diutius perferre nequiret, ſed inſtar indomiti alicujus jumenti freno ac capiſtro graviore indigeret. Quis verò in hominum ingeniis inveſtigandi

gandi

ſtigandis tam rudis, & cognoſcendæ cujusq; naturæ tam inſolens eſt, qui non multò excelſiore animo Martiam Germanorum progeniem natam eſſe videat, quàm ut vel minimam ſervitutis & umbram tolerare poſſit, qua nihil ab incunabulis ſuis pejus odiſſe, nihil oculis atq; auribus ſuis magis reſpuiſſe unquã prædicatur. Nam cùm eodem nomine Germani, quo etiam hodie, vetuſtiſsimis ſeculis inter Perſiæ nationes, quemadmodum ex hiſtoriarum parente Herodoto perſpicuum eſt, celeberrimi haberentur omni univerſæ Aſiæ ubertate atq; copia relicta, libertatis ſuæ conſervandæ gratia, ultrò in has Europæ oras lõgiſsimis itineribus contendiſſe dicuntur. Ex quo quidem tempore cùm primũ lare & penatibus ſuis in hanc regionem illatis ſocietatem civilem certo aliquo reip vinculo confirmarent, nullum aliud unquam adminiſtrationis publicæ genus, quàm Ariſtocraticum ſtatũ admiſiſſe cognoſcuntur. Quod nec obſcurum Romanorum annalium ſcriptor graviſsimus Tacitus de ſuæ ætatis Germania proditum reliquit. Tametſi enim veteres illi, admodum antiqui, etiam reges ſuos ritu aliarum gentium ex nobilitate legerint, nihil minus tamen eodem teſte quàm regiã & abſolutã poteſtatem iiſdem in ſeſe conceſſerunt. Nam quod priſci Quirites exactis regibus, novaq; reip.

forma

forma inſtituta conſtituiſſe leguntur, cùm vitæ neciſque jus conſulibus & ſenatoribus in civem Romanum eriperent, legesque Semproniam & Portiam ea de re ſancitas darent: Idem Germanorum majores, ut libertatis avitæ rationem quàm maximam etiam in regno retinerent, ſummo ſtudio providerunt. Regis quidem nomen inſigne & externus cultus erat: nomini verò regio poteſtas quàm minimè cõveniebat. Nec enim regi jus vinciendi, non puniendi, non verberandi ullum erat multò minus rege inferioribus ducibus. Caruit itaq; ille jure prehenſionis, caruit vinculi & carceris, caruit, quod in regia poteſtate ſummum eſt, jure gladii. Quid verò hîc præter titulũ inanem agnoſcere poteris, quod regiam manum præ ſeſe ferre videatur. Multò profectò in iſto rege poteſtas minor apparet, quam Romani ullius conſulis fuiſſe dicitur: Ille lictores ſuos cum faſcibus ad ligandum & caſtigandũ paratos habebat: habebat Tulliani carceris coërcitionem: habebat in eodem, ſi neciſſitas poſtulabat, laquetum: habebat, ſi non intra mœnia, foris tamen latè longeq; metuendam ſecurim. At nihil eorum omniũ rex veteris Germaniæ, itq; illuſtri argumento eſt, nullã omninò monarchicã poteſtatem in eo regno fuiſſe. Quod etiam multò clarius commitiorũ & curiæ veterisconſultationumq; ratio indi-

cavit. Quæ verò illa? In regno certè minimè regis; nihil enim illic imperii; nihil mandati; nihil *juſſu* regii: Libera omnia; nihil à nutu, nihil ab arbitrio & voluntate principis dependebat: audiebatur quidem in ſenatu rex; audiebantur duces, non tamen jubendi poteſtate, ſed ſuadendi auctoritate audiebantur: plus hîc ætati & prudentiæ, plus virtuti & integritati, quàm generi & potentiæ ulli tribuebatur. Sententia regis, ſi è re communi eſſe videretur, conſenſu publico framearumq; concuſſu confirmabatur: Si verò diſplicita eſſet, ingenti fremitu repudiabatur. Quid? quòd quæ momenti majoris erant, omnia ad publicum conventū deferebantur: in illo de reip. ſalute, de capite civium, de ſuppliciis irrogādis, de judicibus vicatim conſtituendis, aliisq; ad ſummam rei pertinentibus agebatur: Minores verò cauſæ & negotia tantummodò ad regis ac principum cognitionem rejiciebantur: in illis eorum poteſtas & arbitrium, visq; omnis ſeſe efferebat. Hæc erat veteris illius regni majeſtas; hæc celſitudo; hæc imperii auctoritas. Quis verò noſtrûm ſenſu tam acuto eſt, ut vel minimā aliquam monarchicæ vereq; regiæ poteſtatis partē pervidere in ea poſſit? Quis non popularem potius quàm regalē ſtatum dixerit niſi quòd & regium nomen, & faſcia & dignitas regni, & è nobilitate petitū

impe-

imperii caput, & in concilio tot principum & ducum regi aſſidentium gravitas, ariſtocraticum quendam ſplendorẽ referrre videantur. Quis autẽ rerum veterũ cum hodiernis conferendarum tam ingnarus eſt, qui priſcũ illũ Germanici regni ſtatum cum Sarmatarũ hodierna gubernatione maximam partem convenire non perſpiciat? Nam & ibi regni nomen eſt, eſt regis honos & titulus, eſt diadema, eſt coronationis ſplendor & inauguratio, eſt ſceptri decus & trabeæ. At nihil in illis rebus omnibus eſt, quod ad regni jus regiamq; manum & poteſtatem monarchiam exercendam pertineat. Non ibi ulla regni hereditas, non libera conſultandi facultas, non campi & congregationis (colon vocant) jus, non curiæ, non belli indicendi, non fœderis iciendi, non tributi, non vectigalis conſtituendi, non legẽ condenti. non ſupplicii in caput & famam equitiis decernendi, non monerá ſignandi non ſucceſſorem deſignandi, non denique rẽ ullã majorem ſanciendi poteſtas. Prorſus omnia ad veteris illius Germanorum regni veſtigia, quæ annalium ſcriptor memorię prodidit, niſi quòd illic plebs, hîc equites & nobiles loco antiquę illio plebis habeãtur. Nõ itaq; ulla in illo imperio regni, non Monarchiæ, ſed tota, quãta eſt, Ariſtocratię forma eluceſcit. Atque hęc quidem, quæ hactenus in hunc modum

de veteris Germaniæ ſtatu dicta ſunt, eò pertinere velim, ut nihil magis Germanorum libertatis amantiſſimæ naturæ & conſuetudini contrarium, nihil omnibus eorum legibus & moribus magis adverſum, quam regni & monarchiæ jugum ac diſciplinam declarent. Intuemini enim, intuemini pauló accuratius pulcherrimam iſtam hodierni imperii formã, contemplamini firmiſſimæ cõſtitutionis colligatiónem, membra & partes ſingulas totius compagis diligentius perpendite; & rerũ univerſum ſtatum oculis veſtris & cogitationibus altioribus ſubjicite. Primum in eo Imperator & princeps principum eſt: Nomen certè longè maximum: Quid enim in terris majeſtate tanta poterit majus, quid ſublimius fingi & excogitari? Concedunt regum omnium, etſi cũ vetere illo Tigranne triplici diademate caput exornatum habeant, ſeque reges regũ appellent? concedunt, inquam, omnium inſignia: cedunt ſceptra & purpuræ. Illi tantummodo reges: hic Cæſar eſt: ad quid Cæſaris nomen? apud omnes terrarum populos, ut Juſtinianus Imperator teſtatum reliquid, nominatiſſimũ, & ſummi imperii atque arbitrii in univerſum orbem nota propria. Quid igitur? an non incirco ille monarcha? an non per eandem potentiã ſtatus monarchicus? At neque Cæſar ipſe, à quo auguſtiſſimũ nomen in ſucceſſores
deriva-

privatum monarcha unquã fuit. Quis enim hoc nomine appellandus? An non ipſa vis verbi inditio eſt, eumque deſignat, qui ſolus & unus ſummam totius reipub. poteſtatem habeat, qui ſuo ipſius arbitrio ſemper & ubique in omnibus & ſingulis imperii partibus utatur, qui ſuis, quas figit & refigit, ut libitum eſt, legibus cunctos coerceat, ipſe verò nullis omninò teneatur, cùm omnibus ſuperior ſit, eiq; Deus, à quo proximus eſt, ſanctiones legum omnium omnes ſubjecerit. Atque hic verè monarcha eſt: hic dominus ille mundi; qui omnibus imperat, omnibus, pro voluntate, quæ loco ſummæ legis eſt, edicit; jubet, mandat; hic ſtatus imperii monarchicus, in quo tãquã in herili domo, unius domini nutu omnia reguntur: illic vernæ & ſervuli: hic cives & ſubditi unius imperium ſequuntur: juſſu unius omnia expediuntur. Non illum ulla aliorum conſilia, non diſſenſus, non interceſſiones in propoſito remorantur: non cœtus & comitia ulla ipſius inſtitutis refragantur: non mores, non conſuetudines, non ſcita, non ſtatuta ulla contra id; quod uni placitum eſt, uſurpantur. Quid verò rerum illarum in Germanorũ hodierno imperio? Monarchicis iſtis rationibus prorſus contraria omnia. Hîc enim primò regali ſplendore & majeſtate Septemviri effulgent: pars Ariſtocratici ſtatus maxima:

Illi omnium non modò conſiliorum, ſed etiã actionum ſocii & arbitri: Illi rerum omnium duces & auctores primarii: illi membra principis propiora. Quod neque ipſe Imperator Carolus Quartus, cùm æternam imperii legẽ ſanciret, diſſimulaſſe videtur, quando eoſdem nunc palmites imperiales, nunc baſes & colũnas, in quibus totum imperii ædificiũ molesq; innitatur, quorumq; ſoleri cura ſuſtentetur, nunc robora & firmamenta, nunc præſidia imperialis dexteræ appellavit. Nec verò inanes tantummodo titulos iſtos & vocabulorũ pompàm eſſe, re ipſa Septemviralis auctoritatis atq; poteſtatis vis declarat. Quãta autem, (fidem hominum teſtor) quanta illa eſt? Quod inter imperii omnia jura maximũ exiſtit, deſignandi creandique ſucceſſoris poteſtatem ſeptem illi habent: habent, ut dandi, ita etiam imperii abrogandi; quemadmodum proavorum ætas in Caroli Quarti filio Wenceslao exemplum cõmemorabile vidit. At qui unquã in ullo regno & imperio tanta poteſtate magiſtratus valuiſſe prædicantur? quæ ſimilis unquam alibi dignitas? quæ auctoritas audita? Maxima quidẽ potentia præfecti veteris prætorii fuiſſe legitur, & certè tanta, ut etiam licentia potius quàm poteſtas à Jureconſultis fuerit cognominata. Sed quid illa, ſi cum hac ſeptẽ-

ſeptemvirali majeſtate comparetur? Certè nõ alia, quàm ſi atrienſis alicujus ſervi paulò lautiorem conditionem cum libri hominis ſtatu conferre velis. Quid porrò de reliquis hujus dignitatis faſtigiis, quid de ſummæ majeſtatis cum iiſdem communicato radio, de jure, de privilegiis, de plenitudine poteſtatis, de eminentia dicam? Nulla, principibus non antè conſultis, comitia, nullos conventus, nullas publicas conſultationes ſine conſenſu ac ſuffragio Septemvirorum Imperatori indicere licet. At illis tamen contrà integrum eſt, legeque publica conceſſum, quandocunq; velint, ſine ulla veniæ imperatoriæ impetratione, collegio coacto coire, ſenatum habere, conſiliorũ rationes conferre, conventus frequentare, de reip. ſalute ac imperii incolumitate ſarta tectaq; conſervanda libertimè deliberare. Quodnam verò Ariſtocraticæ gubernationis veſtigium haberi poſſit expreſſius? aut quod unquam regnum etiam in laxioribu habenis, nedum dominatus & monarchicum imperim extitiſſe dicetur in quo ordini ulli illud permiſſum eſſe cognoſcetur? Notæ ea de re Hiſpanorum ſanctiones: nota Neapolitanorum interdicta: Bohemorum leges notæ: nota aliorum regnorum, etiam eorum quæ ſuffragii jure adminiſtrationem conſtitutam habent, ſtatuta & conſuetudines. Sed in aliis

non minoris momenti rebus eandem rationē videamus. Nam nullibi major majeſtatis lux, nullibi clarior monarchici dominatus ſignificatio, quàm in publicis imperii comitiis. Hîc abſoluta illa poteſtas in decretis promulgandis, in pacis & belli negotiis conſtituendis, in ſocietatibus ac fœderibus ineundis, in vectigalibus & tributis imponendis, aliiſque longè maximis reip. partibus potiſſimè eluceſcit. At nihil rerum iſtarum omnium ſine optimatū imperii conſilio, ſine eorundem nutu & conſenſu Cæſarem ſuſcipere poſſe ex imperii legibus & ordinatione liquidò conſtat. Rogandæ fortè novæ leges ſunt? Conſenſus principum reliquorum ordinum neceſſariò requirendus. Sanctiones veteres amplificandæ? Conſenſu eodem opus. Fœdera & pacta cum exteris cōtrahenda? ſine aſſenſu Electorum fieri nefas. Bella fortis ſuſcipienda? ſine Septemvirorum ſuffragio fieri nequit. Multò minus verò externæ copiæ in agro Germaniæ iiſdem invitis conſcribendæ. Sed neque cenſu aut tributis ullis ſine conſenſu optimatū ſubditi onerandi, imperii bona nullo modo diſtrahenda. Et quid tandem eſt ex omnibus illis quæ ad ſupremæ majeſtatis poteſtatem propriè pertinere dicuntur, quod ſine ordinum conſenſu liberrima imperantis voluntate tractari poſſit? Quid enim, ſi è comitio in judi-

cia &

cia & tribunalia ſumma imperii ingrediamur, quid majoris ibidem auctoritatis, quid potentiæ invenimus? Legibus ſolutus omnibus omnis monarcha eſt: nullum ille judicem, nullum in cauſis ſuis cognitorem, nullum arbritrum habet. Ab illo omnium legum & conſtitutionum, omnium curiarum, atq; judiciorum ratio & auctoritas dependet. Ille unus fori dominus: Ille litium curſus voluntate ſua regit: nunc cauſas à minoribus judiciis, nunc à majoribus ad ſeſe avocat; has tollit & abolet; illas decidit: alias ſuſpendit. At quid Imperator Germanicus? Tantum abeſt, ut nullis ille ſeſe legibus aſtrictum eſſe prædicare poſſit, ut etiam judicem antiquis moribus & ſanctionibus publicis ordinarium, Comitem Palatinum Septemvirum, quo coram conveniri ab omnibus poſſit, ſibi conſtitutum habeat: habeat in ſua ipſius aula patefactum ad hãc rem omnibus forum, habeat paratum judicium, apertum tribunal. Sed & idem ſanctiſsima præſtiti juramenti religione, plurimiſq; gravisſimarum ſanctionum capitibus devinctus tenetur; ne quicquam earum rerum, quæ ad reip. conſtitutionem, ejuſq; firmamentum, & quæ ad fundamentum pertinent, immutari ſinat. At illud eo modo conſenſu omniũ ordinum proviſum & confirmatũ eſt, ut neq; judicii imperialis, quod Camerã nuncupãt

curſum inhibere, neq; telam judicii interturbare, neq; cauſas in eo jactatas ad ſe avocare, neq; ſententias poteſtate ſua revocare, neque provocationis via aliorſum Cæſar derivare queat. In manibus omnium verſantur factæ ea de re ordinationes pulbicæ. Legantur præterea ipſorum aſſeſſorum literis mandatæ obſervationes. Ex ipſo imperiali judicio eadem de imperatore ad imperatorem ſcripſit Gailius. Nemo hominum illius ſcriptis contradixit: Se veriſſima eſſe omnium conſenſus & ſuffragium comprobavit: Cæſar ipſe ſui nominis auctoritate, cui libri dedicati ſunt, ſententiam confirmavit: privilegiis editionem hujus & aliorum auctorum qui idem de imperio ſenſerunt, communivit. Et nos fortaſſe dubitabimus adhuc id, quod res eſt, de ſtatu rerum noſtrarum confiteri? Verebimur ſcilicet, ne ſi Ariſtocraticam rationem imperii aſſeveraverimus, imminuiſſe majeſtatem imperatoriam videamur? At eam nullo modò imminuit, ſed potius ex ornat & amplificat, qui quæ rectiſsimè ei tribui poſſunt, tribuit. Contra verò poteſtati principis falſa & indebita aſſignare, quid aliud eſt, quàm eandem ludificare & irriſui proponere? Nec verò non veriſſima illa ſunt, quæ hactenus ex imperii legibus & ordinatibus publicis majorumque inſtitutis & conſuetudinibus, de jure & poteſtate

ſtate imperatoris explicata audiviſtis. Sunt eadem certiſſima Ariſtocratici ſtatus indicia ſunt argumenta cunctis rerumpub. inſtitutoribus notiſſima. Eadem olim ratio in regno Spartanorum, cum regis quidem nomen perilluſtre, & omnibus aliis imperii inſignib9 cō-optimatum conſiliis ac decretis, potiſsimum ſpicuum, ariſtocraticus tamē in eodē ſtatus, in in adminiſtratione Ephororum contineretur. Nec ab ſimilem gubernationis modum in hodierna Venetorum republ. videre eſt, quàm idcirco quoq; cum ſtatu imperii politicorum principes non ineptè conferri poſſe autumant. Tametſi enim & ibi dux & princeps ſit, qui ſummis illius imperii ornamentis ac honoribus cumulatiſſim9 habeatur, ſit omnium aliorum procerum caput, cujus auctoritate geri omni videantur, ſi deniq; omnium cōſiliorum & actionum lumen, ſi reip. culmen & faſtigium: non tamen ea omnia, quanta, quanta ſint, quæ certè maxima ſunt, impedire videntur, quò minus illa reſp. in Ariſtocratico ſtatu validiſſimè conſiſtere cunctorum prudētium judicio prædicetur. Cur verò non idem eodē modò de Germaniæ imperio ejuſq; gubernatione affirmabimus? Etenim quid eſt, quod Ariſtocratico ſtatui obſtare & repugnare videatur? Numquid, quod uni impoſitū eſt diadema, uni quod datū eſt ſceptrū, ut in manū

collo-

collocata orbis terrarum imago, uni porre-ctus juſtitiæ ſummæ inſigne, gladius: uni auguſtiſsimus imperii apex ac nomen conceſſum? Quem quamne vero tam rerum communium ignarum eſſe arbitrer, qui in his externis ſplendoribus internam monarchiæ vim ac poteſtatem verſari exiſtimet? Sed quid longiorem rei declarationem poſcimus? Pro multis aliorum & orationibus & rationibus ipſorum Imperii Septemvirorum teſtimonium eſto. Audiamus ex ſummo illo collegio doctorem ſummum: audiamus ipſum imperii per Germaniam Archicancellariū. Quid ille? Toto imperio percrebuit Alberti Moguntini Archiepiſcopi & Cardinalis & ſuffragatoris longè id ætatis celſiſsimi graviſsima, tanquam civile oraculum, ſententia, cùm in ipſo auguſto ſeptem virorū collegio ad Mœnum, in ea oratione quam tum temporis, cùm Franciſcus I. Galliæ rex imperii Romani coronā vehementiſsimè ambiret, habuit, in hæc verba diſſeruiſſe legitur: *Cupiditas*, inquit, *& ambitio plerunque rapit homines tranſverſos, ut ab officio diſcedant: Multi olim fuerunt in Gallia viri principes, nunc autem in auguſtum redactus eſt eorum numerus. Nam rex propè ſolus omnia tenet, animi fortitudine ei tribuunt, ſed ad Monarchiam ſpectat: nobis autem in primis Ariſtocratia retinenda eſt.* Hæc ille: Cujus voce quid

poteſt

poteſt ad hanc rem declarandam illuſtrius haberi? Dixit videlicet ille, qui à Cæſare ſupremam in imperio dignitatem obtinuit: Dixit ille, qui ſtatim reip. omnem in ſcriniis ſuis ante oculos quotidie & exploratiſsimum omnibus rationibus habuit: dixit; atque ubi dixit? in ipſo imperii ſacrario; in auguſtiſsimo illo loco, ubi nihil niſi de ſtatu ſummo reip. dici, nihil cogitari ſolet; dixit audientibus omnibus ſummi ſenatus collegis, quorum ſuffragio ſententia comprobata. Nec verò unius auctoris publicò teſtimonio res ea adhuc modum, in literas & monumenta eſt relata. In manibus eſt veritatis proferendæ ſtudioſiſſimi hominis & doctiſsimi Philippi præceptoris oratio, quam de electione & coronatione Caroli Quinti habuit, in qua ejuſdem principis Alberti ſententia eadem memoriæ mandata his verbis extat:

Eſt omninò Gallus (oratio *Septemviri* eſt) excelſo animo præditus, ſed nimis cupidus monarchiæ: nos autem niſi Ariſtocratiam principum in Germania omni conſilio, omnibus viribus ac nervis tuebimur, malè cõſulemus univerſæ poſteritati. Certè malè! Credat tibi illud, conſultiſsimè imperii Neſtor, credat certiſsimè omnis poſteritas. Quemadmodum enim domicilii firmamentum, parietúmq; & tectorum ſuſtentatio in validis

funda-

fundamentis continetur: ita hæc ſolidiſſima baſis & fulcimentum univerſæ hujus molis per ætates plurimas huc uſq; fuiſſe perſpicitur. Quid verò meæ orationi accedere poterit ex omni imperii dignitate ad hanc ſententiam confirmandam gravius, quid ad veritatis lucem vobis omnibus ob oculos ponendam clariùs? Quapropter, nê videar velle meridiano ſplendori facem admovere, deſinam rem omnibus factam maximè probatam & perſpicuam pluribus explicare. Res ipſa in conſpectu omnium verſatur. Imperium per optimates & principes ſuos de ſe ipſo loquitur. Optimum optimatum ſtatum ferè manibus noſtris ipſi palpamus: omnia comitia & conſilia, omnia omnium rerum inſtituta, judicia, curiæ, tribunalia, ſuffragia, ſententiæ; omnes deniqué totius reip. actiones, negotia omnia; omnes dignitatum & honorum ordines, urbes municipia, poſtremò, ipſa imperii majeſtas, nomen, decus, libertas, amplitudo, diuturnitas, pax, tranquillitas, relligio, aræ, delubra, foci & penates ſinguli, ariſtocraticæ gubernationis proſperitatem atq; felicitatem conteſtantur.

ORATIO

ORATIO XV.

Recitata à

MELCHIORE DE RECHBERG, SILESIO.

Statum Imperii eſſe monarchicum.

NOn equidem diſſimulare poſſum ſummo cum pudore, atque aliquo propè cum tremore me, in hunc locum conſcendere, quandoquidem omnia illa & ſingula, quæ illis, qui ad dicendum prodeunt, timorem & ruborem afferre conſueverunt, mihi ſeſe cumulatè hoc loco objiciāt. Etenim ex eo loco dico, qui & ad agendum ampliſſimus, & ad dicendum ornatiſsimus ſemper mihi eſt viſus, præſentibus viris illis loquor, qui multijuga & penè incomparabilī doctrina, ſapientia, prudentiaq; antecellunt, ſummorumque oratorum obtinent principatum: de iis denique rebus verba facio, quæ de Imperii Rom. Germanici ſtatu diſſerūtur, de ejuſdē dignitate ac majeſtate dicūtur, quarum tractationes non inficior multò graviores ac difficiliores eſſe, quàm ut vel ingenioli mei tenuitati, vel ætatis hujuſce meę tū judicio tum intellectui cōvenire videātur. Siquid. nō ignorem,

rem, Philoſophorũ principem etiam ab ethicarum, nedum politicarum diſciplinarum, aliarumq; quæſtionum auditionibus captum adoleſcentum, veluti nondum tantæ ſublimitati atq; difficultati aſſequendæ maturum & idoneum ſubmoviſſe. Quibus paulò diligentius mecum conſideratis, ita commovebat animo, ut parum abfuerit, quin hanc dicendi provinciam ſubterfugerim, niſi me huc ſumma de ſingulari veſtra humanitate concepta ſpes, nec non præclara illa divini omnium bonarum artium magiſtri Platonis ſententia quodammodo compuliſſet. Ille enim non ſolùm adoleſcentibus, verùm etiam ingenuis pueris tum præſcribenda, tum ediſcenda ea à teneris eſſe graviſsimè cenſebat, quórũ uſum & tractationem adultiore ætate cùm domi tum foris, ſi quando in Reip. negotiis muneribuq; verſarentur, adhibere, rerũ haud omninò ignari, poſsint. Sed & præterea illud in laudabili Romanorũ veterũ more poſitũ fuiſſe accepimꝰ, ut graviſsimarũ rerũ de ſũma Imperii totiusq; terrarũ orbis conſiliis ac deliberationibus in arcano ſenatu habitis, Papirios ſuos à pueris intereſſe voluerint, quo aliquarum maximarum rerũ notitiam à teneris, quòd ajunt, unguiculis adoleſcentior eorum, qui ad ſpem Reip educarentur, complecteretur, complexã ad maturioris judicii

tempora conſervaret. Quamobrem certa ſpe teneor, neminem tam iniquum communium ſtudiorum cenſorem fore, qui non commendaturus potiùs quàm reprehenſurus, non promoturus potiùs, quàm remoratus ſit, hunc noſtrum de maximis Imperii momentis cauſisq; publicis inquirendi conatum. *S*i enim rectè exiſtimamus, nobis qui patriæ cõmuni inſerviendi, beneque de Rep. merendi animum & voluntatem firmam conſtantemq; habemus, maximæ curæ cordique eſſe debere illud, quod olim Sulpitio *juniori* à Q. Mutio cum quodam opprobrio dictum eſſe, autore Cajo JCto, legimus; *Turpe eſſe patritio & nobili, & cauſas oranti, jus in quo verſaretur ignorare*: Turpiſſimum profectò judicandum eſt nobili Germano eſſe, ſtudiis civilibus politicarumq; rerum cognitioni operam navanti, ſtatum illius imperii, in quo verſetur, & in quo larem, rerumq; ac fortunarum ſuarũ ſummam conſtituerit, ignorare. Cujus equidem rei neſcio, quo infelici ſuperiorum ſeculorum fato, à noſtris intermiſſa, ac ferè prorſus neglecta ſtudia fuerint: adeò, ut cùm plurimi ad privati ſolũmodo Juris ſtudium animum applicarent, eique totos ſeſe conſecrarent, pauciſſimi, etiam ex illis, qui ad ſolidam, omnibusq; numeris abſolutam Juris utriuſque cognitionem perveniſſe ſe arbitrari ſunt, ejuſdemque vertices

haberi voluerunt, quid reip. ſtatus ſit, & appelletur, rectè intellexerint. Inde factum eſt, ut ingeniis exteris pro libidine pe Imperii noſtri ſtatu non modò judicandi, ſed de conſtitutione & forma Germanorum Reip. quidvis ſcribendi & commentandi ſine ullię noſtratiũ contradictione omnium maxima licentia fuerit patefacta. Quid enim, quem politici ſtudii quaſi poſtliminiò non modò in ſcholas publicas, verùm etiam in regum & principum curias revocati principem & auctorem appellãt Andegavenſis ille ſcriptor, quem cornicum oculos in politicis diſciplinis primùm omniũ confixiſſe dictitant: quid, inquam, ille ex affectu ſuo Gallico erga Imperium, de Imperii noſtri ſtatu non finxit, quid ad regni Francici, cujus amore pene obcęcatus deſuit, dignitatem, amplitudinem, præeminentiam, tuendã, augendam, amplificandam; quid contra adverſus Romani Imperii dignitatem, amplitudinem, majeſtatem, diminuendam, infringendam, extinguendam, non excogitavit, quid non finxit? ne gravius verbum loquar: quid? vel unico illo volumine de Repub. conſcripto, quod gratia & ſingulari privilegio Imperatorio munitũ undequaque in imperio venditur, ab omnibus legitur, omnium manibus teritur, ab omnibus diſſeritur; quid, inquam, contra noſtratis Imperii dignitatem, contra amplitu-

amplitudinem, contra majeſtatem non continetur? Principes Germanorum Ligios vaſallos eſſe Imperii Gallici Gallus iſte ſuperbiſſimè cucurit: Garmaniam provinciam Galliæ fuiſſe idem ex ſuo ſenſu canit, idque Germanos Impp. non negare exclamat. Idem Imperatorem Germanorum principi *Turcarũ* tributarum eſſe, prodit. Omitto, quæ ſingulatim de aliis principibus injuriosè ſcribat: præterea, quæ de conſtitutione Cameræ Imperialis ineptè garriat, quæ de comitiis falsò gauniat. At hæc nemine contradicente, nemine refutante, nemine ne quidem contrà hiſcente feruntur, neque feruntur ſolùm, ſed etiam illius aſſertione, vulgo veriſſima eſſe creduntur. Memini, Clariſſime Dn. D. Hermanne Kirchnere, præceptor ac fautor ſummoperè & amande & obſervande, cùm plura ejuſmodi ex Bodini ſcriptis, quæ mihi hoc loco non omnia occurrunt, in publicis prælectionum tuarum diſcurſibus obeliſco notanda nobis oſtenderes, te promittere præcipuorum errorum, qui in politicis Bodicini libris extent, veritatique partim hiſtoricæ, partim politicæ diſciplinæ adverſentur, caſtigationem, ſingulari libro abſolvendam. Quàm certè dignam tua perſona operã, imperialis acceptæ coronę beneficio eandẽ à tè expoſcente, ut ipſius tum Imperii nomine, tum omniũ noſtrûm, qui po-

liticarum rerum cupidi ſumus; ſuſcipias, ſuſceptam perficias, vehementer etiam atque etiam rogamus. Quid enim incommodi non ſolùm rei literariæ, verùm etiam Reip. & Imperio inde exiſtet, ſi falſa pro veris, ex infectis iſtis contrario affectu libris deprompta, propagentur, ac divulgentur? Si quæ de ſtatu Imperii noſtri Gallus ſcripſit, quæ diſſeruit ſine altiore rei indagatio, irreprehenſa & irrefutata ſcribi & dici patiamur? Audiſtis quæ ſuperioribus diebus de ſtatu Ariſtocratici Imperii noſtri ex hoc loco ornatè & copioſè perorata fuerit. Agnoviſtis diſciplinæ principium: ex quo fonte ſit petita omnis illa diſſertatio animadvertiſtis. Sed quid hoc mirum videri poſſit in illo, qui in veteri quidem Imperii provincia, ſed quæ nunc alterius regni exteri eſt, Prutenia natus, educatus, cùm maxima pars etiam eorum qui in Imperii ſinu ſpes & opes collocatas ſuas habent, Bodini auctoritate, tanquam nocturno Nauplii alicujus lumine, ex ſcopulis oſtenſo ſeducti, (quod, ne navigantibus piſcatoria fraude fiat, ſeveriſſimè legibus prohibitum eſſe conſtat,) in errorem eundem prolapſi fuerint. *Eſt enim*, teſte Plinio, *haud alius fidei pronior lapſus, quàm ſi gravis falſa rei auctor exiſtat.* Atq; aliis ferè omnibus diſciplinis, ſtudiis, ac facultatibus idipſum eveniſſe perſpicuum eſt, ut ab unius ſæpenu-

penumero derivata auctoritate opinio, in maximam familiam poſita altiſſimi erroris radice, longè latèque ſeſe diffuderit. Non eſt itaq; quod miremur, illud politicis rebus itidē uſuvenire, in quibus quoad pernoſcendos gubernationum ſtatus, & ad comprehendēdas earū rationes, ad diſcernendas formas, via erroris eò impeditior, quo hujus vel illius Reip. conſtitutio à vulgi oculis & animis remotior, quò gubernationis modus & forma temperatior, arcana, quæ κρύφια Græcis dicuntur, regnorum; occultiora & intra penetralia, ſinūq; Imperii reconditiora habentur. Quæ cùm etiam civibus, qui gubernaculi expertes ſunt, nedum in colis & hoſpitibus abſcondantur, quid homini peregrino & extero de alterius regni ſtatu & conditione gubernationis ſcribenti quid differenti credendum, cui ſcrutari regni alieni arcana maximè nefas ſit, quiq; eam ob cauſam ab alterius provincia, ne quæ non conveniat, timetur, arceri jure poteſt? Sed tamen, neſcio, qua temeritate, ne dicam impudentia, quaq; effrenata contradicendi libidine factū, à pleriſque hactenus ſit, ut plura de noſtri imperii ſtatū, deq; ejus majeſtate & conſtitutione ineptè exteri ſcripſerint, pluraque, falſò tamē, aſſeruerint, quàm illi ipſi, qui omnem imperii noſtri rationem exploratam & cognitam longiſſimo rerum uſu & experientia habeant,

quique in ipſa navi unà, ſedeant, & partem puppis, partem proræ, partem remorum in manibus ſibi commiſſam teneant, quique utramq; ut Plinii verbo loquar, reip. paginam inſpexerint. Minuenda itaque eorum opinio imò verò exſtirpanda penitus erit, qui cùm formam noſtri imperii per nubem, & per trāſennam duntaxat eminusq; viderint, ſententiam ſuam illicò de omni ejus ratione ferre nō dubitaverint. Ariſtocraticum Imperium eſſe Germanorum, cum Bodino, clamitent exteri omnes: clamitant homines de ſchola, pleriq; etiam noſtratium clamitant de foro, de curia. Detur mihi, auditores præſtantiſſimi, in hac illuſtriſs. imperii provincia Haſſiæ, in hac ab inviĉtiſſimo Imperatore Carolo V. ſūmâ gratiâ & privilegio ornata Academia, pro Imperii dignitate, pro majeſtate Germaniæ, pro Imperatoris inviĉtiſſimi Monarchica potentia, in cujus Jurisdiĉtione ego natus & educatus, à quo divina & immortalia beneficia familia mea conſecuta, cujus à conſiliis dileĉtiſſimus meus parens etiamnum eſt: Detur, inquam, mihi coram vobis benignè audientibus liberè dicendi venia, concedatur veſtræ benevolentiæ ac gratiæ aura. Te verò, Nobiliſſima & ornatiſs. Juventutis ſtudioſiſſima contra, ut curſum orationis meæ tui favoris & attentionis diligentiſſimæ, æquitatisq; ſtudio, tanquam

quàm optatiſſimis remis & velis adjuves, majorem in modum peto. Dicam autem breviter & quidem brevius, quàm res tanta dici vel debeat, vel etiam poſsit. At quid dicam? Dico, & dum dicendi, ſpirandiq; facultas ſupererit, dicam, imperium hodiernum Germanicum imperatoris monarchiam eſſe. Arrigite nunc cum Gallo veſtro aures, qui antea chriſtas cũ eodem Monarchiam eſſe, quam vos Ariſtocratiam, contendimus. Quid ita inquis? Percipies jam illicò, verùm ne ſententia noſtra obſcura cuiquã fortè videri poſsit, ſed omnibus clara atque perſpicua fiat, adeoque omnium captui atque intellectui ſit expoſita, duorum membrorum tractatione orationis meæ filium pertexam, & intra ea tanquam ſepta atque cancellos, quoad ejus fieri poterit, totum curſum continebo. Primùm Monarchiæ gubernationis rationes ex Politicorum diſciplina & præceptis, contrà quàm Bodini ſchola ſentit, explicabo, easque cauſæ præſenti applicabo. Deinde adverſariorum argumenta pro Ariſtocratia, tanquã pro aris & focis pugnantiũ, veriſsimis, ac firmiſsimis fundamentis refutabo. Antequã autẽ rem aggrediamur, primum omnium ſcire nos oportet, ſtatum de quo in politicorũ præceptis agitur, diſtinguendũ, & duplici conſideratione perpendẽdum, eſſe? primũ quãtitatis, deinde qualitatis

ratione. Quantitatis ſtatus in repub. ille eſt, quo tum magnitudo, quoad amplitudinem regnorum, latitudinem provinciarum, civitatum, populorum, eorundemq; potentiam, opes & facultates, tum verò maximè etiam ſupremum majeſtatis jus & decus, & prædominationis, ſublimitatis, ac ſupereminentiæ, apicisq; imperialis fulgor conſideratur. Hac quantitatis inſpectione, de Imperio, de regno, ge principatu, de repub. quæritur, non qualis ſit, hoc eſt, quæ ejus gubernatio, quæ forma, quæ ratio, quæ coſtituto, ſed quanta ſit vel externa vel interna ſui magnitudine. Ut enim in homine, aliam corporis, quæ in oculos hujuſq; incurrit, aliam animi magnitudinem, quàm non niſi oculis internis metimur, cognoſcimus; Ita in republ. aliam magnitudinem externam in robore & potentia, in amplitudine & latitudine regnorum, in multitudine provinciarum, in abundantia opum & facultatum, aliam in ſplendore & magnificentia dominationis, in trabeæ & purpuræ fulgore, in majeſtatis ſublimitate, in prædominationis apice, in *jure* ſuperioritatis, ut loquuntur, quæ cùm interna reipublicæ decora & ornamenta ſint, externis longè excellentiora ac præſtantiora cõſtituũtur. Hoc autẽ quãtitatis ſtatu regnũ aliud alio efficitur majꝰ nõ ſolùm externa, verùm etiã interna magnitudine

dine conſiderata, ita quidem, ut nonnunquam minus externa quantitate regnum, internâ ſui magnitudine, alia vaſtiſſimis regnis, & populoſiſsimis rebuspub. prædominetur. Quod quidem in Romano Imperio animadverti tum maximè potuit, cùm in patriis initiis Juſtinianus in Nov. 24. loquitur, exiguisque Imperii ſui finibus poſt magnitudinis internæ, quàm externæ, veteres Romani haberent. cùm plus dignitatis & majeſtatis, plus juris & fulgoris plus obſervantiæ foris apud ſocios, apud amicos, apud confœderatos, plus formidinis & metus apud hoſtes & peregrinos, quàm ditionis, juriſdictionis, roboris & potentiæ domi tenerent. Quæ enim inter, Aſiæ potentisſimos & fortiſſimos reges, Antiochum, Nicandrum Eumenem, quæ inter Ponti Ægyptique reges; Mithridatem Ptolomæos, & Italiæ ſpatia inæqualitas, quæ diverſitas? quæ potentiæ & roboris, quæ amplitudinis & regnorum diſparitas? Triplo quidem illi externa magnitudine Romanis majores: Sed tamen majeſtate & auctoritate ac tota illa imperii interna quantitate longè erant inferiores: illos in amplisſima fortuna ſervos: hos in exiguis finibus amplisſimos dominos, regumq; reges nominaſſes. Eam verò internam majeſtatem, eam potentiam eam magnitudinem, cùm ſtupore intuitus erat

 Pyrrhi

Pyrrhi regis Epirotarum potentiſſimi legatus Cyneas, cum omnes Romæ reges eſſe, quos vidiſſet, regi ſuo referret. Eam magnitudinem eamq; ſublimitatem, cùm præter urbem in Italia, Romani, Cannenſi calade, amiſiſſent ferè omnia, cum ad Trebiam, ad Traſimenum omnibus viribus eſſent exuti, ſartam tectam retinuerunt. Hac illa interna majeſtate ex minuiſſimis principiis & anguſtiſsimis ſpaciis ſeſe in totius terrarum orbis Imperium erexerunt. Quorſum verò hæc inquies? Eò nimirum ut hac quantitatis ratione rectè percepta, hodierni imperii noſtri ſtatum etiam eo modo monarchicum eſſe, hoc eſt, ſupremam omniũ aliorum regnorũ prædominationem intelligas. Illud enim eſt, quod tum in politicis, tum in hiſtoricis ſcholis ex hoc quantitatis ſtatu de imperiis & regnis quæritur? Quodnam ſupremum, & caput regnorum, regnum ſit? Vulgò monarhias appellant ex Danielis oraculo quatuor: quæ ſumma Imperia tum verbo ſacrarũ iterarũ, tum ex Dionyſii Halicarnaſſei & Appiani principio rectius appellantur: cùm monarchiæ vocabulum proprium ſui ſenſum, & interpretationem ex qualitatis ſtatu, & ex gubernationis modò teneat. Tametſi vulgò hoc concedi quæat, ut prædominantis unius imperii ſublimitas etiã monachia, impropriè tamen, dici poſſit: cùm quemadmodũ

lumi-

luminum cœleſtium ſplendidiſſimũ ſolis corpus imperium ac prædominationem omnium aſtrorum ac ſiderum tenere videtur: ita, quòd reliquorum regnorum omnium in ſe converſa ora ac oculus in ſe conjectos habet, quodq; ſupremum omnium exiſtit, tum univerſalem & generalem ſtatus ſupra omnia alia regna prædominationem, tum propter excellentiam ſui imperium monarchiam, quod unum præ omnibus, etſi non in omnia, dominetur, appellari poteſt. Si itaq; cũ vulgo nobis loqui eo modo placet, ex quantitatis ſtatu hodiernum noſtri imperii ſtatum monarchicũ verè nuncupamus. Intelligitis, opinor, haud obſcure expræditis, quid velim. Dico noſtrũ Imperium monarchicum, hoc eſt, ſummum omnium aliorum regnorum, quæcunq; latiſſima Chriſtiani orbis orbita continentur: dico noſtrum Imperium verè quartum & ultimum illud eſſe quod elogio ſancto ferreum pronũciatur; dico hodiernũ Germanorũ imperium quod à Romanis, terrarum dominis, Romanum cognominatum, & in perſona magnifica & verè heroica Caroli Magni ad Germanos tráslatũ eſt. illud idẽ interna ſua majeſtate, ſuo ſplendore, magnificentia, generaliſq; Imperii dignitate & axiomate, verũ & genuinũ Rom. Imper. etiamnum eſſe, quod monarchico hoc

quam-

quantitatis ſtatu omnibus aliis regnis & imperiis ſublimius, majeſtatis apice illuſtrius, ac dignitate celſius habeatur. Sit enim Hiſpanorum regis magnitudo externa multò major, ſi longiora regnorum pomœria; ſint omnium latiſſimi provinciarum fines, quos neq; Olympi oculos uno eodemq; aſpectu per luſtrare, neque ſolis currus uno eodemq; tempore circumire poſſit, ſint ad Antipodes uſq;, quorum ne nomen quidem ad veteris Romani imperii aures pervenit, & quos crediďiſſe in mundi ullis plagis eſſe, hæreticum olim habebatur, potentiæ termini extenti, ſint omniũ vaſtiſſima per Europam, per Aſiam Moſchici principatus territoria: ſint alia regna ad Thulem uſque extremam per Oceani vaſtitatem diſperſa: ſint contra Romanorum Imperio ablatæ tot terræ, tot maria, tot regna, tot provinciæ, tot civitates abreptæ, nihilominus ſupremum imperii faſtigium & internam ſummam magnitudinem adverſus omnia alia regna jure optimo, conſtanter tuetur ac defendit, Nam etſi ſubjectionis jugum, regnum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ exuerint, ſeque in propriæ coronæ dignitatem aſſeruerint, nemo tamen omnium Regum Chriſtianorũ inventus eſt, qui regni ſui celſitatem imperii majeſtati huc uſque anteferre auſus fuerit. Fatentur enim & ingenuè fatetur,

pleraq;

pleraq; regna omnia, ſe comiter aqnilam Romanā perpetuum conſervare Neq; ea ſolùm regna, quæ fœderis ac pacis vinculo cum ImperioRomano ſeſe devinxerunt, verùm etiam capitales infeſtiſſimiq; ejuſdem hoſtes id ipſū confirmant. Agnoſcit enim lubens eam Imperii ſublimitatem ipſe Turca, qui nihil non ad Imperii hujus noſtri perniciem molitur, cum Romani Jmperatoris ad ſeſe miſſos legatos, non ſolùm omnium aliorum regum legatis, exhibitione honoris, loco ſeſsione antepo- nit: verùm etiam plus, quàm omnibus aliis ornamenti & juris tribuit. Quid enim hoc, quod Augerius ſcribit, cum regum aliorum oratores coram ſeſe ſtantes audiat, Imperii legato ſellam pōni patitur ex ſella ejuſdem verba capit? Barbarus, ecce? barbarus, etiam in hoſte majeſtatem ſupremi Imperii perſpicit, eumq; colit, Perſpexit idem in ſumma illa feritate, & beluina ſævitia Moſcorum Baſilides, ſive Baſiliſcū humani generis appellare malis. qui cum omnium aliorum regum ipſiuſq; Turcæ potentiam deſpicatui haberet, ſolius Imperii Romani majeſtatem ſe & amicitia ſua dignā, & fraterna conjunctione & fœdere æterno æſtimare, in comitiis Auguſtanis ad Carolum Imper. clariſſima legatorum voce eſt profeſſus. Quod paternum, de Imperii Germanici dignitate judicium ſecutus poſtea Theodorus

filius

filius longè majore obſervantia, ſtudio & officio, erga invictiſſimum *I*mperatorem noſtrū Rudolphum feliciſſimum omnium. Auguſtū, declavavit qui etiam titulum regni & regis ab *I*mperatore flagitavit. Noverat videlicet ille, quamvis in media barbarie natus & educatus, *I*mperatorem ſolum eſſe, quem Reges creandi poteſtas, & qui ſolus ſit fons & ſcaturigo o-omnium dignitatum ſuperiorum. Si itaque ullum argumentum dari poteſt, quod *I*mperii ſupremam monarchicamq; prædominationē, & maximam majeſtatem internam, præaliis omnibus regnis oſtendat, hoc certè maximum eſt, quod regni conſtituendi, coronæ & diadematis imponendi, ſceptriq; concedendi poteſtas, à nullo alio rege etiam potentiſſimo, quam ab Imperii Romani monarchia petita aut poſtulata fuerit, neq; etiam ab ullo peti aut *I*mperrari poſſit. Cum enim reges inter ſeſe quoad regiam dignitatem pares ſint, regē qui creare velit. rege majorem eſſe omninò oportet, quandoquidem ille ſecundum verſiculum, revera rex eſt qui regem non habet. Unde factum, ut quotquot ferè in orbe Chriſtiano reges ſunt. *I*mperio Romano, tanquam majori poteſtati, faſcias & ſceptra ſua accepta referant. Quid enim regnum Bohemiæ, quid Poloniæ, quid Daniæ? annón ex ducatibus ad regni dignitatem culmenque ſceptri
impera-

Imperatorum Germanorum beneficio evecta? ſed mittam hæc, ut à quantitatis ſtatu ad qualitatis ſtatum perveniam. Quid hîc verò? Hic quale quodq; imperium & regnum ſit quæritur: hoc eſt, quomodo imperium quodque gubernetur, ſive, quemadmodum vulgò loquuntur politici ſcriptores, quænam ſit Reip. forma, qui ſtatus? Comprehendi autem cōmodè res omnis illa duobus generibus poterit. Quibus? Omnis gubernatio aut eſt penes unum, aut penes plures. propriè Græcis monarchia, quod verbum etiam in civitatem Latinam eò ſenſu tranſiit. Penes plures quæ eſt, ſpeciali ſignificatu reſp. dicititur, eaque, ſi minor pars populi ex optimatibus collecti, ſummæ rerum præſideat, Ariſtocratia, ſi verò promiſcuæ plebis admiratione gubernaculum ducatur, Democratia appellatus. Quæ quidem per ſe ipſa ſua luce perſpicua ſunt, ac tā clara, tamq; nota etiam in vulgus, ut majorem facem adhibere omnimo non ſit opus. At in eo cardine potiſſimum omnis negotii præſentis agitatio verſatur: Monarchicam gubernationem imperii hodierni negant: Ariſtocraticam eſſe affirmant. *In* qualitatis ſtatu laboramus. Definitione ad rem decidendam opus eſt, Definiamus ergò Monarchiam. Quid verò hîc, qui has nobis turbas parit, Bodinus? Monarchiam definimus, inquit, de Rep. lib. 2, c. 1. cùm in unius

unius dominatu verſatur reip. majeſtas. Audite quæſo, audite, quam monarchiam ille definiat: attendite, quid dicat: In unius dominatu, inquit. At quid dominatus? Ex eodem cognoſcite. Dominatus dicitur, inquit, cùm princeps unus libertatis ac fortunarũ omnium dominus jure bellii factus, aut fœdere ſubditos, quaſi paterfamilias ſervus moderatur. Negas Galle, Germanorum imperium, lege hujus tuæ definionis, monarchiam eſſe? Rectè quidem ſentis: Ad tuam definitionem, imperii Germanici monarchiam non agnoſcimus, Tuum dominatum Germania nunquam pertulit, & ut nunquam perferat, ſummus omnium imperiorum arbiter Deus faxit. Syllæ, Cynnæ, & Mario talia Gallæ canas. Illi dominatu ſuo Imperium Romanum, ſed non diuturno preſſernnt, atq; ita preſſerunt, ut tota Italia graſſati fuerint, locis omnibus inauditam crudelitatem exercuerint, ut civitate tota innocuorum civium cæde ac ſanguine natante, in funeribus reip. exultarint atq; tripudiarint, immaniaque flagitia ac ſcelera perpetraverint, Ad barbaros Scythas & Tartaros, ad Ruſſos & Moſchos cum tua illa monarchia ab eas, qui ſine ſervilibus ſcuticis & flagellis in obedientiæ ac rationis gyrum, benè ut vivant. reduci nullo modo poſſunt: Ad Turcas dominatum tuum transferas, qui libertatis

bertatis ac fortunarum omnium Sultanum, hoc eſt, dominum habent. Noſtri Romani Auguſti, tantum abeſt, ut in dominatu ejuſmodi tuo majeſtatē reip. habere expetierint, ut neque domini appellationem eo ſenſu admiſerint. Nam & Auguſtum Romanorum Imperatorem, cuius Imperium longè lateque patebat, & cui reges ſponte miniſtrabant, domini appellationē ſemper repudiaſſe legimus. Illud enim barbarorum potiùs quàm Romanorum eſſe etiam Livius memoriæ tradidit, pro legibus dominorum imperia agnoſcere. Habeas itaq; tibi, & tuo regno eam monarchiam, quæ tyrannis potiùs, quàm regnū dici meretur. Videtis adverſarii, qui pro Ariſtocratica Bodini veſtri opinione tantoperè præliamini: Videtis ex qua palude erroris veſtri derivationes trahantur? Monarchiam non imperii, non regni ſed dominatus tyrannici vobis veſter magiſter definivit: Videtis in ipſo principio & fundamento errari. Quid itaque mirum in ædificationem reliquam totá malè coherere? Quid enim ex illa monarchiæ definitione falſi, quid abſurdi non ſequitur? Illud nimirum quod de libertate Germanorū pluribus paginis ex Herodoto, ex Tacito, aliisque veterum monumentis decantari audivimus, hoc argumento, quòd apud libertatis amantem populum, Monarchiæ, quę libertati

contraria videatur ſecundum Andegavenſis præceptoris rudimentum, nullus facilè, locus, nullus uſus eſſe poſſit. Verba, verba dedit mala definitio, quæ de dominatu, de tyrannide dicuntur, tú de imperio, de regno, bonis legibus ordinato & armato, nè intelligas, At ſi hæc definitio non placeat, aliam ejuſdem auctoris quî repudiabis? Quam verò? Audiamus. Monarchia eſt, in qua penes unũ ſumma totius reip. poteſtas eſt. Melior quidem illa priore, ſed non minùs vomicã in ſeſe clandeſtinam continet: quid enim? ſummam poteſtatem quomodo expones? quam ſummam appellas? quæ ſit omnibus legibus abſoluta, omni jure libera. At quæ illa? Annòn cum dominatu, cum tyrannide eadem? Quód enim imperium, quod regnum monarchicum unquam fuit, quod nullis legibus, nullis moribus, nullo jure gubernatores ſuos adſtrinxerint, Perſarum veterum imperium monarchicam fuiſſe quis unquam negavit? ſi enim neges, evincet Xenophontis graviſſimi ſcriptoris auctoritas. Ac illi quibus regni legibus, & quàm arctè, quàm ſeverè Regiam poteſtatem alligarunt? Quid Cyrus Xenophonteus? *Perſonarum reges (inquid) leges dant, & leges accipiunt, eſtq́, iis modus non libido animi, ſed regis præſcriptum.* An verò non legiſti, quid ipſi de ſeſe Romani Impp. reſcripſerint? *Licet nimi-*

rum

rum lex ſolennibus juris Imperatorem ſolverit, nihil tamen tam proprium Imperii eſſe, quàm legibus vivere, & inverecundum eſſe, ſi Imperator non ſervet ea quæ legibus præſcripta ſint. Decere tantam majeſtatem eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur: & dignam vocem eſſe majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeò de auctoritate juris ſuam pendere auctoritatem, & revera majus Imperio eſſe ſubmittere legibus principatum. Quibus bellè admodũ convenit, quod in panegyrico ad Trajanum Plinius ſcribit, ubi ſe nunc primùm audire, inquid, nunc primum ſed ſcere, non eſſe principem ſupra leges, ſed leges eſſe ſupra principem. Vide quàm tua illa ſumma poteſtas, quam legũ omnium vinculis exuis, cùm monarchia Perſica, cum Imperio Romano conveniat. Vide quid illud ſit, quod omnibus legibus, omnibꝰ ſcitis abſolutum imperiumq; proponas. Nonne dominatus? nonnè tyrannis? & quidem eadem, quam noverca impudentiſſima Juliani ſuo privigno ſuadebat, cùm Imperatorẽ dare legẽ, ſed non accipere propudioſiſſimo tũ animo, tũ voce nefanda, diceret. Nonnè idem ſceleratũ conſilium, quo Cambyſis conſiliarii aſſentatores injuſtiſſimi regi perſuadere conãtes, licere regi Perſarum, quod falſiſſimũ erat, quicquid lubeat, facere, ad inceſtuoſas nuptias

cum ſorore ineundas regem ſtimularant? Abſint impuri iſti Cleones, abſit à Chriſtiano beneque inſtituto Imperio legum exſors iſta potentia, quæ lotrociniis potius quã regnis conveniat A deſte itaq; queſo, definitionibus non rectè informatis ſeducti, adeſte, & ipſi hallucinationes ex malis principiis obortas cognoſcite. Iniqui profectò, & injuſti de monarchiis judices, ſi ad tyrannidis & violentæ dominationis normam imperia & regna hodierna perpendere & metiri velitis. Diſcite longè aliam monarchiæ formã, ſi rectè & verè de monarchicis gubernationibus deliberare, judicare, verbaque facere inſtituatis. Quam verò trades nobis aliam? Eàm, ut Monarchiam definiam, ſtatum gubernationis qua unus ſecundum leges & mores regni regnat. Siccinè verò? Ita certè ad hunc modum. Hæc enim forma gubernationum omnium tum propria & peculiaris eſt, qua regnum à regno, imperium ab imperio diſcernitur: tũ communis itidem, qua imperium & regnum à tyrannide & dominatu diſtinguitur. Habent etenim omnia regna, omnia imperia, omnes principatus certas leges & normas, quibus gubernationis modus initiitur, quibus ſublatis ipſa forma cujuſq; regni & imperii perit. Francorum regnum habet ſuas leges *S*alicas, habet regias conſtitutiones alias, quibus regium ſceptrum

& gu-

& gubernatio univerſa continetur, atq; veluti fundamento certo inſiſtit. Habet regnum *Daniæ* alias: alias regnum Poloniæ: alias regnū Bohemiæ, alias Aragoniæ, alias Siciliæ, alias Luſitaniç, quæ etſi uni regi ſubſint, diverſas tamen leges habent, quibus moderatio cujusque regni comprehenditur. Tantum itaque abeſt, ut ullum unquam regnum, ullum imperium, ullus principatus legibus abſolutā poteſtatem monarchæ ſuo conceſſerit, ut potiùs omnem formam & modum gubernationis in legum certarū præſcriptis collocaverint. Tantum abeſt, ut Monarchiam ſine illa ſumma & abſoluta poteſtate conſiſtere non poſſe exiſtimemus, ut nihil tam neceſſarium ad tyrannidem & dominatum ab imperio amoliendum, quàm certarum legum & conſtitutionum orbitam eſſe intelligamus. Ridiculū itaque eſt, quid ex malis principiis infertur, monarchiā gubernationem non eſſe, ubi ſint certæ moderandi Imperii leges, certi termini & modi. Leges moderationis, monarchiam non tollunt, ſed potius eam ſtabiliunt, & confirmant. Leges Imperiorum vincula, gubernationum retinacula, contra anarchiam, contra tyrannidem frena ac habenæ ſunt, leges honeſtarum actionum & virtutum omnium meta ſunt: quā ſi egredi liceat principi, utiq; id agere licebit, quod rationi, quod honeſtati, quod denique

virtuti repugnabit. Ut enim intra metam à legibus præſcriptam omnia ſunt honeſta, ita extra eandem omnia honeſtati adverſantur. Quid ergo? Quid, inquam, idcirco imperium Germanorũ in gubernatione monarchica nõ erit, quòd Imperatoris poteſtas legibus *Imperii* certis deſcribatur, quod certis juramento firmatis conditionibus teneatur? Neminem igitur omnem regum tum veterum, tum hodiernorum, monarchiam appellabis, niſi illos qui liberrima tyrannide & dominatu in ſuos utantur. At ne quidem Byzantinam dominationem, monarchiam vocabis. Etſi enim Principis Turcici in ſuos poteſtas liberior, etſi abſolutior imperandi libido, etſi major dominandi libertas, non tamen minus certis tum religionis tũ gubernationis terminis ac limitibus, legibuſque imperii ac moribus intra muneris atq; officii ſui regionẽ continetur. Ubi verò ullum regnum, ubi imperium oſtendes, quod nullius juramenti religione regẽ & principem ſuum ſibi devinctum teneat? Ignoras profectò quid imperiũ, quid imperator, quid rex, quid regnũ ſit, quid monarchia, quid monarcha. Quæ enim conſequentia hæc & concluſio tua? Juramento aſtringitur imperator: Ergò non eſt monarcha. Qui enim monarcha eſt, ille cùm omnium ſupremus ſit, nemini jurare poterit. Rectè quidem: Sed neſcis

Imperiũ

Imperium ut prius, ut antiquius Imperatore, ita perpetuò majus & ſuperius eſſe eodẽ? Imperii & Regni majeſtas eſt realis, immortalis, perpetua: Regnantis perſonalis, quæ cũ perſona exſtinguitur. Imperiũ majeſtatem à nemine hominũ habet? Rex & imperator ab imperio majeſtatem & potentiam ſuam acceptã habet. Cùm itaque imperio ille jurat, & in imperii leges & jura jurat, nihil certè facit, quod majeſtatis monarchicæ fulgorem imminuat, ſed potius hoc efficit, per quod monarcha, imperator, & rex conſtituatur, & verè fiat. Sed ad ſecundum orationis membrũ feſtinemus. Audiamus egregia ſcilicet adverſariorum argumenta, nec à rerum ſuperficie, ut ipſi gloriantur, ſumpta, ſed rationibus firmiſſimis, & ex intimis rerum viſceribus educta: proferamus eorundem arietes & machinas, ut ipſi jactitãt, fortiſsimas, quibus veluti telis Achilleis monarchicam imperii noſtri Romano Germanici gubernationem oppugnant, ut Ariſtocraticã eſſe demonſtrent, Majeſtatemque Imperatoriam è ſummo dignitatis gradu deturbent, & ad infimum uſque dejiciant, Libertatem ais, Germanorum ſtatum monarchicum non toleraſſe unquam, neque tolerare poſſe. Dupliciter erras. Primùm enim libertatem ita monarchico Imperio opponis, ut tãquã hæc duo cõtraria ſint, alterum ab altero neceſſariò ex-

pellatur. Minimè verò contraria ſunt, ſunt diverſa tantùm, & ob id ex diverſorum natura in eodem eſſe ſubjecto, nulla ratione impediuntur. Deinde in eo quoque toto cœlo à veritatis via aberras, quòd dominationis & tyrannidis quod eſt proprium, illud imperiis & regnis, & principatibus legitimis falsò tribuis: Imperia enim & regna populi omnes ob id à ſeſe conſtituta fatentur, ut libertate rectè, benè beatèque vivendi, fortunisque & opibus ſub eorũ præſidiis & umbraculis perfrui tranquillè poſſent. Hic enim omnium imperiorũ & regnorum inſtituendorũ finis, hic ſcopus, hæc meta eſt. Libertatis ſuæ conſervandæ gratia quæcunq; erant toto terrarum orbe illuſtriores gentes, ad juſtiſſimum ac fortiſſimum Cyrum Perſarum monarchiam confluxiſſe, teſtatur graviſſimus Xenophon. Et neſcio ſanè, quid tibi in mentem veniat, quòd monarchiam una cum libertate conſiſtere non facilè poſſe contendas? cùm, cujus tu ſcholam ſequeris, Bodinus regium monarcham cum eſſe deſcripſerit, qui in ſumma poteſtate conſtitutus ſubditorum libertatem ac rerum dominia æquè ac ſua tueatur. Quamobrem monarchiæ cupidiores omnes illæ gentes erunt, quæ libertatis tuendæ & aſſerendæ amantiores, quo in numero cùm Germanos rectè poſueris, concedas etiam oportet, monarchiam

regiam

regiam eò facilius apud eoſdem locum inveniſſe. Neque aliter ſe rem habere, luce quod ajunt meridiana clarius eluceſcet; Regiá monarchiá ab antiquiſſimis temporibus Germani coluerunt: Libertatem in monarchico ſtatu perpetuam retinuerunt. Interrogetur ipſa regina Imperiorum omniũ Germania: Quid reſponſuram arbitramur? Gubernatio, inquit, mea á vetuſtiſſimis ſeculis perpetuum regia & monarchia fuit. In regia moderatione, inter ſceptra, inter trabeas, ſolia, & purpuras regina nata ſum, regina educata, inter reges adolevi, inter monarchas, imperatores omnium potentiſſimos conſenui, inter monarchas & imperatores ad finem uſque extremum permanebo. Prima mea tempora rexit ſtatu monarchico Tuiſco meus, qui prima omniũ fundamenta reip. meæ jecit, quẽ ob libertatẽ mei populi contra omnes finitimos feliciſſimè defensá, in deorũ numerũ poſteritas retulit, primas ille leges & jura nobis conſtituit: prima comitia ad Rhenum habuit, civitates & pagos certis limitibus primus diſtinxit. Regium ſtatum Mannus meus filius & ſucceſſor Tuiſconis conſervavit, amplificavit, ad poſteros Ingevonem, Iſtevonem, ad Hermionem, ad Marſũ, ad Gambriviũ, ad Suevũ, ad Alemannum, ad Adelgerũ, ad Laertem, ad Biennum, ad Francũ reges omnes, & potentiſſimos mo-

narchas propagavit. Regium ſtatum Arioviſtus meus, contra Iulium Romanorum defendit regiam gubernationem, alii meorum principum non modò in meis provinciis, verùm etiam in Romanorum finibus & in veteri Gallia confirmatur. Monarchicam cum libertate populi moderationem omnes à Carolo meo, uſque ad præſentem inviċtiſſimũ Rudolphum retinuerũt. Auditis ipſam matrem noſtram de adminiſtrationis ſuæ forma loquentem omnium veriſſime, omnium liberrime. Quid addamus rerum alterius? Non equidem opus, arbitror eſſe teſtimoniis veterum monumentorum, & auctoritate graviſſimorum ſcriptorum confirmare illud amplius, contraque errorem tuum iſtum pugnarè pluribus, quod libertatem dixeris Germanorum Monarchiam nullo unquam tempore toleraſſe. Eſt enim alter ille error, quẽ notavi, in eo poſitus, quòd monarchicum ſtatum ſtetiſſe nunquam, inter Germanos, aut ſtare potuiſſe affirmaveris. Sed ad obices robuſtiores progrediamur. Comitiorum rationem adducis? *Inde* potiſsimùm ariſtocratico ſtatui vires & robora aſſumis Quæ verò iſtá? quod non niſi conſenſu accedente Electorum comitia convocari ab Imperatore poſſit, electoribus verò, quoties uſus flagitat, reip. conventum inter ſe celebrare, liceat & de ſumma rei deliberare, idque Imperator

impedi-

impedire non queat, atq; inde major ariſtocraticię quàm monarchiæ poteſtas in Imperio florere videtur. Perpendite mecum, auditores, æquo judicio aqverſarii hæc monumenta, hæc mœnia, has foſſas, hæc tutamenta & propugnacula ſunt, quæ jactiret. Animadvertite, ut ipſe ſibi contraria loquatur. Si enim ut ipſe hoc præſupponit, monarchæ jus & poteſtas in eo maximè conſiſtit, quod comitia convocare poſſit, certè hoc uno argumento maximè noſter. mperator monarcha erit. Cõvocãdi enim comitia imperator poteſtatem & jus unicè habet. Ejus accitu, juſſu & mandato tum Electores, tum principes, tum reliqui omnes ordines coveniũt. At non libera eſt, inquis, comitiorum indictio? Nec enim niſi conſenſu Electorum accedente comitia indici poſſunt. Rectè illud, & quidem ſecundum Imperii legem, quæ legitimam comitiis imperialibus formam præbet. Quid verò poſtea? Ergo, inquis, cùm libere non poſſit comitia indicere, monarchicam poteſtatem non habet. Semper ad tyrannidis & dominationis fundamenta relaberis. Tyrannorum eſt ſine conſiliis, ſine deliberationibus ſi ne conſenſu conſiliariorũ omnia agere: Voluntatẽ pro lege libidinẽ pro jure ducere. Legitimi verò reges, imperatores & principes, agnoſcunt id ad beatitudinem regni & imperii, & ad ſuam gloriam

reduna-

redundare, quemadmodum Theodoſius & Valent. ad Senatum reſcripſerunt, ſi omnes ſuas actiones ordinari conſenſu & conſilio procerum ſuorum inſtituant. Nec enim conſiliariorum procerumq; regni conſilium & conſenſus, qui ſecundum legis publicæ præſcriptum, monarchicæ gubernationis modū adhibetur, quicquam poteſtati monarchicæ detrahit, cùm quicquid fiat, quicquid dicatur ab illis, fiat ab ipſo rege, ab imperatore, cujus conſiliari & proceres pars ſunt. Qua ratione perpendenda Electorum conſilio, perpendendum illud quod de conſenſu eorundem lex publica conſtituit: Electoris pars corporis imperatori ſunt, pars ſunt ipſius, ut ita dicam, imperii animæ. Quæ itaque illorum cōſilus fiunt, quæ conſenſu aguntur; redundant omnia ad ſolum Imperatorem, ejusque potentiam non imminuunt, ſed confirmant, non debilitant, ſed amplificant. Illud cùm intellexiſſent imperatores veteres, ſine ſenatus deliberatione, ſine conſenſu & conſilio procerum ſuorum haberi nihil ratum, nihil firmum in rerum tum privatarum tum publicarum cauſarum actionibus, legumq; novarum præſcriptionibus volebant. Qui certè ſi animadvertiſſent, auctoritatem apicemq; imperialis majeſtatis, monarchicæq; gubernationis poteſtatem vel minimum ad unguem ratione

iſta imminui aut impediri, nullo modo illud permiſſent. Perſarum reges omnium obſervantiſsimos regalis faſtigii monarchiceq; potentiam ad pompam uſq; & faſtum incredibilem fuiſſe accepimus, ſed nos minùs illi ex cõſilio & conſenſu ſeptem ſuorum Magorum ſummorumq; imperii procerum ore pendebant, qui profectó minimè illud admiſiſſent, ſi quod accedente cõſilio, accedente conſenſu primarum fiat, auctoritatem & poteſtatem monarchicam debiliorem redderet. Quid verò iſtud, quod de conventu electorum addis? Cur enim cùm ſenatores imperii ſint, ſenatum non inſtituant; legitimum collegium cùm ſint, cur jure collegii nõn coeant, conſilia & deliberationes tractent? quæ verò cauſa ſit conventus impediendi, qui ſecundum leges imperii, etiam ex ordinatione monarchæ proque reip. ſalute & commodo imperatoris celebrantur. Nec enim electorum deliberationes & conſilia aliorſum ire, aut aliud ſpectare præſumuntur, quàm tum imperii, tum imperatoris felicitaté, cui eò conſultius illud eſſe exiſtimatur, quò frequentiores deliberationis conventu electorio habeantur. Cætera verò, quæ de comitiorum conſultationibus prolata ſunt, ignorantiam conſtitutionis eorum manifeſtò produnt. Quàm ineptè ea adducuntur ad monarchiam refutandam, quæ

omni-

omnium maximè eandem ſtabiliũt & confirmant? *Ingrediamur* verò Comitiorum lucem quam Bodinus cùm nunquam ſpectarit, exauditu, ut fit, caliginem falſitatis plurimam cõtraxit. & ut cœcus de coloribus, de re ignota ineptiſſimè garrit, garrituq; ſuo alios in eundem errorem ſeducit. Quis in imperialibus comitiis (quod ſummum eſt, & verè monarchicum jus) proponit deliberationis capita? Imperator ſolus. Quis deliberationum ex tribus claſſibus ordinum collectarum rationes ſua auctoritate & nutu dirigit? *Imperator* ſolus. Quis in omnium ordinum ſupplicationibus, in petitionibus ſubjectiſſima voce & oratione imploratur? *Imperator*. Quis placita deliberationibus, conſiliisq; agitata concludit, quis concluſa confirmat, confirmata quis promulgat & edicit? *Imperator*. Vide an hæc non ſint ſumma *Imperatoris* monarchici *jura*? Nihil certè in univerſo illo Comitiorum *Imperialium* theatro auguſtiſſimo verſatur, nihil oculis, nihil auribus percipitur, quod non ad Imperatoris dignitatẽ & gloriã ad Imperatoris Majeſtatem, & potentiã monarchicã ſpectet. Ad eum deliberationes & cõſilia omnium ordiuum trutinanda & examinanda, probanda & confirmanda redeunt. *Ille* vim & robur omnibus ſanctionibus, legibus, ſcitis & placitis unus addit. Quod ſi etiam externi venerationis cultꝰ, ſi regalis purpurę honores

ſi obſequiorum exhibitio monarchicum ar- guere faſtigium poſſunt, quid eſt, quod in ſe- reniſsimorum electorum literis, principumq; humilibus ſubſcriptionibus imperatoriā mo- narchiam non apertè oſtendat? ſubjectiſsimos Imperat. Majeſt. ſcribunt & nuncupant ſeſe omnes: genu ſupplice culmen majeſtatis ac- cedunt omnes: ſubmiſſo animo omnes pur- puram Imperatoriam venerantur: ſervitia & officia, tum reges tum principes illuſtriſsimi humilia exhibent. Deum immortalem, incre- dibilis majeſtatis Imperatoriæ fulgor eſt in comitiis, qui ne verbis quidem declarari ullis ſatis poteſt. Inter omnes Olympi ſtellas, velu- ti ſolem eminere unum conſpicimus? Sic Ma- jeſtatis Imperatoriæ claritudinem in conven- tu regum & principū intuemur. Si enim Per- ſæ ſuæ monarchiæ illuſtrandæ, potentiæque regni oſtentandæ, externas iſtas pōpas & ſplen- dores adhibuerunt: cur non eadem ad mani- feſtum monarchiæ imperialis ſignum in Ger- manorum imperio producamus? At tu eam majeſtatem cum Vētorum Duce comparas? Bodini tui magiſtri frontem ſequeris. Quo ore contra ſolem loqueris? ſed nolim in eo, quod omnes indigū politicorū judicio arbi- trantur, orationis meæ curſum conſumere. Perſequamur Jura comitiorum reliqua quæ ſi probe intelligantur, monarchicam imperato-

ris no-

ris noſtri invictiſsimi ac clĕmentiſsimi majeſtatem oſtendent omnium, clariſſime: Quis enim Duces? quis Principes? quis Marchiones? quis Landgrafios? quis Comites? quis Barones? quis nobiles Imperii creat? Imperator ſolus: quis Academias conſtituit? Imperator ſolus quis quæ de tributis, de vectigalibus, de belli paciſq; rationibus conſultata ſunt, imperii omnibus membris promulgat, mandat, jubet? Imperator ſolus Athæc, an non omnium fortiſſima monarchici imperii argumenta ſunt? relinquo fiduciaria, regum, ducum & principūm obſequia: omitto feudorum & regalium, quæ à ſolo Imperatore pendent dignitates: Taceo omnes duces & principes Germaniæ, vaſallos & fiduciarios imperatoris Germanici ultrò & libenter ſeſe; profiteri; ab imperatore inveſtituram accipere, imperatori fidelitatem promittere. Taceo de regalibus imperii noſtri feudiis Imperatorem ſolum cognoſcere. Quid verò imperialem Cameram adducis? Illa ferè unica, ſi omnia alia averteris, monarchicā gubernationem docebit, at imperatoriæ majeſtatis radio, omnis auguſtiſſimi judicii auctoritas & lux reſplendet: majeſtatis Imperatoriæ vices, præſes ſūmus tribunalis repræſentat: Citationes Imperatoris nomine & mandato fiunt? ſententiæ Imperatoris nomine & auctoritate promul-

gan-

gantur ſcribuntur edicta, mandata omnia: ſanciuntur pœnæ omnes. An clariora monarchicæ gubernationis indicia eſſe poſſint? *Sed* eſto ſanè, concedamus plurima intercurrere quæ Ariſtocratiam ſapiant. Quid tùm? Nullus unquam ex omni ſeculo oſtendetur ſtatus, qui planè putus & ſyncerus, neq; myxtus aliqua parte cum alio fuerit. Mixtio autem iſta nomen & *jus* ſuum præponderanti ſtatui non adimit. Perſica monarchia, quàm multa ex ariſtocratica ſpecie videbatur in ſeſe continere? quàm multa Romanorum, Auguſti, Tiberii ejusq; ſucceſſorum Imperium? quanta in illa Magorum ſeptem auctoritas? in hoc quanta ſenatus? *Mo*narchiæ nihilominus utraque dicebantur. Multò verò minus luminibus monarchiæ obſtruit, electoribꝰ, ducibus, ac principibus feudorum jure & ratione conceſſa ſublimis territorii juriſdictio, conceſſa jura & regalia. Hæc enim quæ illi veluti ſtellæ & lampades imperii, à ſole ſuo monarchicæ potentiæ habent, ad ſplendorem *Imperii*, veluti eò fontem omnia recurrunt, nec imminuunt, ſed augent monarchicam dignitatem. Siquidem eò major & potentior, eò illuſtrior quis meritò habetur, quo majoribus & illuſtrioribus præeſt, quemadmodum *Iuſtinianus* de ſua monarchia Novell 15. gloriatur. Quid ſenſiſſe itidem Carolum V. de *Imperio* Germanico

manico accepimus, cùm ſeſe in eo regibus præ-
eſſe, regibus imperitare jactaret. Jura ſumma, præfectus prætorio omnibus aliis illuſtrior, in monarchia veteri tenebat, à quo neq; provocationis abitus patebat. At illa præfecti tanta poteſtas Auguſtorum potentiam & dignitatem, cui inſerviebat, auguſtiorem efficiebat. Quis verò tam hebetis judicii, tam obeſi ſenſus, ut idem in electorum, nedum in principum poteſtate & juriſdictione non intelligat, non perſpiciat? Aut quis, niſi Galli affectu ſeductus, Imperii Germanici formam ariſtocraticam unquam nominavit? Quid verò Philippum, præceptorem Germaniæ, in erroris tui caſtra abductam nobis expetis? Illóne unquã ariſtocraticam eſſe gubernationem Imperii ſcripſit? Legantur viri doctiſſimi prudentiſſima ſcripta, evolvantur omnes libelli. Nihil in eam ſententiam invenies. Temperatam eſſe monarchiam Ariſtocraticis rationibus ſcripſit, ariſtocraticum ſtatum eſſe nunquam cenſuit. Sed Alberti electoris Moguntini oratio pro mille, inquis, teſtibus; Quis verò verbum electoris ex arcano ſenatu, è quo ſententiam eliminare maximum nefas, & religione juramenti prohibitum, protulit? Sleidanus? Illéne Septemvirorum concilio interfuit? Ille audivit verbum illud, quod retulit? Quid ſi more hiſtoricorum, oratio illa omnis ingenio ſcriptoris excogitata? ſi verba ficta? Quis enim,

non eandem ob cauſam meritò ridet Jovium in illis ſermonibus, quos ſcribit. l. 3. hiſt. inter Selymum Turcarum imperatorem & Hebraymum Baſſam omnibus remotis arbitris arcaniſſimo conſilio habitos, quos ille, velut interfuerit, longiſſimo verborum anfractu recenſet. Quis Jovii figmentum in hiſtoriis agnoſcit? qui ea auſus referre, quorum ne quidem nepa in pariete latitans, teſtis eſſe potuit. Atque idipſum electorem Albertum, cùm illam Septemvirorum conſultationem, oratione Philippi expreſſam, & à Sabino dedicatam ſibi vidiſſet, cum ſententiam ſuam ipſe perlegiſſet, haud obſcure innuiſſe ferunt, cum Rhetoris eſſe illa non ſua verba, oratoris eſſe locutionem, non ſuam, ingenuè fateretur, quemadmodum Chytræus autor graviſſimus illud commemoravit. Sed cùm leviora ejus generis alia ſint, quæ de Bodini aliorumq; ſcriptis gratia & privilegio Imperatorio munitis, allata in medium ſunt, libens illa prætereo: Majoris enim momenti nobis auctoritas graviſſimorum aliorum tum hiſtoricorum tum JureConſultorum politicorumq; eſt, qui monarchiam imperii hodierni nobiſcum aſſerunt quàm ut illis aliorum externorum judiciis locum concedamus. Majoris hujus illuſtris Academiæ ſententia, quam à clariſſimis ſuis doctoribꝰ accepit, quàm à te, ampliſſi-

me, Procancellariæ, anteceſſor primarie. præceptor ac patrone multis nominibus perpetuò honorande, ex hoc ipſo ſuggeſtu declaratam ſæpius audivimus. qnam à te, clariſſimè Kirchnere, in hiſtoricis tuis ſcholis confirmatam multoties percepimus, & quam hoc ipſo momento, dum hæc coram vobis peroramus, conſtantiſsimo ſuffragio approbari ab omnibus & ſingulis animadvertimus. Quid verò, patres Academici ſpectatiſſimi, tuq; nobiliſſima & ornatiſſima ſtudiorum corona, veſtras aures longioribus verborum anfractıb9 oppleam? Rem ipſi probè intelligitis: Definitionum errores animadvertitis: quo affectu cōtra imperium Bodinus ſcripſerit, cognoſcitis: Monarchiam regni & imperii longè aliam, quàm dominatus & tyrannidis eſſe percipitis: quæ comitiorum, quæ conſiliorum, quæ delibrrationum ratio, quæ jura ſint, audiviſtis; quàm facilè, tanquam aranearum telæ adverſariorum tela repulſa, teſtimonia refutata ſint, àccepiſtis. Video vòs æquiſſimos rei graviſſimæ jndices eſſe, & ipſo vultu atque nutu meæ huic ſententiæ ſuffragari. Faxit immortalis monarcha, & regum omnium imperator Deus, in cujus manu & arbitrio omnium poteſtatum fata verſantur, qui pectora & conſilia regnantiū liberrimo gubernaculo, quocunq; libet, flectit: faxit ille, inquam, ut ſupremus

mus Germanorum Imperatorum ſtatus contra omnes externorum tyrannorum inſultus feliciſſimè illibatus perſiſtat, utq; non ſolùm externa vaſtiſſimi Imperii magnitudine, verùm etiam interna altitudine prædominantis faſtigii ad extremam uſq; mundi fabulam, ferreo, & adamantino clavo domeſticæ pacis & concordiæ atque tranquillitatis conglutinata Romana hæc Monarchia feliciſſimè floreſcat.

ORATIO XVII.

Recitata ab

HENRICO DE STANGE SILESIO.

Germaniæ perluſtrationem, omnibus aliis peregrinationibus eſſe præferendam.

SI quæ ad rerum communium, cognitionem, & ad recti judicii informationem, ſi quæ ad civilis vitæ prudentiam, atque ad optimorum conſiliorum perſpicientiam pertinere plurimum videntur, ea juventuti, quæ evehenda aliquando ad publicæ adminiſtrationis clavum fuerit ſtudioſiſſimè commendande, diligentiſſimeq; prædicanda ſunt: Profectò non eſt, quod dubitem, quin laudatiſſima conſuetudo peregrinandi ac ſtudium exterarum gentium, nationumq;

mores, civitatum inſtituta, & rerumpublicarum formas pernoſcendi, ſit tum fructuoſiſsimum exiſtimandum longeq; jucundiſsimum cenſendum, tũ verò remis omnib9 velisq; adjuvandum, & omnium maximè adoleſcentiæ neceſſarium ſtatuendum. Quemadmodum de hac ſententia egregium Apollonii dictum apud veteres paſsim extat, juvenẽ haud aliter, ac ſi domo careat, careat lare ac patria, peregrinari oportere. Quem quidẽ peregrinãdi morem ſie ab ulla gente unquam frequentatũ & excultum accepimus, à noſtræ certæ Germaniæ hominibus hodierno die celebratiſsimũ haberi, ex uſitatiſsima Principum, illuſtriumq; virorum, & propè quotidiana nobilium, ac ingenuorum adoleſcentum in remotiſsimas regiones excurrendi contẽtione, clariſsime tanquã in ſole meridiano cognoſcitur. Nam nemo ferè in aulica vita, nemo in politica converſatione, in civili ſocietate nemo, alicujus nominis & exiſtimationis reperitur, qui non mores & linguas exterarum gentium regnorumq; conditiones, ac ſtatuta varia ipſe foris viderit, non ipſe didicerit, non ipſe tum Angliam, tum Italiam, tum Galliam, tum Hiſpaniã oculis pedibusq; uſurparit, qui nõ ipſe quicquid memorabile in remotis nationibus, quicquid viſu ubivis locorum dignum ſit, perluſtraverit. Ut autẽ hanc ex Germania Germanorum exſpatiandi, atq; ultra alpes & maria

excurrendi conſuetudinē nō vehementer nō probādam eſſe nemo ambigit, præſertim ſi juſtum laudabilemq; peregrinationis finem peregrinantes ſibi præfixum habeant, ita viciſſim, quis nō omni jure improbandum eſſe dixerit, noſtratium illum admodum præpoſterum ordinem, quem peregrinationū ſuarum curriculis adhibeāt? Pleriq; enim tum Rhodano, tum Sequana, tum Tyberi, tum Pado diligentiſsimè perveſtigatis, Romanorumq; non modò veterum theatris ruinoſis, ruderibusq; domorum curioſiſsimè indagatis, verùm etiā omnibus luſtris, omnibus ganeis & fornicib9 Italię perreptatis? Germaniæ patriæ ſuæ pulcherrimas civitates elegantiſsima oppida, optimè inſtitutas reſp. adeò incognitas præterierunt, ut ne nominare quidē præcipua Germaniæ ornamenta poſsint. Quod profectò patrię amantiſsimo cive non modò indignum, ſed etiam ſingularis negligentię genus eſt; lōgeq; turpiſsimum homini Germano, Germaniam in qua natus, in qua educatus, in qua omnes opes, omnes futurás ſuas conſtitutas habeat, pro qua ſi opus ſit, vitam & ſanguinem profundere dubitare non debeat, non cognoviſſe, non vidiſſe, non exploraſſe. Quid enim? an nō mecū, commilitones, omnes in hāc ſententiā ire cogimini, nulli9 gētis tā neceſſariā eſſe cognitionē, quā nationis proprię ac ejuſdē

morum inquiſitionem, illiusq; Reip. cujus pars & membrum quiſq; ſumus, perſpectionem. Ridentur in fabulis monſtri quoddam genus Lamiæ, quod domi, oculis captę, nihil rerum ſuarum videant, niſi proſpiciant, nihil conſiderent, at forâs cum egreſſę fuerint, omnium maximè oculatæ, & curioſæ habeantur. *Sic* abeuntium in Italiam, in Galliam, & neſcio quo non excurrentium hominum noſtratium oculus eſſe ridiculos, quis non arbitratur? dũ longiſsimis, ad remotiſsimos populos, itineribus ſuſceptis, rebus omnibus apud eoſdẽ anxiè conquiſitis, quæ domi ſint præcipua, ignorent, quæ intra, patriæ parietes continebantur, neſciant, ac omninò hoſpites & peregrini in natali domicilio habeantur? Quid verò adhhæc? nihil eſſe domi dicis, quod viſu, quod cognitu, quod ſcitu dignum, cujus cauſa ſuſcipi poſsit profectio. De hac re in hoc oratorio campo, tecum, patriæ hoſpes, contendã, clariſsimis rationibus adductis, omnium aliarum nationum perluſtrationibus Germaniæ peregrinationem eſſe præclariorem omnibus jure ac meritò præferendã. Vos quæſo, percipite ea auribus benigniſsimis, & me patriæ communis ornamenta delibantem, ſolito favore & benevolentia, per patria obſecro & obteſtor, ſublevate. Ut igitur inde mea proficiſcatur oratio: libet interrogare

pria

primùm, quota peregrinantium pars ſit, qui profectionem cùm ſuſcipiant, peregrinationem rectè intelligant, cùm nihil aliud inſulsè eam pleriq; opinentur eſſe, quàm circumcurſitationem quandam, & inanem variorum locorum contemplationem, ex oris alliis in alias transmigrationem, quorum pedes duntaxat ex loco in locum moventur, oculi ex campo alio in alium transferuntur, de quibus vulgare illud Poetæ rectiſſimè uſurpaveris:

Cœlũ nõ animũ mutãt, qui trans mare currũt.

At nos contra illum regna peregrina viſere, & rectè peregrinari omnium doctorum calculo, hiſtoricorum ſuffragio, politicorum ſenſu dixerimus, qui quocunque iter ſuum inſtituit, ad ampliſſimum ingenii fructum, ad ſtudiorũ emolumentum, vitæq; dexteritatem contendit, qui plus animo quàm corpore movetur, qui quod alii domi volutatione librorum laborioſiſſimè, ſtudioque maximo, idem peregrinationis ſtadio conſequitur. Vultis, auditores lectiſſimi, vobis clarius eloquar? Peregrinatio prudentiam excitet, fortitudinem acquirat, acquiſitam confirmet, ad mores informandos plurimum lucis adferat, ex barbaris humanos efficiat, fatuum ſui amoré eradicet, ad labores tolerandos, pericula adeunda, maſculoq; animo preferẽda cõducat, & ad ſolidã

rerum omnium doctrinam, viam compendiariam monſtret; quid multis? uberrima ſi omnis vitæ inſtitutio peregrinatio eſſe hiſtoriæ docent. Solonem in Aſiam, Platonem in Ægyptum, Pythagoram in Italiam, Romanos Maſſiliam, Mithridatem in Cappadociam, aliosque alias longiſſimas peregrinationes hac ratione ſuſcepiſſe accepimus, ut leges, & inſtituta Reip. ſuæ ex diverſis variarum gentium placitis, quæ optima eſſent, colligerent, collecta ad uſum patriæ transferrent, ut quæcunque apud alios egregia eſſent, perciperēt, percepta domū ſuam referrent, domi ſuis rurſū eadem præciperent. Eo igitur animo, & inſtituto, ſi peregrinandi voluntatem ſuſceperis, quorſum abis? quò tendis? quorſum cum hirundine, nido relicto, migras? An non quoad rerum illarum omniū ubertatem & utilitatē, poſt ſe nationes omnes longo intervallo relinquit Germania? quæ ut regina omnium aliarum provinciarum, omnium regnorum aliqua, omnium nationum mater: nónne itidem omnia ea, quæ tam ad felicem Reipub. inſtitutionem? quam ad motum probitatem, ad religionis, & pietatis cultum, ad ingenii ornatum, ſermonisq; elegantiam facere poſſunt, largiſſimè tibi cōmodare poterit? Quid enim ſi rerump. formas, ſi monarchiæ gubernatio-

nem

nem cognoſcere, ſi ariſtocraticam rationem perſpicere, ſi popularem ſtatum intelligere expetis, ubi melius & exactius hæc quàm in Germania, tanquã in compendio orbis reperies? Ite mecum, auditores humaniſſimi, & noſtræ Germaniæ ampliſſimas reſp. & civitates conſiderate: quid quæſo deſiderabitis in auguſtiſſima illa Argentoratenſi, in copioſiſſima Noribergenſi, in elegantiſſima Auguſtana, in ſpatioſiſſima Colonia, in venuſtiſſima Lubecenſi, in Uratislavienſi laudatiſſima, ubi ipſa æquitas, teſte Scaligero in encomiis urbiũ, regnat, omnis iniquitas exulat, juſtitia gubernat, injuſtitiæ nullus locus eſt, boni præmiis excitantur, pœnis mali revocantur. Si omnium, qui excogitari potuit ſtatum imperii feliciſſimum, Imperatoris ſacratiſſimi, Electorum potentiſſimorum, Principum illuſtriſſimorum, Comitum, Baronum, Nobilium, & ordum aliorũ admirabili quodam vinculo colligatum intueri geſtias, nuſquam niſi in Germania, in Germania, ejuſmodi conſpicies: In ea veteris imperii Perſici veſtigia, & quandam expreſſam imaginem intueberis: in ea Græcorum potẽtiam ac libertatem: in ea veterum Romanorum poſſeſsionem perluſtrabis. Vis cũ Cynea Pyrrhi regis oratore, ſenatum imperii, in quo omnes reges, omnes Pyrrhi veteris ſimiles intueri, nuſquam terrarũ, niſi in Germania eum

conſpicies. Vis conſilia de graviſſimis totius terrarum orbis monumentis audire? nuſquā niſi in Germaniæ comitiis audies: vis ſummi imperii duces Alexandreis ſucceſſoribus potentiores? nuſquam niſi in Germania videbis: vis celebratiſſimum toto imperio forū, juſtitiæ veteris Romanæ officinam, & quaſi Amphyctionum antiquorum conſeſſum? nuſquā niſi in Germania contemplaberis. Deum immortalem! hujus ſedis auguſtiſſimæ luſtrandę gratia, ſi revocari in lucem poſſint vetuſtiſſimi illi juris vertices, ſi Papinianus, ſi Paulus, ſi Ulpianus, ſi Pomponius, ſi Cajus, ſi Julianus, omnesque legū antiſtes ex cinere reverti, crediderim in mediam Germaniam ex Elyſiis cāpis profecturos, Profecturam cum iiſdem, è cœlo ipſam Aſtræam, & domicilium ibidem dixerim inter homines locaturam. Quid verò de reliquis peregrinationis fructibus dicam? Ubi artes omnes ingenuas felicius conſequeris, ubi ſtudioſius, quàm in Germania, quæ Ægyptios veteres Geometriæ ſtudio, Hebræos religione, Chaldæos numero, Græcos artibus omnibus, Romanos diſciplina, opificiorum varietate, conſtantia alias gentes & fortitudine omnes ſuperavit, quod etiam exteri, ut maximè invidi ſint, nolentes volentes fateri coguntur? *Scripſit* hoc, veritate extorquente verbum, Bodinus, ſcripſit, & exclamavit de

Germa-

Germanis, Germanicæ, laudis parciſſimꝰ Gallus, è regno Galliæ Nec aliter ſcribere quivis alius poterit. Aſpiciant tot per Germaniam Athenas doctiſſimas, tot Academias illuſtres, Viennenſem in Auſtria, Heidelbergenſem in Palatinatu, Colonienſem ad Rhenũ, Pragenſem in Bohemia, Erphordenſem & Jeaenſem in Thuringia, Lipſenſem, Roſtochienſem, Lovanienſem, Friburgenſem, Ingolſtadianã, Baſilienſem, Gribsvvaldenſem, Tubingenſem, Moguntienſem, Wittebegenſem, Francofurtenſem, Regiomontanam, Juliam Brunſvicenſium, Argentinenſem, Altorphinam. Intueantur hanc noſtram Muſarum omniũ ſedem inclytam, quæ eam feliciſſimi genii, ac naturæ exiſtimationem apud omnes exteros ab incunabulis primis aluit, ut quod Ammianus de Alexandrina Academia ſcriptum reliquit, eã neminem unquam non doctiſsimum à ſe dimiſiſſe, ita ex hac illuſtri Academia in totũ terrarum orbem regibus, Principibus, ipſique Cæſari auguſtiſsimo conſiliarii, omnibus Rebuspublicis & Eccleſiis, omnibus ſcholis, gubernatores, & doct. emanarint. quid de rel. quis noſtræ conſimilibus illas dicã? ad quas equidẽ non dubitarem, ſi hac frui illis denuò vitæ uſura contingeret, omnes Græcorũ ſapientes, omnes Romanorũ prudẽtes, omnes oratores

peregrinaturos in Germaniam eſſe. Nullibi ſanè in veneris tot Archimedes, tot Vitruvios, tot Naſicas, tot Cicerones, tot Flaccos, tot Virgilios, tot Scævolas, tot Papinianos, quàm in Germania. Quod etiā Argyrophylus Græcorum doctiſsimus, Romæ in Pontificis aula confeſſus eſt, cùm velut attonitꝰ exclamaret: Omnes Gratas omnes artes, & litera trans Alpes in Germaniam evolaſſe. At dies me deficeret, ſi indicem clariſsimorum ingeniorum inſtituere vellem, vel hæc unica provincia Haſſia, atque adeò hæc, in qua verſamur, Academia, quot & quanta & lumina cū admiranda illa Græcorum, & Romanorun antiquitate conferenda ſuppeditat? Hîc tibi Cajos, hîc Lælios, hîc Mutios, hîc Galenes, hîc Platones, hîc Socrates, hîc Tullios, hîc Marones, hîc, quod omnium exoptatiſsimum eſt, Chryſoſtomos, hîc Epiphanios, hîc Athanaſios digito demonſtrare poſſem. Ibis diſciplinam militarem cognitum? Ubi, quæſo, Martis ſcholam invenies, niſi inter Germanos, inter quos etiam Matrem habitaſſe, olim creditum eſt, eamq; ob cauſam, ipſa re, & nomine Alexander Magnus, Germanos non eſſe unquam laceſſendos ſapientiſsimè cēſuit. C. Caligula autem, ac Auguſtus ita illos metuêre, ut eorum adventu in Italiam audito, ſalutem ſuā in dubiū vocarint, uterq; verò trans mare fugerint.

gerint. Quid verò de Germanorũ Marte glorioſius dici poteſt? quid prædicare magnificentius? Gothos noſtros Hiſpaniam olim invadentes, nemo armis revocavit, *Saxones* Britanniam intercipientes, nemo expulit, Vãdalos Africam ſibi ſubjicientes, nemo prohibuit, Franciis Galliam occupantibus, nemo obſtitit, Oſtrogothos Italiam ſuperantes, nemo repreſsit. Incredibile bellicæ virtutis robur! militares artes omnibus gentibus admirandæ, quibus Germania cunctis ætatibus antecelluit, omnibusq; nationibus palmam, ipſis Romanis, reliquorum populorum victoribus, imperium laudemq; victoriæ præripuit. Martis itaque officina jure dicenda Germania? quæ omnibus bellis, quæ unquam geſta à *Xerxis* huc uſque expeditione in omnibus terrarum partibus, fortiſsimos duces, exercitatiſsimos milites copiasque ſuppeditavit. Quod enim unquam majorum memoria prælium, quæ acies, quæ caſtra ſine Germanis? Quod mare tam diſsitum, quod ſolum tam remotũ, cui frameæ ac bipennes Germanorũ hodie incognitę? Quid illa, quę in Belgio bella hodie gerũtur, quę in Ungaria adminiſtrãtur, nõnè Germanorũ fiunt ductu, Germanorum induſtria perficiuntur? Quid potentiſsimum Orientis Tyrannum, qui ferro atq; flamma, univerſũ orbem, & urbem perdere ſũmo ſtudio mo-

dio molitur, nonnè in eas anguſtias Martis Germanici arma redegere, ut ſupplex pacem coactus petere, petitā difficilimè obtinuerit? quid quòd nullibi fortiores munitiones, nullibi majora propugnacula, nullibi robuſtiores civitates, quàm in Germania videre liceat? nullibi majorem tormentorum, machinarum, inſtrumentorumq; bellicorum apparatum, quàm in Germania? Nominarem vobis ducum & principum potentiſsimorum atque rerumpubl. præcipua per Germaniam munimenta, caſtella præſidia, armamentaria, quorum partem ipſe oculis, partem auribus cognitam ac exploratam habeo. Oſtenderem Viennam inuictiſsimum Chriſtiani orbis propugnaculum, irrito toties crudeliſsimi hoſtis molimine, maximoque conatu petitam? mōſtrarem incredibilis potentiæ ac fortitudinis Dreſdam: appellarem Cuſtrinū muniti ſsimam ſedem Brennii: dicerem validiſsima mœnia ac aggeres Pharthenopolis: muros & altiſsimas pinnas ac turres Argentinæ: dicerem arces ac robur Noricum: amplitudinem Agrippinæ nervos Ulmæ: vim auctoritatem Auguſtæ; dicerem de hac antiquiſsima Cattorum fortiſsimorum provincia, quæ invictiſsimis munimentis, ad admirationem omnium exterorum oculorum, & aurium, firmatiſsima? dicerem de compluribus Germaniæ aliis muni-
tionibus

tionibus robuſtiſſimis, quarum numeris Thebanorum portas exſuperat, niſi apud eos hoc loco mihi ſermo eſſet, qui patriam Germaniã me ipſo exactis cogitã habent. Præterea virtutis equeſtris exercitia, haſtarũ ludos & certamina, in tot potentiſſimorũ principũ aulis, frequentiſsima, omitto eorundem mores diſciplinã graviſsimam taceo, quæ plurimũ militaris virtutis ſcientiã confirmant. I verò nunc, & alibi terrarum majorem rei bellicæ percipiendæ oportunitatẽ quære. Sed major, inquis, ex Italicis & Gallicis peregrinationibus voluptas petitur? Quomodo? Non enim video, nõ in Germania delectet magnificentia palatiorum; tot regiorum ædificiorum ſplendores, architecturæ artificioſiſsimæ? quas olim etiã Æneas Sylvius, homo Italus, Pontificũque literatiſsimus, cùm in Germania verſaretur, ſe nunquã ſatis admirari potuiſſe confirmavit? Circumferuntur fictæ & pictæ delitiæ Italiæ, ſed quid iſtæ quæſo cum hiſce noſtris voluptatibus ac commodis conferri poſſunt: illæ non niſi externis oculis & voluptati corporis ſe præbent: hæ verò animi jucunditatẽ cũ ſũma utilitate conjunctã habent. Quid autẽ Italia? quid Gallia? quid Anglia? quid Hiſpania tibi oſtendere poterit, quod Germania non habeat? Delectaris amœnitate agro-

rum, fertilitate arborum, ubertate vinearum? non opus quidem eſt, ut in Campaniam ob id excurras, aut Florentinos hortos inviſas, aut Cardinalium viridaria, & Paradiſos celebres ſpectatum ultra Alpes abeas, Germania longè cultiores tum hortos, tùm agros, non modò ſereniſſimorum principum, ac nobiliſſimorū virorum: verùm etiam opulentiſſimorum civium Norembergæ, Auguſtę, alibique tibi dabit. Amas magnificentiam tectorum? amœnitatem urbium? elegantiam domorum? nitorem baſilicarum? ſplendorem palatiorum? Audias quæſo, ante 200. annos Sylvium, de modò adducta Germaniæ ſtella Norica. Quæ hominis Itali, exclamatio? quæ admiratio? *Quanam facies*, (inquit,) *hujus urbis, qui ſplendor, qua amœnitas, qua delitia, qui cultus, qua forma regiminis? quid in illa, qua ad civitatem omni ex parte profectā pertineant, deſiderare quiſpiam poterit? qua urbis ejuſdem majeſtas, quod decus? qui nitor platearum, qua domorum munditia? Quid S. Sebaldi templo magnificentius, quid ſplendidius divi Laurentii delubro? Quid arce regia vel ſuperbius, vel minutius, quid foſſas, quid mœnibus illuſtrius? Quod tibi civium ades invenias, regibus dignas? Cuperent profectò tam egregiò Scotorum reges, quàm mediocres Nurimberga cives habitare.*

Atque

Atq; hæc & plura teſtis exter9 de illa Franconiæ corona. Vultis de aliis eundem audire præconem, quo quidem vix ex omnibus nationibus major haberi poterit? Vormatiam idem perhibet eſſe emœniſsimã: Coloniā nihil magnificentius, nihil ornatius tota Europa reperiri: Moguntiã & vetuſtate & privatorum ac publicorũ ædificorũ cultu? Spirã populo plenã & magnificis ædibus exornatã: Argẽtinã tanto ſplendore, tanto nitore eſſe, ut non abs re ei illud nomen inditũ fuerit: eandẽ ad Venetiarum ſimilitudinem quandam accedere, multiplicibus canalibus diviſam, eoque limpidis & perſpicuis aquis ſalubriorem & amœniorem eſſe, quo ille ſalſis & graveolentibus lacunis exiſtant putriores. Idem Francofurtum ad Mœnum palatiis multis pulcherrimũ, dignumque regibus hoſpitium prædicat: Lubecam in inferiore Germania altiſsimis ædibus templisque ornatiſsimis excellentem: iis opibus, ea potentia atque auctoritate valere, ut ad ejus nutum tria maxima regna, Daniæ, Suetiæ, Norvegiæ, vel admittere, vel excludere reges conſueverint. Idem Parthenopolin magnam & inſignem: Erfordiam maximam & famoſiſsimam, populo & opibus refertam: Viennam omnium præclariſsimam iteſtatur: unã ejuſdem ad divi Stephani turrim,

judicio legatorum ipſorum Boſnenſium, pluris quàm univerſum Boſuæ regnum, æſtimatā. *Idem* in Bojaria vix oppidum ullum reperiendum ait, cujus mundities non magnoperè admiranda. Idem *Ratisbonam* delubro & ponte memorabilem; pulchram & peramœnam Paſſaviam. Auguſtam denique vereauguſtam celebrat, unamque urbem Vindelicam, univerſum nationis orbem ab omni contemptu vindicare, nec facilè reperiri aliam, quæ & nitore & cultu & copia, & reipub. forma hoc caput urbium ſuperare poſsit. Digniſsimum profectò memoria perpetua Itali hominis de Germania noſtra judicium! At nos ipſi nobis non ſine ſingulari turpitudine diſplicere videmur, qui, domeſtica cùm habeamus ea omnia, quæ peregrinationum curſu quæruntur, pulcherrima, cæco quodam amore externis inhiamus. Similes ſcilicet illis eſſe volumus, qui præpoſteræ libidinis æſtu, cùm in legitima copula formoſiſsimas ſuas Penelopes habeant, ad alienas tamen fœminas, ſtabulumq; & fornicem turpiſsimum ſolentes Circes, animum ſuum conferunt. Quod verò iſtud rerū domeſticarum faſtidium? quæ nauſea? Egrediamur è mænibus noſtris in agros; è tectis ad littora & fluvios noſtros exeamus: Quid hîc? Perluſtremus pauliſper Rheni noſtri vineas, abundantiam & copiam earum conſideremus.

Necca-

Neccarum & Mœnum noſtrum adeamus? utriuſq; ubertatem, ſummamq; jucunditatem oculis noſtris ſubjiciamus. *I*ſtrum noſtrum, fluminum amœniſsimum accedamus. Conferamus cum his Germaniæ delitiis Sequanam, Rhodanum, Ararim: Conferamus *T*iberim, Padum, Mincium: conferamus Hadriam? Quid verò habent, quod cum noſtris certare poſsit? Quid nemoria, & ſylvas commemorem, in quibus ipſa natura habitandi voluptatem capit? ubi eas gentium invenies, tum fructuoſiores, tum omni voluptate & jucunditate pleniores, quàm in Germania? Venationum voluptatem, quàm omnibus vitæ aliis recreationib9 multi præferunt, ad ſatietatem in Germania percipere poteris. Teneris maris adſpectu? aut Eriporũ æſtu luſtrando, navigiis maximis conſcendendis, navigationib9 exercendis voluptatem quæris? Germaniæ inferioris oppida maritima, omniumque elegantiſsima emporia accedes. Expetis variarũ nationum cultus, habitus, & linguas cognoſcere: in portubus Hammonis, Balticarumq; civitatum, illa tibi tũ Ruſſos, tũ *I*talos, tum Gallos, tũ Anglios, tũ Hiſpanos, tũ Polonos, tum Danos, tum *S*uecos, tum ultimos, Luſitanos oſtende. Adde tot cupri, tot ferri, tot argenti, aurique fodinas in Germania abundãtiſsimas, in Bohemia, quæ & ipſa pars imperii

Germanici eſt, in Miſnia, in Moravia, in Saxonia, in Sileſia; quarum cognoſcendarum ſtudio ex ultimis orbis oris quis non trahatur? Ex inferis ſat ſcio, Cornelius *Tacitus*, ſi fata permittant, in Germaniam remearet, ut intueri iſta omnia, novisque ſcriptis illuſtrare poſſet. Nolis præterire ſaluberrimas jucũdiſsimasque Germaniæ thermas, in quas cùm Poggius Florentinus incidiſſet, in novum ſeſe Paradiſum veniſſe opinatus eſt, ut nihil toto terrarum orbe amœnius, nihil ſuavius reperiri poſſe, quàm Budenſes thermas ſcripſerit: illic Gratiam ſedem: illic amoris ſinum; illic voluptatis theatrum verſari confeſſus. Oble-ctatis ingenioſiſsimi fabricis, ac inventis? Nuſquam gentium ingenioſiores machinas, artificiaque excellentiora, quàm in Germania inveneris. Quod omnes exteri nobis concedere coguntur, ut etiam ingenium in manu Germanos habere dicant. Ingenio Germanorum inventa Typographia eſt, artificiorum omnium, quæ unquam fuerunt, ut utiliſsimum, ita ingenioſiſsimum inventum, ut non tam mortalibus, quàm immortali Deo aſſcribendum videatur, quod vel Poetæ teſtimonio manifeſtiſsimũ evadit, qui ita canit:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetuſtas,
Libros ſcribere, quæ doces, premendo!

Quid

Quid verò alia Germanorum inventa prædi-cem? Nominem vobis bombardas? Inventæ atſi ad hominum exitium, tamen propter ſpe-cioſiſsimum ſtudium inventionis meritò præ-dicantur. Horologiorũ artificia Caroli Ma-gni temporibus, in Germaniam; legationis Perſicæ munificentia illata dicuntur, miracu-lorum ætatis, quæ noſtro populo fuerunt, nũc è Germanorum manibus, ac ingeniis omnis Oriens accepta, ipſaq; donatrix Perſia, admi-ratur, quemadmodum Augerius illud nobis confirmavit. At plura inquis, Italia vetera monumenta, plures antiquitatum imagines monſtrabit: Dicas verò, cupio equidẽ audire, antiquorũ theatrorũ rudera, collapſas veterũ columnas, & cãpos, ubi Troja fuit, ut Maro canit. Sed, Deũ immortal, multò plures an-tiquiorũ rerũ reliquias exhibebit itidẽ Ger-mania, quæ mille ãpliùs annis, ante Romã cõ-ditã regnũ florentiſsimũ, & urbibus, & vicis fuit. Quid enim Italia coævũ Germanorũ Tre-viri oſtendere poteſt? ſi antiqua rudera, & cę-menta reſpicis: veteres lapides ibidem ab an-tiquiſsimi Nini Babylonici temporibus, bice ac bitumine exſtructorũ mutuorũ veriſsima ſigna ſe offerunt: ſi veterũ Quiritũ oppida, & ædificia contẽplari libet, Coloniã Agrip-pinã, Auguſtã Vindelicorũ, aliaq; antiquiſsi-

na perluſtres: ſi cippos, & ſtatuas, Druſi monumentũ, cujus veteres hiſtorici toties mentionẽ fecerunt; prope Moguntinam in Rheni colle habes? Nihil certè in Italicis antiquitatibus, quod Germanicæ vetuſtati præferendũ. Plusnè te Cannarũ aſpectus, plus Trebiæ & Thraſimeni Hannibalis victoriis, & cædibus illuſtrati intuitus, quàm Rhenus & Iſter noſter, qui trecentos annos Romanorum impetus ſuſtinuerunt, reficiat? Plus voluptatis adferant veteris illa Italiæ loca, ubi quõdam Volſci, Vejentes, Sabini, Hetruſci ſedem habuerunt; quàm illa, ubi veteres tot regnorum everſores, ipſiusque Italiæ domitores, victoresque Germaniæ populi, Gothi, Longobardi, Catti, Suevi, Sicãbri, Bructeri, Angrivarii, Bavari, Treviri, Nervii, Nemetes, Triboci, Vangiones, Ubii, Friſii, Cimbri, Franci, innumeræque aliæ glorioſiſsimæ gentes habitarunt? Plusnè Scipionis, Metelli, & Julii Cæſaris memoria, quàm fortiſsimi Arioviſti, bellicoſiſsimi Harminii, invictiſsimi Caroli, pugnaciſsimi Rolandi, glorioſsimi Henrici, aliorumque Heroum ſtatuæ delectent? Quid mortuus verò in ſpectaculum revoco? quid defunctos cõpello? ut omnia alia viſu digna, & auditu deſinit? Hoſpitalitas Germanorũ omniũ rerũ pulcherrima virtus, cujus à majoribus acceptã laudẽ tuentur, quem ad peregrinandũ

nandum in Germaniam non excitaret, non pelliceret, non traheret? Quod quidem clariſſimos veterum Romanorum Plinium, Tacitum, Julium, Auguſtum. Tiberium, qui ſe noviès in Germaniam profectum ex *Italia* eſſe gloriatur, alioſq; innumerabiles, feciſſe memoriæ proditum eſt, At tum veteris Germaniæ quæ ſolitudo, quàm informis facies, quæ aſperitas, ut, ut ſi hodierna conferatur, ex plumbea & lignea, aurea & marmorea facta eſſe videatur, quemadmodum illud teſtatum reliquit Sylvius, quem imperii ac nationis ſplendor ita præſtrinxit, ut ad ſuæ gentis homines hæc ſcripſerit: *hoc agamus*, inquit, *ut potius Germani. quàm Itali nuncupemur, etſi parum poſſimus, ſtudia tamen noſtra eò dirigamus, ut inclytæ nationi ſemper à nobis mos geratur.* Adde Germanorum fidem ac integritatem, adde tutiſsimum peregrinationis domicilium. *Italia* mille inſidiis, mille periculis pleniſsima: Pleniſſima Hiſpania, de quibus uſurpare vetiſſimum illud poſſis:

Luctus, ubiq; pavorq; & plurima mortis imago;

Quæ cùm ita ſint, cui mirum videatur, ex antarctici orbis remotiſſimis regionibus, Antipodes etiam, quos Romanorum ætas omnis ignoravit, quoſque crediditiſſe piaculum, immortale peccatum habitum fuit ſuperioribus annis, luſtratum fortiſsimos noſtros Belgas, per in-

per infinitam propè itinerum intercapedinem in Germaniam appuliſſe? cui mirum, non modò Caroli Magni *Imperio*, verùm etiam abhinc ſeptennio, ad illuſtriſſimum principem Mauritium Caſſellas (quas Petrus Ramus ex regio Academię ſuggeſtu Parriſiis prędicavit, alteras Syracuſas eſſe, ubi Archimedes habitet) regios Legatos Perſiæ, auditione & fama tanti principis, quem omnes exterę regiones ac populi, ætatis ſuę Phœnicem, admirantur & venerantur, cõmotos veniſſe, indeque per mediam Germaniam ad invictiſſimum Rudolphum properaſſe incredibile dictu, quantoperè illi, Germanię urbes ac oppida, ditiones ac latiſſimos fines, munitiſsimas urbes & propugnacula admirati. In hoc cœtu eſſe exiſtimo, qui cùm illi in hac provincia apud illuſtriſſimum Principem aliquot dies commorarentur, legatos viderint, qui audiverint, quanta prędicatione munitionem Caſſellanam, cui ſimilem in Perſia tota eſſe negabant, affecerint, quo ſtupore armamentarium, valla & foſſas ibidem contemplati, palatiorum ac hortorum magnificentiam ibidem intuiti, pompã & ſplendorem aulę verè regium commendaverint. Hęc enim ex illorum ſermonibus etiam ad exteras noſtras aures quàm longiſsimè pervenerunt. Cui prętereà mirum, toties ex intimis Ruſſorum & Moſcho-

Moſchorum teſquis, Comitiorũ imperialiũ ſplendorem, imperii potentiam, urbium elegantiã, inſtitutionem Reipub. auguſtiſſimam ſpectatũ, publicè miſſos homines excurriſſe? Cùm etiam ſuperiori patrum memoria, Solymanni Turcici legatos Francofurtum ad conventum principum, per mediam Germaniam eductos, ſtupidos & attonitos admiratione, populoſiſsimarum urbium, frequentiſsimarum arcium, ſplendidiſsimarum provinciarum, potentiſsimorum Electorum, ac principum: intuitu factos, ex Augerio Busbequio, veriſsimo ſcriptore cognoſcamus. Idem accidiſſe Polonis, & Gallis compertum eſt, cùm ex Francorum regno, Henricum Regem per mediam Germaniam deducerent, cùm ſe tunc demum intellexiſſe, quantâ potentia & ſplendore omnibus regnis Germania prævaleret, affirmarent. Eant igitur alii pro libidine ſua quocunq; velint, petãt Angliam, immorentur, & immoriantur in Italia, nigreſcant in Portugalia, colorentur ſole, & ſolo Hiſpanico, peregrinentur in Galliam, navigent in Scotiam, alii alio ſe conferant, meã certè ſententiam hac in re non commutabo; ſed Germaniæ peregrinationem eſſe omnibus àllis præferendam; aliis fructuoſiorem, aliis jucundiorem exiſtimabo. Atque, ut Plato Diis gratias egiſſe fertur, quòd Athenienſis

non

non exteri, ſed Germani nati; nec veſtrum, auditores, quemquam fore, mihi polliceor, qui conſideratis hujus meæ ſententię argumentis perpenſisq; æquiſsimo animo rationibus, non idem approbaturus, Deum ter. opt. max. regionum ac provinciarum fundatorem, votis quibus poſſumus, maximis cogitamus, ut Germaniam communem noſtram patriam, regnorū omnium matrem ac reginam ſereniſsimam, præ omnibus imperiis, ac ditionibus ſummæ prędominationis trabea ac fulgore Cæſareę potentiæ ornatam, luce divini verbi puriſſimè prę omnibus gentibus, illuſtratam, victoriis ac triumphis glorioſiſsimis decoratam, potétiſsimis, prudentiſsimis Auguſtis, principibus ac gubernatoribus donatam, omnibus humanæ beatitudinis, & proſperitatis muneribus cumulatam, inexhauſtæ bonitatis ac clementiæ ſuavitate ad finem uſqùe mundi complectatur, & contra omnes hoſtiles inſultus protegat, tueatur, defendat: Tum verò hanc omnium pulcherrimam Germaniæ provinciā Haſsiam, in qua nunc ego ſtudiorum gratia hoſpes ſum, quæ potentiſsimum olim Germanię Macedonem Philippum ſapientiſsimum Germaniæ Salomonem Wilhelmum, & nunc unicum omnis virtutis ac eruditionis miraculum. Mauritium principem protulit, florentiſsimam omni ævo conſervet; Eccleſiam,

atque

atque Academiam,veluti lætiſsimam vineam ſuam fœcundet,& adverſus lupos ac urſos,omnesq; adverſariorum conatus æternum cuſtodiat,ut cum regio Vate canere & exclamare poſsimus:

Non fecit taliter omni nationi.

ORATIO XVIII.

Italicam peregrenationem fructuoſiſſimam eſſe.

NEmini veſtrûm, auditores, arbitror, non eſſe perſuaſiſsimum, nullum aut prudentiæ civilis acquirendę rationē expeditiorem,vel vitæ & morum elegantiæ comparandę viam compendioſiorem, aut linguæ & facundię externę addiſcendæ modum faciliorem haberi poſſe,quàm eum, peregrinationi ſtudio,variarumq; regionum ac civitatū perluſtratione comparetur. Quod quidem veſtrum ea de re judiciū rectiſsimū eſſe,omnium prudentiſsimorum hominum ſententia comprobavit. Eſt enim, ut uno verbo rem complectar,magiſtra atq;informatrix omnis melioris cultus & diſciplinæ peregrinatio;ac ut fabulis è Triptolemi curru maxima frumentorum copia,meſsisq; abundantia in omnes terrarum orbis partes diſperſa eſſe legi-

legitur, ita multò major utilitas, omnisq; humanitatis & gratiæ ubertas ex peregrinationis curriculo redundare ſolet. Sed tamen neq; hoc quemquam veſtrûm fugere puto, plurimum inter ſe perluſtrationum ſtudia differre, neq; parem fructũ ex omnibꝰ promiſcuè oris & regionibus reportari. Quid enim civilis rationis, quid urbanitatis, quid leporis, ex immani Tartarorum barbarię referatur? Quid acuminis, quid ſolertiæ, quid ingenii è Bœotorum aëre, cujus craſsities etiam in trivii riſum olim perveniſſe dicitur, acquiratur? quid verò ſuavitatis, quid elegãtię, ex horridis Moſchorum teſquis, & ex incultis Ruſſorum agris petatur? quid deniq; lucis & ſplendoris ex Cimmeriis nubibus ac tenebris in vitam communem proficiſcatur? Quod verò rerum detrimentum homini pręſertim juveni accidere poterit gravius, quàm non modò omnẽ optimè ætatis laborem atq; operam, verùm etiam pretioſiſsimi temporis rationem inanibus ac infructuoſis percurſationibus conſumere? Ac profectò inſignis ſtultitia eſt quemadmodùm de re iſta trium ſuperiorium imperatorum archiater vir doctiſsimus Johannes Crato, popularis noſter, exclamaſſe legitur, non ſine maximis valetudinis atq; vitæ periculis in ea loca longiſsimis itineribus contendere, ut nihil videas, nihil audias, niſi quod toto

toto poſtea ætatis tempore vidiſſe & audiviſſe te pœniteat. Non itaq; temerè & tanquam ſine face ac lumine patriæ limine in quaslibet exeundum eſſe, in quas oras & regiones quoquo modo obvias cuncti peregrinationum magiſtri, monuerunt. Nec verò poſſum, quin vobis, Commilitones, pro ea, qua alter alterū complectimur, fraterna charitate & fide, mei etiam, ſi modò attendere velitis, in hoc collegii noſtri circulo, conſilii atque judicii, etſi mediocre utrunq; mihi eſſe non ignorem, rationes exponere ingrediar. Nam & humanitatis ratio illud ita ferre conſuevit, ut, qui in portum ex alto invehantur, iis, quos è portu ſolvere vident, præcipere ſummo ſtudio ſolebant, quæ maris diſcrimina evitanda, quæ ſyrtes, qui ſcopuli effugiendi, quæ loca propter pyratarum & prædonum inſidias declinanda. Quod cùm eodē modo in curriculo peregrinationis ſuſcipiendo fieri oporteat, videamq; hoc tempore eſſe nonnullos in hoc cœtu noſtro ad portas & itinera longinquiora paratos, non equidem hanc meam orationem, quā veluti Mercurialem ſtatuam, & indicem ducemq; ad compendioſiſſimum peregrinationis veſtræ rationem habebitis, vobis ingratam fore confido. Digito enim quod dicitur, intento, quà vobis rectiſsimo itinere eundū, quaſi tanquā ad Jaſonis prædam, & ad Colchicum

theſaurum feſtinandum ſit oſtendam. Video equidē mirificam hoc verbo in vobis excitatā audiendi cupiditatem; Video ad nutum & digitū meū oculos veſtros diligentiſsimè excubare. Sed animadverto quodāmodo jā dudū animos & cogitationes veſtras in aliis atq; aliis rationibus atq; gentibus eſſe defixas. Quid n.? an nō pars Galliā meditāini: Alii in Hiſpaniā alii Angliā cogitatis, alii Græciā & orientē in animis & votis habetis? Sūt quidē ſua cuiq; telluri digna aditu, digna viſu, digna præceptu munera: ſunt opes, & naturę dona, quibus regiones iſtæ, aliis aliæ antecellant, qūibus triumphent atq; tripudient áliæ præaliis: Verùm tamen abſit dicto invidia, illarum terræ partium, tametſi florentiſsimæ ſint, nulla eſt, quæ cum feliciſsima omnium provinciarum matre Italia conferri ullo modo poſsit. Hæc enim, hæc illa eſt, quam omnium profectionum & itinerum veſtrorum metā, quā peregrinationum omnium finem & ſcopum, quā laboris & curriculi omnis ſuſcepti quietem, omnium viarm & navigationum ſedem & ſtatinem, quā deniq; omnis defatigationis veſtrę portum, quam tædii omnis & nauſeæ atque moleſtiæ aurā & recreationem fore optamus *Italiam, Italiam magno clamore ſalutant*, de Ænea Phrygum veterum duce, ejusq; comitibus, cùm primùm ex Aſia ſua Trojani, qui illi

illi cineribus ereptiſerant,in hanc Europæ beatiſſimam regionem appellerent, notiſſimus verſiculus eſt, quem poëtarum Latinorum princeps ceciniſſe legitur. Salutabunt eandē certè ſcio, non minore clamore, nec lætitia ac gratulatione minore hanc mundi, ut à Plinio appellatam legimus, parentem complectentur, quicunque ſeſe ex omnibus omnium terrarum finibus ad hanc regnorum cunctorum reginam, totiusque orbis compendium contulerint. Quòd ne videar cœco quodam animi impetu magis, quàm benè propenſa aliqua ratione certoque judicio in medium proferre, conſtitui vobis ordine rem ipſam per partes ſuas declarare. Solet autem in omni peregrinationis ſuſceptione primùm ſpectari itineris fructus & utilitas: Accedere deinde, ſi etiam ſolet voluptas & jucunditas, cujus gratia non rarò à copioſis & opulentis hominib9 longinquæ profectiones,habita nulla ſūptuū, nulla impendii gravioris,nulla viatici majoris ratione ſuſcipiuntur. Nolo autem ad harum rerum commemorationem hoc loco ea aſcribere, quæ à religioſis atq; ſuperſtitioſis hominibus, in ea orbis parte, quam vulgo omnibus aliis terrarum regionibus ſanctiorem eſſe arbitrantur, maximo animi ardore & devotionis ſtudio requiri ac inveſtigari ſoleant, cùm alii S. Petri carcerem, alii Veronicæ ſudariū

alii Apoſtoli Andreæ caput, alii tabulam marmoream, in qua puer Chriſtus circumciſus, alii columnam, ad quã Petrus flagellatus, alii aliã viſum in urbem, & provinciam earum rerum refertiſſimam, proficiſcuntur. Non enim Jubileam peregrinationem, ſed politicã & civilem inſtituimus, nec pedem noſtrum è patria idcirco efferemus, ut foris aliorũ pedes ſanctitatis opinione diſuaviemur, ſed ut veſtigia prudentiſſimæ antiquitatis rimemur, ipſorũque locorum intuitu, tanquam monumentis priſcæ virtutis ac fortitudinis excitandæ utamur tum ut optimas artes ac literas conſequamur, quæ omnium prefectionum externarũ fructum ampliſſimum continent. Nam ſi vel ipſorum locorum intuitus, tantum ad rerum perceptionem & doctrinæ inſtitutionem valeat, ut inſtar doctiſſimorum librorum eſſe videatur, quemadmodum his quaſi magiſtris, atque chartis & codicibus ad maximas ſcientias comparandas multi uſi eſſe memorantur. Quid, quæſo, ex univerſo ferè orbe dari poterit, quod magnæ illi terrarum omnium deę, ut à Julio Frontino nominata eſt, hujus rei gloriam præripere poſſit? Quod enim in illa regione, quæ mundi univerſi, ut Plinius de ea loquitur, rectrix tot per ſecula fuit, veſtigium facias, quem vel in minima ejus parte pedem ponas, ubi non maximarũ rerũ monumenta,

oculis

oculis ſubjiciantur? quem lapidem vertas, in quo non priſcæ aliquod prudenttiæ documētum apprehendas? quod tectū ſubeas, quem parietem contingas, in quo non aliquam ſempiterna memoria dignisſimarū rerum imaginem offendas? Quæ tot hiſtoricorū voluminibus conſignata habentur, quæ alii à mortuis auctoribus, ex Livio, ex Dione, ex Appiano, ex Dioniſio magnis vigiliis & laboribus quaſi per nubem percipiunt, quæ ex mutis literarū apicibus cognoſcunt, quæ quaſi per umbras ex obſcuris lineamentis vident, ea tibi inter eundum maxima cum voluptate ipſe loci vivus genius, tanquam clariſsima in luce oſtendet, urbes & mœnia ultrò aperient, ſylvæ & fluvii loquentur: montes, valles, ſaxa & ſolitudines te docebunt. Hic veterem reip. curam ac cuſtodiam Rubicon: illic variā fortunam Traſimenus, illic Trebia: alibi Allia referent: hinc colles tibi Fabium rei ſervatorem: illinc Minutium perditorem valles indicabunt. Ac, ut ſummatim dicam, nullus propè rivus Italiæ tranſiri, nullus fluvius trajici, nulla littora & ripæ adiri poterunt, in quibus non aliqua aut veteris tropæi recordatio, aut inſignis ingenioſi ſtrategematis memoria, aut alterius rei præclarè geſtę cognitio animo occurrat. Quid verò de mūdi totius tēplo, ac ab Amminio urbē orbis appellatā legimus, de Roma, in quā, quæ

rerum omnium epitome eſt, dicamus? Patria cùm omnium nationum & gentium eſſe illa prædicetur, non poterit non homini expedito pedibus, nedum civilis prudentiæ ſtudioſo, turpiſſimũ videri, patriæ communis larem & domicilium nunquã vidiſſe. Una verò omniũ loco gymnaſiorum, & Academiarũ, quæ toto orbe florent, ſine bellicam ſive togatam prudentiã expetas, eſſe poteſt. Ipſe tibi urbis portæ plus virtutis & fortitudinis, vel ſolo aſpectu ſuo objicient, quàm omnes veterum philoſophorum porticus & Peripati perſonare potuiſſent. Teſtor antiqua rudera, teſtor veteres umbras & cineres, qui plus etiam è buſtis & tumulis ſuis diſciplinæ, plus gloriæ & laudis ſpirare videntur, quàm multorũ librorum præceptionibus & regulis præſcribatur. Quem verò non vel ipſa nomina *Scipionum*, Corvinorum, Torquatorum, Corneliorum, Camillorum, ſi cippis & lapidibus ea inſcripta videat, quem, ſi eandem terrarum, quam illa bellorum fulmina olim incoluerint, quam triumphis & victoriis ſuis inſigniverint, pedibus uſurpet, ſi in tantorum heroum quaſi veſtigiis gradu fixo, hinc inde perambulet, quẽ, inquam non ipſa earum rerum recordatio vehementiſſimè accendat? Eſt etenim ea quoq; ipſius ſoli, ex quo fortiſſimi bellatores prodière, ratio, quemadmodũ imperator Juſtinianus de

nus de veteri Thracia teſtatus eſſe legitur, ut ſi quis bellicoſam regionem modò nominet, ſtatim unà cum ejus appellatione & roboris & militarium copiarũ, fortitudinisq; vim mente & cogitatione animus complectatur. Atq; hinc eveniſſe videtur, ut nulla ferè natio, nulla gens toto terrarum orbe inventa fuerit, ex qua plures fortitudine atque ſcientia militari præſtantes viri, quàm ex Italia, tanquã ex ipſius Martis domo & habitatione patria, prodierint. Nec temerè & abſque ratione factum eſſe arbitremur, quòd ſeſe Martis progeniem, Romuli fortiſsimi nepotes appellarint. Eã enim de ſeſe opinionem incredibili bellicæ rei robore & felicitate populus ille comprobavit. Sed ne vos videar à toga & pallio, quo amictos hactenus vidi, ad ſagnum & chlamydem velle abducere, de politicis ſtudiis potius curam & cognitionem ſuſcipiamus. Ubi verò artes quę imperatoriæ dicuntur, & ad gubernationis civilis inſtitutionem pertinent, facilius percipiantur, ubi optimæ reip. tractandæ rationes melius cognoſcantur, ubi regendi imperii ſcientiæ perfectius diſcantur, ubi dominii in populos tuendi prudentia, ubi rei conſervandæ conſilia exactiùs inquirantur, quàm in ea regione ac urbe, quæ ipſa omnium & nationum ac gentium domina multis ſeculis fuiſſe prædicatur? Quod quidem civitatum in Germania no-

nia noſtra prudentiſsima Norimberga, ſapienter perpendiſſe videtur, cùm ſuperioribus patrum noſtrorum temporibus, ut olim Romani decem viros ſuos in Græciã, ita illi legatos ſuos in Italiam miſerint, ut optimam reip. formã è Venetorum ſtatu petitã domũ afferrent. Nec verò veteres iſtæ Athenæ, neq; Sparta, neq; centum portarum Thebæ, neq; quævis alia Græciæ florentiſsimæ oppida melioribus fundamentis conſtituta eſſe potuerunt, quàm illa Italiæ lux & oculus, urbs Hadriaca, quæ mille amplius annos uno eodemq; in ſtatu firmiſsimè conſtitiſſe, celebratur. Deũ immortalem! quàm valida legum optimarum vincula? rerum munimenta quàm fortia? incredibilis imperii conglutinatio! quæ conſilia? qui ſenatus? quæ curia? Nihil tale unquã Lycurgi veteris prudentia; nihil Minois, quẽ in Jovis concilio per novennium eſſe verſatum Plato teſtatur, conſecuta unquam inſtitutio: nihil *Solonnis* leges, nihil tabulæ habuerunt, quod cum Veneta prudentia conferri poſsit. Quam verò ex omnibus, quæ unquam hoc ſtatu floruerunt rempub. nominabimus, quæ temperatæ adminiſtrationis Ariſtocraticæ rationem feliciùs conſtitutã habuerit? Senatus in urbe ampliſsimus eſt, qui ex mille amplius antiquioris ſtirpis familiis collectus: mille & quingenti plerunque in eo partes, ex ordine civitatis patricio, reip. conſilium ſum-

ma gravitate ſuſtinent. In eo numero univerſus reip. apex conſiſtit: Illi legum & magiſtratuum omnium poteſtatem optinent: illi vitæ & necis jura habent. At eſt preterea non minore, quàm regum eſſe ſolet ſplendore & majeſtate reip. princeps, & Dux. Purpura & auro totus ille relucet: caput ejus diademate & preciosiſsimo pileo exornatum: ſolium regali ritu apparatum: regio morte inceſſus: cultus & obſervantia regio more habetur: Poteſtas autem optimatum auctoritate ita attemperata, ut vel ſine *S*eptemvirorum, vel ſine Decemvirorum conſilio & conſenſu nihil publici juris habere videatur. Quid verò ad reip. benè ordinandæ cognitionem poterit inveniri uſquã expeditius? quid fructuoſius? quid præſtabilius? At contrà in aliis civitatibus non minore cum emolumento temperamentum monarchicum animadvertes. *I*ncredibilem magnificentiã & potentiã pontificis, quantum eſt vidiſſe? vidimus ejus ſaltem per tranſennam cõſpiciendæ gratiâ, præpotentes Germanię principes maxima itinerum cõtentione ſuperioribus annis in *I*taliam feſtinaſſe: vidimus eos cisio & eſſedo Romam uſq; volitaſſe. Quid verò de tot tam florentibus unus nõ ita ſpatioſæ telluris principatibus dicam? *I*ncredibile ferè nobis hodie videtur, quod de Germaniæ noſtrę provincia, Haſsiæ hujus ſorore & propinqua, Thuringia, ex annalib9 cognoſcim9, cùm

duodecim comites, & quidem opulentos atq; potentes in ea larem & penates ſuos, unà cũ provinciali principe, habuiſſe lautiſsima conditione conſtet; vix enim tot milliaria Teutonica ſpatiũ univerſæ regionis cõtinet, quòt dominatus fuiſſe in ea dicatur. At multò magis Italiam propter eandem cauſã admiremur oportet. Quid enim illa? An non ferè plures Ducatus, plura imperia, validisque viribus & potentia principatus, quàm ſtadiorum intervalla complectitur? Incredibilis feraciſsimæ terræ copia! inexhauſtæ fertiliſsimi agri vires! Dixeris divinã illã ſolis menſã, cujus hiſtoriarum parens Herodotus mentionem fecit, per univerſam hanc regionem longè lateque patere. At quæ illa? Apud veteres Æthiopes publica fuiſſe cõmemoratur, quã cùm ſingulis noctibus in medio campo ante urbẽ magiſtratus poſitam ſtratâque curarent, omni epulorum genere, aſſatarumque carniũ copia ultrò affluebat: die veró illuceſcente magno agmine comeſſatũ multitudo ibant: Largitas autem exſpectationem nunquam deficiebat. Sponte ſuã terræ munere, rerũ omniũ ubertas in apparũ quotidiani victus redundabat. Alimoniæ admirandá ratio! cujꝰ explorandæ viſendæq; gratia potentiſsimus perſarũ imperator Cambyſes longiſsimi itineris

neris laborem ſuſcepiſſe prædicatur. Verùm non minori admirationi hodie nobis eſſe poteſt *Italia*, quæ tantæ non modò mortalium multitudini, quantã vix ulli ſpatioſiſſimi aliorum regnorum fines capiunt, in tot & tam peramplis ciuitatibus ſuſtinendæ, verùm etiam tot ſplendidiſſimorum ducum & principum aulis, tot incredibili Cardinalium luxui, tot Epiſcoporum, tot Abbatum, & propè infinito otioſorum hominum numero alendo eſſe queat. Unde verò tanta victus facultas? quæ in tam auguſtis agrorum ſpatiis tantæ copiæ & ſplendoris ratio? Non profectò tam in telluris bonitate, quam in hominum cura & ſolertia illa poſita eſſe videtur. Quam enim accurata rei familiaris conſtitutio? quam diligens rerum omnium diſpoſitio? quantum in ipſa ſobrietate & frugalitate vitę aulicæ compendium? Nec verò vetera vel Varronis vel Columellæ ulla præſcripta & rationes, nec antiquę illa induſtriæ exempla tantum tibi ad rem familiarem augendam, ad larem & penates amplificandos, ad opes & facultates conflandas, omnemq; lautiorem conditionem rectè inſtituendam expedient, quantum ad omnem rei domeſticæ gubernationem, vel unius florentinæ aulæ, quę regium ſplendorem & magnificentiam præ ſe ferre cernitur, perſpectæ rationes proderunt. Vectigal profectò pere-

grinationis fructuoſiſſimum inter eundum ea ex aliorum inſtitutis & diſciplinis cognoſcere, quæ tum publicis, tum privatis rebus quã optimè ordinandis ſumma cum utilitate inſerviant. Sed ne noſtrum, ſtudioſiſſima juventus, principem ſcopum prætermittere videar, de ſtudiorum fructu omniumq; bonarum artium gloria conſequenda cogitemus. Quò verò gentium nos conferemus, ubi majore literarum & ingenii excolendi felicitate gaudere & perfrui poſſimus, quàm in eam regionem, à qua omnis eruditionis & diſciplinæ lux petita? petitus flos omnis optimè dicendi? omne animi morumq; ornamentum petitum? Quò, niſi eò, ubi à multis ſeculis ſtudiorum mater floruit? Quis enim vel ex moneta vulgari neſcit pulcherrimam Italiæ urbem Bononiã hoc nomine etiamnum omnium nationũ ad ſe adventum invitare? Quid verò uſpiã terrarum auditum unquam literis ullis celebre, quid ſcientia admirabile, quod non ex Italicis gymnaſiis, velut ex ipſo fonte doctrinarum, emanarit? Quis tota unquã Gallia, quis Hiſpania, etſi acrioris ingenii utraq; eſſe dicatur, celebrioris nominis Jureconſultus extitit, quis inter Germanos noſtros, qui non ingenii & eruditionis rarioris laudẽ ex Italia retulerit? Quis unquã toto terrarũ orbe medicus egregius inventus, qui non ex Italiæ ſcholis o-

mnem

mnem ſuam peritiam, tanquam ad Æſchulapii delubro, & ex Hippocratis ex Galeni domo reportaverit? Atqui hujus quidē ſcientię fontē nullibi terrarū reperies uberiorē, quàm in Italia. Quod etiam vulgo cognitū atq; perſuaſiſſimū eſt, medici nomine neminē omninò pollere poſſe, qui non Italorum hortis, in gymnaſiis, in ſtudiis verſatus aliquandiu fuerit. Quā admirabiles verò ejus artis magiſtros etiam noſtræ ætatis famà ibidem cognovimꝰ? Quid ex omnibus morborum generibus inventum, quod Italia non curaverit? Inventi ſcilicet in ea noſtra memoria fuerūt, qui, quod antea inauditum erat, nares radicitus abſciſſas ſanare, aliasq; multò formoſiores, quàm priores fuerant, rejicere ac reſtituere potuerunt. Viſi ex Germania noſtra ſuperiotibus annis eam ob cauſam in Italiam viri nobilliſſimi excurriſſe, qui amiſſis & in acie & in rixa naſis deformitate curata, pulcherrimi redierunt. Sed quid de aliarum rerum cognitionibus dicam? Ipſamet, cujus addiſcendæ cupiditate, commilitones, longè maxima flagramus eloquentia, videtur nos ex his collegii noſtri oratorii ſpatiis, ad ſui perfectiſſimā culturā in Italiā evocare. Hîc mea, inquit, genuina puritas, hîc Tullianę medullæ ſedes, hîc germana vocis meæ ſuavitas, hic facundiæ domiciliū, hîc arx, hîc lares opesq; omnes meæ ſitæ! Hîc ut olim

meas

meos Cicerones & Atticos, nunc meos in eorum ſimilimis veſtigiis Sadoletos, Bembos, Manutios, Politanos, Muretos, delitias meas omnes invenies. Hic ipſius cœli benignitas mea ſtudia adjuvat: fecilitas naturæ excitat, aëris atque aurę clementia ſuſtentat, loci genius vi atq; indole ſua eadem conſervat. Deum immortalem! hæc cum audiamus, commilitones, quis noſtrum eſt; qui non continuò ſumptis equis & calcaribus, ſumptis, ſi nanciſci eas poſsit, velociſſimis alis, ultra Alpes evolare mecum contendat. Hęc videlicet aurea iſta vellera: hi theſauri ab ingenua omni juventute petendi: hæ opes, hæ gemmæ, quę omnib9 aliis facultatibus & poſſeſsionibus anteferendæ. Dignißimæ illæ, quarum gratia à Gaditano freto longiſſimorum itinerum curricula Romā uſque, Pataviam, Veronam, Bononiam, Piſas, Venetias ſuſcipiantur. Sed miſſis tot & tantis utilitatibus ad voluptatem tranſeamus. Hic verò magnoperè vereor, auditores, ne omnis meæ orationis vis nebulas & tenebras potius, quam lucem tantæ rei afferri videatur. Quęenim dicendi ubertas eſſe queat, quæ fandi copia tanta, quod tantum ingenii flumen, ut amœniſſimam hanc Gratiarum ſedem verbis depingere & ſatis explicare poſſit? An verò ſub ſole univerſo ſolum ullum exiſtere

iſtere putabimus,quod in hac parte cum Italia conferatur, quam non immeritò totius mundi mundum & ornatum appellamus? Vos ô pulcherrimi Campaniæ agri,de quibus olim viritim diſtribuendis tot veteris populi contentiones, tot tribunitii clamores, tot certamina plebis fuiſſe leguntur, vos Roſciæ campi, vos Papi & Tiberi valles, vos Arni colles teſtor,quibus nihil amœnius,nihil pulchrius, nihil jucundius generi humano natura rerum omnium mater largiri potuit. Nec enim tam poëtæ verſiculus quam veritatis ipſius teſtimonium eſt, quod Propertius cecinit:

Omnia Romanæ cedunt miracula terræ,
Natura hic poſuit quicquid in orbe fuit.

Profectò ita eſt? natura ſibi in hoc loco domicilium proprium conſtituiſſe videtur, qui inter Orientem & Occidentem ferè medius interjacet,& modicè ab Aquilone ad Meridiem deflectitur, ac propterea cœli & aëris temperies nullibi ferè regionum benignior habetur. Quid ergò mirum eſt, rerum procreatricē atque nutricem omnium,ſibi ipſi quàm optimè primùm proſpexiſſe,& in ſedem atque ſinum domeſticum acervatim congeſſiſſe cuncta ea,quæ ex toto terrarum orbe appetenda, quæq; ad omnem gratiarum & voluptatum numerum abſolvendum pertinere exiſtimantur. Italiæ ſiquidem omnes veterum carminibus

nibus celebrati hortuli ac tẽpe cedunt: cedit amœniſſimus Theſſaliæ campus. Quid enim, ipſius venuſtatis ſedes. Florentinæ Floræ viridaria, quid Nympharum vivas domos, fontiumq; amœnitates, quid admirabiles delitias hortorum vobis exponam? Inſulæ ſi uſpiam terrarum ſunt, quæ fortunatæ dici poſſunt, ad Mincium & Tiberim illæ florere videntur. Nõ autem unum tantummodò diem dicendo cõſumi oporteret, ſi jucunditatem, quæ ex antiquitatum imaginibus, quæ ex ſplendore propè incredibili ædificiorum, ex elegantia urbium, quę ex ipso cultu hominũ & aſpectu percipi poteſt, verbis pluribus perſequi vellem. Sentio equidem mihi hoc loco ex ipſa rerum iſtarum pulcherrimarum cogitatione idẽ accidere, quod diſertiſsimis non nullis oratoribus eveniſſe Lucianus ſcripſit, ut, cùm fortè regũ in ſplendidiſsimis artiis, & varietate elegantiſſimarũ imaginũ inſignitis palatiis verba fecerint, pulchritudinis mirificæ vultu perperturbati, in medio orationis flumine, tãquã attoniti rerum aſpectu, conſtiterint, ſubitoq; obmutuerint, Quid verò de ubertate, de copia de dulcedine & ſuavitate omnium fructuum dicam? quam multa agro Italico copioſiſsimę indulta eſſe cernetis, quæ omnibus aliis terrarum regionibus etiam feraciſsimis denegata Ex media noſtra Saxonia Longobardos, fortiſsi-

tiſsimum populũ, accepimus antiquis temporibus ſolius Italici vini guſtu fuiſſe à Narſete pellectos: Nam cum illi bonitatem Falerni, ex Campania miſsis lagenis aliquot, delibaſſent, confeſtim relictis omnibus aviti laris domicilii, fortunis opibusq; ſuis, in Italiam contentiſsimo gradu magnis agminibus, evolarunt. Comitati eoſdẽ pars magna Gothorum comitati Vandali, Sed & prioribus antẽ ſeculis, autore Livio, Hetruſci eadẽ illecebra Gallos eodem invitaſſe dicuntur. Quæ tamen non propterea vobis dico, ut horum, cupiditates quemquã ſequi, viniq; gratia exire velim, ſed ut perſpicuum faciam, nihil eſſe, quod cũ hujus terræ præſtantia in ulla re certare poſsit, Quo quidã cõmunis illa parens natura, ſi interrogaretur, quam regionũ omniũm exoptatiſsimam putaret, non ipſa non verbis clariſsimis confirmabit. Exoptatiſsimã certè, exoptatiſsimã diceret Jtaliã? Quã pulcherrimã? pulcherimã Jtaliã, quàm amœniſsimam? amœniſſimã Jtaliã: quã fortunis & delitiis omnibus refertiſsimam? Jtaliam, Jtalia princeps pareſq; & regina regionũ & regnorũ omniũ: Jtalia in medio orbe tanquam theatrum univerſi; in medio rerum omniũ veluti in corpore cor ipſum, in quo animæ omnis vis & vigor robur omne, & flos mundi conſiſtit. Ibimus itaq; ,

cõmi-

commilitones ſuaviſsimi. ibimus, nulla amplius mora intercluſi, in *I*taliam. Non equidem me tantummodò conſuaſorē & auctorē itineris hujus, ſed etiam non *j*ucundum comitem ducemq; habebitis:habebitis præterea vobis fide & certiſſimo vadimonio devinctū, deditum atq; obligatum, multò vos ea, quæ dixi majora omnia, quàm oratio mea declarare potuit, eſſe ipſos inventuros. In Italia, quod certò vobis confirmo, quod promitto, recipio ſpondeo maximarum rerum prudentiam: in Italia reip. gerundæ experientiam: in Italia rei militaris peritiam: varias ad laborum tolerantiam corporis exercitationes, athleticum motum & agilitatem. In Italia feliciſſimā ingenii culturam, diſciplinas & artes omnes, mores & bona inſtituta: linguam, facundiam, & veros eloquentię omnis fontes: In Italia denique vitæ totius florem, genuinam ſuavitatem rerum omnium: poſtremò ea omnia quę tum privatæ, tum publicę ætati quàm belliſsimè degendæ expediant: in Italia ſumma cum utilitate percipietis, ut tum vobis ipſi commodum & emolumentum, parentibus voluptatem, amicis gaudium, reip. honorem & ornamentum ex ea maximum reportetis.

ORA-

ORATIO VIX.

Recitata ab

HENRICO CRVSENIO POMER.

Venationem laudatiſſimi ſtudii eſſe

CUm omnia illa pręclara & illuſtria,quę tum ad animi,tum ad corporis exercitationem,ad otii & ſegnitiei ſomniq; & veterni evitationem, ad indefeſſam laborum rerumq; fortiſſimarum præparationem,pertinere videantur, quæq; principis viriq; nobilis ſtudio digniſſima cenſeantur,tum certę nihil dignius, nihil quod ad militarem gloriam, & ad fortitudinem quaſi præludiis quibuſdam acuendam concitandemq; magis faciat,venationis ſtudio & exercitatione vel excogitari vel haberi præclarius poteſt,Cujus quidem ſtudii diligentiſſimęexercitationi cū non modo antiquiſſimos Germaniæ noſtræ Principes, viroſq; ſtrenuos, ac quoſq; nobiliſſimos olim ſummoperè incubuiſſe cognoſcimus,verùm etiam pleroſq; omnes potentiſſimos Principes hominesq; nobiliores hodiernis temporibus mirifica delectatione venationis teneri videamus,conſtitui hodierno die iſtud mihi dicendi argumentum ſumere & nobiliſſimorum hoc exercitii genus à cōtemptu atq; ſiniſtro judicio hominum vindicare,deq; eo,quid mihi potiſſimum videatur, verba fa-

cere, & ſecundū Proverbium, currentibus calcaria addere. Primùm autē venationis dignitatem; Deinde utilitatē cum incredibili voluptate cūjunctā ob oculos veſtros ponā. Quod dum facio, date quæſo, auditores, mihi de venationis ſtudio dicturo, quod venatores ad inſectandas feras maximè flagitāt, ſilentiū, date, quæ venantibus omnium gratiſsima eſt, facilē aurā, date, quę venātib9 maximè neceſſaria patulā aurem, date, quem venatores ſūmopere exoptent, liberum campum, ut qua poſsit fieri brevitate non quidem ea, quæ ad hujus exercitii laudem faciunt, percēſere omnia (quod & conari & ſuſcipere temerarium eſſet) ſed ex earum rerum innumerabili copia pauca quædam ſeligere & comprehendere poſsim, quæ in hoc ampliſsimo loco vobis explicem. Occurrit autē prima hujus exercitii ac ſtudii antiquitas, quæ dignitatis ac auctoritatis existimationisq; momentū perquam illuſtre in ſeſe continet. Eſt enim eo quodq; nobilius eò præſtantius, quó antiquius, & longiore ſeculo ū ſerie cultius. Quod ſi fortè cui dubium eſt, ille velim venationis ſtudii vetuſtatem, cujus origo à primo illo primis mortalibus divinitus conceſſo in omnes terrarum orbis beluas imperio dependere videtur, mecum altius conſideret. Quid enim illa verba Geneſis cap. 1 faciam9 hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & volatili-

tilibus cœli & beſtiis univerſis? Quid illa quæ paulò poſt Geneſ. 9. Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli? Quid imperij & poteſtatis illius conceſſio, ſine exercitatione ejuſdem juris? Aut quomodo exercitatio illius imperii ſine venatione conſiſtere poſſit? Aut quid divina illa in omnes belluas permiſſio aliud denotat, quàm omnium ferarum captionem, quæ non niſi venatoriis inſtrumentis & artibus cōmodè fieri poteſt? At hoc quidem dominationis privilegium, cùm à Deo in divina nave conſervati mortales repetitum accepiſſent, ſtudioſius exercere imperium illud venando cœperunt. Prodeat enim, quē ſacra pagina ſolertiſſimum venatorem appellat, Nimrodus, Chaldaici regni Princeps & autor. Quid ille? an non hic venationis ſtudium, ut omnium nobiliſsimum, & potentiſſimè heroibus ad regnandum natis digniſsimum, ſibi ſumma diligentia perſequendum judicavit? Antiquiſſimum igitur venationis ſtudium, quod ante omnia civilia imperia, ante regna & principatus, ante omnes faſces & faſcias, ante Perſarum Medorumq; diademata, ante urbes & oppida, ante nobiliſsimam & antiquiſsimam Babylonē floruit, cujus quidem inventionem non tam homini quàm Deo aſcribendam eſſe, quis non animadvertit, quandoquidem eam ob cauſam venator Nimrodus coram Domino

Nimrod appelletur? Prodeant ſanctiſſimi hominum, quod Patriarchas appellant, ut ab illis manifeſtè doceamur, eos à liberis & domeſticis ſuis exerceri hoc ſtudium diligenter voluiſſe, atque adeò juſsiſſe. Quid enim Iſàacus? Nonne his verbum affatum natu ſuum maximum Eſavum legimus. Cape, inquit, inſtrumenta tua venatoris, cape pharetram & ſagittam, rus abi, venare mihi feram, ut cibo tuo paſtus, tibi ante obitum benedicam. Prodeat ſanctiſſimus ſanctiſsimi parentis filius Jacobus, ut venationis artem & licentiam non aliunde quàm à Deo pendere nobis ſubindiceret. At quid ille? *Interrogatus à patre*, cùm prudentiſſimo conſilio fraternam dapem, ſuis apparatibus antevertiſſet, unde tā ſubitò venatorii epuli inſtructio? Deus, inquit, Deus in retia miſit. Et certe non aliter gentiliſ caliginis gētes de venatione ſenſerunt, quàm ejus inventionem ad Deos immortales pertinere. Quid enim figmentum de Apollinis & Dianæ pharetris, de jaculis, de montibus & nemoribus ſacris aliud ſignificat? Quid fabula de Didonis venatione deorum conſilio inſtituta: de qua rex carminum Virgilius libro quarto Æneidos his verſibus:

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit,
It portis jubare exorto delecta juventus
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro
Maſſiliq; ruunt equites, & odora canum vis.

Magna hæc certè venationis laus, qua major haberi non poſſit, cui ipſi dii deæq; dediti fuerint. Et in hanc ſententiam Xenophon, Græcorum graviſſimus & prudentiſsimus veterum, manibus pedibusq; videtur iſſe, qui longa ſerie enumerat heroes iſtos, qui ſub magiſtro Chirone, ab ineũte ætate venatibus operá dederint, atque in rebus gerendis animoſi ac ſtrenui evaſerint. Quid autem de Chirone monumenta non ſolũm Poetarum, verùm etiam Hiſtoricorum tradunt? propter juſtitiam, venationis ſolertia eundem à diis eſſe exornatum. Quid de Cephalo? Canem & ſagittam à diis eundem accepiſſe, & ob venationis diligentiſsimum ſtudium á diis ſummoperè eſſe adamatum. Veterum heroum longiſsimum ordinem niſi præterirem, quis modus futurꝰ eſſet? Dicerem enim Herculem & Theſeum, dicerem Hippolytum atq; Neſtorem, non tacerem Amphiraum Peleum, Achillem, Mneſtheum, Diomedem, nec præterirem Æneam & Achatem, qui omnes hoc dono deorum maximè illuſtres fuiſſe memorantur. Ut itaq; ſummatim dicam, nullum ſtudium; neq; divinius, neq; antiquius, neque prius ipſa venatione, nullum, quod tam ſtudioſè & ſacræ & profanę gentes coluerint, quam hoc venatorium. Hoc JCti noſtri cùm animadverterent, à

naturali jure venationem deſcendiſſe ſcripſerunt, ideoq; eo nihil vetuſtius, nihil prius eſſe, utpote quod cum ipſo divino jure conveniat. Sic enim JCtus Cajus in l. 1. ff. de acquir. rer. dom. Quarundam, inquit, rerum dominium nanſciſcimur *jure gentium*, quod ratione naturali inter gentes peræque ſervatur. Et paulo poſt: Omnia igitur animalia quæ terra, mari, cœlo capiuntur, Idem docet Imper. Juſtinianus in §. fere Inſtit. de rerum diviſ. Et magnũ illud mundi miraculum, Ariſtoteles in Politicis homini naturaliter, ait, conceſſus eſt dominatus in belluas, ideoq; eas venando capere poteſt. Quod certè ita eſt. Quid enim lex illa divina, Levit. c. 17. An non conceſſam priorem poteſtatem majore autoritate confirmavit? Nonne *S*alomon Regum tum ditiſſimus, tum prudentiſsimus, eandem in aula ſua diligentiſsimè exercuit? Illud enim 2. Regum 4. legimus. Eſt ſiquidem hoc ſtudium verè *R*egium & heroicũ, quod nemo non veterum generoſiſſimorum bellatorum ac Principũ glorioſiſsimè proſecutus. Nec enim inter aſsiduas bellorum occupationes Alexãder re & nomine Magnus venationem intermiſit, in cujus aula, avito inſtituto regiæ menſæ nemini licebat maximorum etiam Principum accubare, niſi aptum extra retia cepiſſet. Nec Julius tot inter præliorum certamina eadẽ abſtinu-
itâ

it, à quo etiam annoſiſſimum Alexandri Macedonis aureo inſignitum monili cervum captum eſſe memoriæ proditum eſt. Nullæ profectò hæroicæ indolis indicia majora elucescunt, quàm venationis alacritate! Quod quidem ſcripta Xenophontea de Cyro etiamnū puero declarant, quem in avi materni Aſtyagis Medorū Regis aula verſantem venationis hujus campeſtris cupidiſſimum auctor introducit. Qui ibi puerilis animi ardor? quę incitatio, quod ſtudium, quanta feſtinatio, qui ſudor, quæ vox, qui clamor? qui impetus? Nunc montes aſcenduntur, nunc valles percurruntur, nunc flumina trajiciuntur, denſiſſima virgulta perreptantur: apri venabulis excipiuntur: cervi ſternuntur: capreæ capiuntur: damæ & lepores fatigantur: vulpes è cubilibus extrahuntur: leones ex altis jugis petuntur. Similem hujus animum vel majorem etiam in venatu alacritatem expreſsit Latinorū vates:

At puer Aſcanius, inquit, mediis in vallibus acri
Gaudet equo, jamq́ hos curſu, jam præterit illos:
Spumantemq́ dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcēdere monte leonē

Quam quidem ob cauſam venationis ſtudiū ab omnibus fortioribus generoſioribusq́ę populis ſummopere cultum, quod etiam Tacitus, de veteribus Germaniæ noſtræ gentibꝰ teſtatum reliquit, eorum nempe vitam omnē

occupatam venationibus fuiſſe. Quod majorum ſuorum honeſtiſſimum ſtudium victoriosiſsimi Germanorum reges & Imperatores ſtudioſiſsime ſibi ſemper perſequendum ſunt arbitrati. Quid enim Carolus Magnus? cujus tot & tantæ rerum geſtarum Iliades, tanta victoriarum monumenta, tum incredibilis administratorum bellorum moles, ut ne otium quidem ſedendi, nedum cubitandi, cum Veſpaniano Imperatore habuiſſe videatur? Nonne idem frequētiſsimè in ſylvis & nemoribus, inter dumeta, in vaſtis ſolitudinibus agitaſſe feras cognoſcitur? Ex cujus quidem venationibus hoc exemplum lepidiſsimum, non poſſum, quin vobis in mediū proferam. Erat ille pretioſi veſtitus more majorum negligens multò pulchrius eſſe magisq; regium exiſtimans, animum potius, quemadmodū Philoſophorum Princeps ad orbis terrarum principem Alexandrum ſcripſiſſe legitur, præferre cultum & compoſitum, quàm corporis veſtem. Cum itaq; proceres ſuos nobilesq; miniſtros, habitu teneriore indutos, delicateq; amictos, longeq;, quā ipſe imperator eſſet, precioſioribus indumentis ornatos quodam die videret, juſsit eos, ut erant veſtiti, quamprimùm ſecū venatū proficiſci. Quid fit? mādato obediūt, egrediuntur cū Imperatore foſsis; ille lupina veſte, hi ſericis & holoſericis indutí,

duti. Inter venandum, præter expectationem oborta maximi frigoris tempeſtas, lapſæ immenſę pluviæ, corruptæ cælo prætioſæ tunicę, madefactæ molliores chlamydes; ubi domũ reventum erat, aſtare ſibi ad menſam, & veſte non mutata, madidos adminiſtrare ſibi voluit vidiſſes riſu dignum ſpectaculũ. Alii ad focũ ignemq; accenſum veſtem ſiccabant, alii præ rigore hyemis pluviarumq; glocitabant. Orta ſequente luce mandatum ſeriò omnibus, ut in heſterno amictu denuò comparerent. Quid inde? Conſpicatus Imperator pretioſas nobilium ſuorum veſtes, injuria tempeſtatis miſeris modis deformatas, ſericas calore foci contortas, maximeque corruptas, lupinam ſuam tunicam integram damniq́ue expertem oſtendit, facta acerrima objurgatione, ne impoſterum venatum profecturi, tam molli, tam delicato, adeoq́ue fœmineo cultu inbuerentur. O mirandum venationis ſtudiũ: quod neque adverſa tempeſtas, non imbres, non cœli injuriæ impedire, non avertere ab hoc heroẽ valuerunt. Verùm ſi dignitas venationis ab ipſo Deo inventa, ſi à natura monſtrata, ſi legibus divinis & humanis confirmata, ſi ab omnibus Regibus, generoſiſſimis Principibus adamata, incitare & commovere quempiam nequeat, commovere tamen maxima ejuſdem utilitas & voluptas poterit, quæ quidem cunctorũ

ctorum hominum maxima allectamenta & incitamenta eſſe perhibetur. Quid enim ad bellicam fortitudinem conſequendam, quid ad vires & robora, tum corporis tum animi conſervāda venationis exercitatione expeditius? Bellorum rudimenta qua re alia percipiuntur commodius? Audiatur bellicarum inſtitutionum prudentiſſimus Xenophon; quid ille? omnem Perſicæ diſciplinæ militiæque rationē, omnem hoſtis adoriendi fortitudinem, congrediendi audaciam, omnem frigoris atq; æſtus militaris tolerantiam, omnem animi intrepidi confidentiam, laborum omnium patientiam ex venatorio campo profectam eſſe graviſſimis verbis & exemplis confirmavit. Quod etiam eloquentiæ magiſter Cicero de Nat. Deor. deliberatiſſimo conſilio aſſerens; Iam vero, inquit, immanes feras & belluas nanciſcimur venando, vt & veſcamur his, & exerceamur in venando ad ſimilitudinem diſciplinæ bellicæ. Interrogentur præterea omnes veteres hëroes, cōſulantur reges & principes, quibus præludiis & exercitamentis armorum ſcientiam uſumque rerū militarium acquiſiverint: quibus ſtudiis prudentiam gerendorum bellorum ſibi comparaverint. Venationem adferent tibi ad unum omnes, in venatione dicent, primam ſeſe haſtam didiciſſē torquere; arcum tendere; ſagittam dirigere;

jacu-

jaculo ferire: cædem facere: in venatione didiciſſe equum domitare, cum hoſte congredi, æſtum & ſitim perpeti, hyemem & algorem tolerare, periculorum objectus ſuſtinere, in venatione didiciſſe vigilare, inſidias moliri, foſſas tranſilire, montes conſcendere, urſos capere, apros audacter invadere, didiciſſe eandem fortitudinē in præliis retinere. Fructus profecto venationis longe præclariſſimus! cui nullæ gladiatorū, nullæ Myrmillonum dimicationes, nulla athletarum certamina, nulla Olympicorum curſuum ſtadia, nullæ arenæ, nulla curricula, nullæ pugilum luctæ conferri poſſunt. Ex venatione Ducū & Imperatorum ſplendidiſſima nomina, fœliciſſimi triumphatorū tituli, florentiſſima victoriarū trophæa, provenerunt, ſemperque judicati ſunt ſtrenui venatores. Non itaq; mirum, quòd Henrico primo *Saxoniæ* Duci inter venandū, Imperii inſignia & titulos fuiſſe conſenſu omniū principum oblatos audiamus, qui quidē exiſtimationem virtutis ſuæ bellicæ incredibili rerum maximarum fœlicitate complevit. Quis itaque Principum, quis virorum nobilium, cum Alberto Imperatore venationem non admiretur, quis eam ut virilem exercitationem non prædicet, quis eum nō ſtudioſiſsime cum eodem perſequatur? Quid vero ad ſanitatem & valetudinem conſervandam venatio

poteſt?

poteſt? Plurimum certè; eſt enim certiſſimũ remedium: veletudini ſuæ conſulunt potiſſimè venatores, morbos omnes facilè aſpellũt, ſanitatem conſervant. Quàm multi cum Maſiniſſa, venationis ad extremam ſenectutem ſtudioſiſſimi, firmiſsima tum corporis tum animi valetudine ad longiſsima annorum tempora ævum tranſmiſerunt? Noſtra memoria recenſere vobis Illuſtriſsimorum quorundam Principum exempla poſsim, qui venationis exercitio, tanquam Panacea ſaluberrima, vitã ſuã ultra Davidis, ultra Platonis ætatem, omnium morborum expertem, longiſsimè produxerunt. Adeamus medicorum ſcholam, adhibeamus eandem hujus rei teſtem, quid illi? ex Hippocrate & Galleno Xenophonti noſtro ſuccinent, nihil ad bonam corporis valetudinem vitæque firmitatem venationis ſudore eſſe præſtabilius. Optatiſsimum & omnium maximum divinæ venationis commodum, cujus conſequendi gratiâ, quis non cum Neſtore, qui itidem inter præſtantiſsimos venatores à priſcis memoratur, ante auroram in ſylvarũ ſilentia exear? quis non cum illo Horatiano venatore, teneræ conjugis, uti Lyricus canit, immemor, ſub Jove frigido maneat? quis nõ cum Carolo per rivos, per ſaltus, per juga, per montes omnis tempeſtatis negligens repere inſtituat, cum Ludovico Rege Galliæ per avia

loca

locorum viarumq; deſerta erret, cum Maximiliano imperatore primo ad altiſsimas uſq; rupes & ſilices damas inſequatur? Nolim autem pluribus rei familiaris compendia ex venationibus provenientia memorare, ſine quibus aularum rationes, magnarumq; familiarum ſuſtentatio difficultates habet longè maximas. Quantopere enim Salomonis ampliſſimã regiam quotidiana cervorum, caprearũ, urſorumq; captura adjutam eſſe aulamq; ſuſtentatam exiſtimamus? Sed hæc tam nota ſunt, ut oſtendere exemplis omnino ſit ſupervacuum. Quod etiam ex civilis juris doctrina perſpicuè cognoſcitur: ubi venatio fructus fundi eſſe perhibetur, id quod Triphoninus *in l. uſufructuarium venari 62. in princ. ff. de uſufr* ſcripſit, ſcripſit Ulpianus *l. 12. §. 12 inſtruct. vel. inſtru. leg.* Sed quanta præterea jucunditas quanta ſuavitas hujus exercitii utiliſsimi? Ea ſane tanta eſt, ut Albertum Imperatorem dixiſſe acceperimus *ſequar is alia voluptate carere poſſe, venatione autẽ abſtinere omnino nequire.* Quis enim noſtrũm nõ ſummopere afficitur, cum aliorum venationes in ſcriptis vel verſibus vel hiſtoriis legimus? Quis non ſummã voluptatẽ ex ſuperiore Cyri illa apud Xenophontem venatione cepit? quem non delectat puer ille Aſcanius? Cui non jucundiſſima horum verſuum recitatio?

Poſtquã

Poſtquam altos ventũ in montes atq; in via luſtra.
Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos atq; agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerãt, montesq; relinquunt.

Quid vero de elegantiſſimo poëmate de venationibus, Græco pede ſcripto, ab Oppiano dicam? cuius recitatio & auditio tantam voluptatem attuliſſe Antonino Imperatori dicitur, ut auctori operis pro ſingulis verſibus ſingulos aureos nummos rependi curaverit, quorũ ſumma ultra viginti millia fuiſſe conſtat. Deũ immortalem! ſi tantum voluptatis & fictæ & pictæ venationum imagines, ſi mutæ earundem voces & adumbrata literis ſimulacra, cõtinent, quid de vivis nemoribus & ſylvis, de ipſis inter manus verſantibus venabulis, de retibus, de caſſibus de ipſis ante oculos volantibus cervis, de capreolis, aliisque feris, quid de mirifica canum ſagacitate, de beluarũ calliditate, deque toto illo venationis jucundiſſimo theatro dicamus? O pulcherrimum omnium ludum venatorium! quem ipſa natura parens homini ad curarum & ſollicitudinũ amolitionem, & ad animi recreationem omnium maximam dediſſe videtur, ad quam certe, tanquam ad levamentum calamitatum malorumque ſuorum, quæ bellorum adverſitatibus ſuſtinuerat, Mithridates confugiſſe legi-

legitur, tanta voluptate percepta, vt ſeptennium integrum in ſylvis & nemoribus commoratus, ſolo ſtudio venationis animum reficeret? Ita vero oblectabatur ea Antiochus rex, ut dum inter venandum, per avia ferreretur, amiſsis comitibus, in caſulam ruſticam, oppreſſus nocte, diverterit. Vos fontes & luci, vos montes & valles teſtes advoco, ex vobis, ſi vocem dare poſsitis, voluptatem incredibilem, ſuavitatemque divinam venationis omnium optime cognoſcere poſſemus. Nemora ſi loqui poſſent, ipſos cœlites, dicerent, ſede ſuperorum relicta in ſylvas & frondes venationis voluptate pellectos deſcendiſſe, illa præterea, quæ circumquaque ad præter labentem fluvium iſtum Lanum, erecta videris juga & colles, ab Arminio vſque, innumerabiles fere Reges & Principes, veterumque Saliorum Duces nobis nominarent, quorum retia & caſſes in his locis viderint, quorum lætiſsimos clamores audierint. Vniverſa deniq; hæc provincia Haſsia, quam à jucundiſsimo venationis ſtudio veteribus dictã multi volũt, teſtaretur, omniũ ferme ſuorum Principũ ætates in hoc amœniſsimo exercitio gloriosè tractas: rupes iſta, quæ celeberrimã huius vrbis arcem, quã aſpicimus, primũ omniũ Dianę & venatoriæ ſedi conſtitutã continet, tot fortiſsimos à Ludouico Barbato, ad Ludovicũ uſq;

Placi-

Placidum Illuſtriſsimos & fortiſsimos Heroes & Princincipes magna ſerie loquerètur, quorum jucundiſſimis venationibus amœniſsima hæc Imperii provincia ipſamet exhilarata eſſe videtur. Sed vereor, ne, ſi voluptatis venatoriæ intuitu longius inhæreſcã, idẽ mihi quod Actæoni in fabulis dicitur obtigiſſe, cùm nudam Dianam contemplaretur, eveniat, ne oculos ac animum, omnesq; ſenſus nimia illa jucunditas etiã invito abripiat. Finem itaque dicendi faciam, receptuique canam, minimè dubitans, quin ſtudiũ hoc verè nobile, imò divinũ, & dignitatis & utilitatis voluptatisq; viro forti digniſsimæ, refertiſsmũ, mecũ, omnes judicaturi; & ipſi vel invitis, quod ajũt, canibus venatũ ituri ſitis, majoresque Germaniæ noſtræ imitandos eſſe adſeveraturi, qui omnem bellicæ ſuæ laudis gloriã, venationis aſsiduæ exercitiis, tanquã cóte ferrũ, præparatiſsimã habuerũnt. Plurimi verò, certiſsimè confido, vos omnes, viri magnifici & præclariſsimi, partes Academiæ, vosque nobiliſsimi juvenes facturos eſſe, tũ regno, tũ literarũ celebritate præſtãtiſsmi magnæ Britanniæ regis Jacobi I. judiciũ, qui in dono illo egregio & verè regio, quod ſuperioribus annis ad filiũ Henricũ miſsũ, inter omnia alia regiæ pubis exercitia & recreationes, de quibus ad

acmi-

admirationem uſque omnium prudentium prudentiſſimè, & admodum eximiè differit, venationis ſtudium omnibus rationibus cōmēdatiſſimum fecit, vos denique comilitones, quos Platonicæ ſapientiæ ſtudioſiſſimos in hac Academia celeberrima novi, quibus Platonicæ Politiæ methodus quotidie eruditiſſimi Philoſophi noſtri ſtudio prælegitur, Platonicam hanc ſententiam mecum cōplexuros eſſe mihi planè perſuadeo, venationem optimum exercitium eſſe: Sed & cum Tullio noſtro inter honeſtiſſima ſtudia eandem mecum numerabitis: Optimis Principibus tanquam rem ſaluberrimam exercendam cum Dione prudentiſſimo ſtatuetis: cum Antonino Philoſopho animi à curis relaxandi gratia diligenter conſectandam eſſe cenſebitis: poſtremò neq; literarum ſtudio occupatiſsimis eandem fugiendam eſſe, cum literatiſsimo Plinio, coofirmabitis.

ORATIO XX.

Recitata ab

HENRICO DE PLETTENBERG.

Contra venationem.

LAUDETUR verò venationis ſtudium? aut etiam ſtudium appelletur? aut hoc nomine dignum judicet? in quo nihil

 inge-

ingenuum, nihil liberale, nihil humanum, nihil non efferum, immanè, ac barbarum, nihil non crudele ac ſanguineum, nihil non impium reperitur: Quomodó verò ſtudiũ, aut qua ratione libero homine, nedum principe aut nobili dignum nominetur? cujus artem, ſi ars appellanda, nequiſſimam eſſe, veterum prudentes dixerunt; utpote, quæ cuncta malitiæ & improbitatis inſtrumẽta ac machinas, retia, caſſes, plagas, inſidias, dolos, laqueos, hamos, foveas, tendiculas, funiculos, amites, perticas, haſtas, & innumera alia exitioſa inſtrumenta continet, quibus homines frugi ac continentes ita abſtinuiſſe melioribus ævis & aureis veterum ætatibus accepimus, ut ne ó-num quidem ex antiquæ ſanctimoniæ parentibus venatorem nominari poſſe, ſummæ auctoritatis & doctrinæ autor, graviſſimo teſtimonio Hieronymus aſſeveraverit. Atque id fide & conſenſu omnium patrum confirmatum pontificum conſtitutionibus comprobatum, eaq; de cauſa ſeveriſſimè prohibitum, ne Epiſcopi & ſacerdotes, ac, quicunq; in Clericorum ordine conſiſterent, vitio, ut appellatur à Nicolao pontifice, venationis implicarentur, ne accipitres & falcones aucupii gratia, aut canes ad ferarum indagationem alerent, multò minùs ipſi ſylvas & dumeta cũ venabulis pererrarent, cornibus & clamoribus nemora complerent. Quod certè non ſine

graviſſimis rationibus à Romanis pontificibus ſancitum fuiſſe mecum omnes affirmabitis, ſi ipſius venationis inſtituta diligentius, ſi tum indignitatem,tum infinita incommoda, quæ inde afferri ſolent, inveſtigare volueritis. Quid enim laudabile,quid glorioſum, quid honeſtum proficiſci ab ea re poterit, cujus inventio auctorem illaudatum habet?Quis enim ille,quem venatorum principem ex divinis literis nominare,& quo ſeſe Actæones magnificè efferre,jactareq; ſolent? Quis,inquã, ille Nimrodus eſt?Conſulantur Hebræorum magiſtri;audiantur antiquiſſimæ linguæ periti. Quid illi? Latronem,latronem eo nomine ſignificari ad unum omnes,eumq; profligatiſſimæ audaciæ, confirmant,qui à ferarum ſanguinolentis agitationibus,à nemorum immanitate & ſævitia, cui ab initio ætatis aſſuefactus erat, primus omnium ad mortalium jugulationem,ad tyrannidis jugum, ad communis libertatis oppreſſionem ſeſe contulerit. Terræ æternum odium! qui poſt infandum iſtum fratricidiam,cujus divinæ execrationis ſupplicium tellus ſuſtinuit,longiſſimo prioris ætatis intervallo,primus repurgatum cœleſtium aquarum inundationibus orbem,cruentis non modò belluarum ſed etiam hominum interfectionibus; & immaniſsimis latrociniis, conſceleravit. Præclarum laudatiſſimi

ſtudii principium! dignum, quòd antiquitatis laude celebritatem & gloriam ſuam commendet? Quid enim vetuſtius inter res hominum habetur, quàm eorundem ſcelera & flagitia, quæ primum aditum, virtutibus omnibus excluſis, in mortaliũ animis occuparunt. Antiquiſsimũ profectò homicidiũ eſt, quod, ſi vetuſtas nobilitatem conciliare poteſt, meritò nobiliſsimum ob id eſſet appellandũ. Habet ſiquidem non modò ſuum Cainum primis omnium mortalium natum parentibus: ſed lõgè vetuſtiorem auctorem Sanatam, quem ab initio homicidam fuiſſe nobis ipſe Dei filius ſervator noſter ſignificavit. Ad eundem verò ſi à Nimrodo tuo diſceſſeris, venationis antiquitatem eodem jure referre poteris. Quid enim ſacrarum literarum oracula, quæ rerum omnium antiquiſsima nomina continet, veriſq; ſuis appellationibus unum quodq; nuncupant? Nõnne venatorem, humani generis hoſtem Diabolum dicunt? Tam rudem autẽ & ignarum carminis Davidici neminem eſſe arbitrabor, qui illud ibidem non legerit, non intellexerit. Satanas inventor laquei, inventor retis & decipulæ: inventor malæ eſcæ auctor hami & foveæ: ab illo omnes fraudes, doli, inſidiæ, indagines, cædes, ſtrages. Ad iſtum verò præclarum auctorem omnes iſti gentium Væ-

um Væjoves ſeſe referunt, quos Deos Deaſq; communi errore appellarunt, iiſque tanquam divinum eſſe, venationis ſtudium aſſcripſerunt. Quid enim Diana, quam tricipitem finxerunt cui focos & tholos cornibus ferarum ornatos in ſylvis & nemoribus, veluti venationis præſidi, poſuerunt, cui auguſtiſsimũ Epheſinum, orbis miraculum, templum conſtituerunt? quid, inquam illa? gentile mali Genii idolum? quid ejus comites Fauni, Satyrj Salvani, venatorum numina? humani generis infenſiſsimi hoſtes, Diaboli? Illi primas venatorias pharetras inveniſſe, magicos jaculos Cephalo atque aliis ad perſequendas feras tradiſſe, ſemiferi Chironis belluinam ſcholã inſtituiſſe: Tartareas Dianæ aras humanis victimis imbuiſſe rectiſsimè dicuntur. Quid verò ex iſta perverſiſsima origine non malitiæ, quid non improbitatis, quid non peſsimorum morum in vitam humanam dimanaſte oportuit? Hinc illa Nimrodica tyrannis & immanitas: hinc illa Eſavi malignitas, & adverſus parentes, adverſus fratrem truculenta aſperitas: hinc illi Cyclopici clamores, à quibus nõ modò denſiſsima nemora, ſed etiam cœli ſidera refugiunt: hinc terribiles iſti ululatus: Cerberei canum latratus, & neſcio, quid non ſævum viſu & auditu in venatione humaniſque

moribus adverſum occurrat. Nihil in ea, quẽadmodum ad Lanfredum Epiſcopum pontifex ſcripſit, gravitate virili dignum: nihil moderatum; nihil quod ad ingenuam voluptatem referendum. Quid enim in ferarum luſtris, in urſorum latibulis, in luporum ſpeluncis, in aprorum volutabris, quid in vulpiũ cavernis, quod hominis aſpectu, nedum laborioſa inveſtigatione dignum? Quid verò nemorum perreptationes, quid vallium deſcenſus, quid montium & jugorum aſcenſus, quid anhelationes, quid percurſationes, & vitium defatigationes, quid nocturni ceſpites, quid hybernæ excubiæ, quid pernoctationes campeſtres, quid frigora pluviæ, quid nives venatorum habent, quo campi vir prudens poſſit? In vulnere dices, in ſanguine, in jugulatione, in excoriatione brutorum quippiam viro dignũ eſſe? Dignitate præibunt lanii, antecellent coqui & macellarii, quorum manus ab illis operibus nunquam conquieſcunt. At illos etiam Romanorum gravitas ob eam cauſam in fæcem ſordidorum hominum amandavit, & ab omni honorum luce dignitatisq; aditu longiſſimè removit. Quid igitur de illis ſtatuendum eſſe exiſtem9, qui eò indignitatis ſeſe ipſi abjiciunt, ut hominum ſocietate deſerta, oppidis & domo relicta, conjuge, liberis, propinquis, amicis & neceſſariis neglectis, veluti

belle

bello aliquo naturæ mortalium omniq; humanitati indicto, in ſolitudines & ſylvas ſeſe abdant, inter feras & viperas ætatem degant, urſos inclament, lupos provocent, cervos agitent, omnesq; ſenſus & cogitationes ſuas, omnes voces & ſonos ad belluas conferat, nunquam cum Deo, cum hominibus nunquam, cum beſtiis aſsiduò loquantur? beſtiis profectò ſimiliores quàm hominibus. Quid enim non belluinum in ill s? Belluinus immanitate & truculentia vultus: belluinus cogitatione animus: belluina clamore vox belluinus totius corporis impetus. Cervos & apros non modò interdiu oculis, manibus ac animis uſurpant: ſed & noctu eaſdem ſomniant: & ipſi non modò inter feras, ſed etiam in ipſis feris habitant. Hoc verè illud mutationis incredibilis genus eſt, quod in fabulis ingenioſiſſimæ vetuſtatis admiramur. Quid n. Centauri, quid Arcades, quid Lycaones, quid Actæones, quorum alii in equos, alii in urſos, in lupos alii, alii in cervinam formam converſi leguntur? Illi certè, quos cum Mithridate illo ſeptennali, in urbibus, familiis, id regnis & provinciis, in ſenatu, in gubernationis puppi amiſſos, & per ſylvas ac nemora cũ illo Virgiliano Metabo, longiſsimi temporis ſpatio errantes, cunctiſq; humanarũ rerũ curis exutos, belluarũ habitaculis nõ modò immorari,

ſed etiam inter feras immori videmus. Rem longè indigniſsimam! tanti æſtimari beſtiæ venationem, ut extra ſe ipſe ejus gratia animantium omnium dominus abeat, deſerat dominum, larem, urbem, deſerat, quæ omnium caritates complexa dicitur, rempub. deſerat officium, gubernationem, deſerat regnū ac imperium. Eſavi degeneris filii inſipientiam meritò ridemus, cùm ætatis ſuæ prærogativam, quæ nulli precio æſtimari poterat, cum lenticulis coctis permutaret. Quid verò in venatore non indignius, cùm etiam vitam ſuam capreoli morti poſthabeat? Quid enim periculi, quid incommodi, ut hoc primum ex iſtis nominem, quid infortunii capitalis in venatione non occurrit? hinc aper ferit, illinc lupus furit: hinc leo, illinc urſus ſævit: hinc montium præcipitia, illinc voragines & paludes exitium minantur: hinc nebula peſtem, illinc imbres & fulmina perniciem: hinc nimius calor, illinc nives nocent. Quod ne fabulæ quidē veterū prætermiſſum eam ob cauſam voluerunt, quò adumbratis & depictis venationis diſcriminibus, mortalium ſtudia quàm longiſſimè ab iis abducerentur. Quid enim Adonidis luctus? quid Erymanthii ſuis ſtrages? quid Actæonis canes? nihil aliud quàm venationis deteſtatio. Sed quid poëtarū documenta agant, cùm quæ triſtiſſimorum caſuum referti-

fertiſsima ſunt, omnium ætatum monumenta quotidianaq; experientæ ſpectacula exitioſiſsimum venandi æſtum reprimere & coërcere non poſſint? Quis enim Adraſti jaculum ignorat? quantum ex illo calamitatis, quantum ægritudinis in veteris Crœſi aula? Sed quid vetera longiùs ſcrutamur? domeſticis rei eventibus abundamus Germanorum, quos Cornelius ab antiquiſſimis temporibus huic vitio (ut pontifex de iiſdē teſtatur) deditos fuiſſe prodidit, annales intueamur. Adraſti veteris jaculum in Erneſtro Auſtriię antiquę Marchione eodem ferè fato & caſu repetitum ac iteratum deprehendemus. Cùm enim comes principis in aprum telum fortè direxiſſet, ictus ab errans Marchionem ſuſtulit. Quarum quidem infelicitatum ac luctuoſiſsimorum eventuum plenaiſsimi per omnes provincias ſaltus. pleniſſima juga ac tumuli, qui ſi loqui poſſent, innumerabiles nobis venationis caſus, triſtiſſimosq; interitus, & regum & principum ex ſola noſtra Germania memorarent. Illinc multorum cervices in perſequendo lepore fractas hic vertices in quercu colliſos: illic aprugno dente ſuras, hic alia amiſſa oſtenderent. Dixerim equidem nullam ferè illuſtriorem in imperio familiam eſſe, nullam nobiliorem domum, quę nobis domeſticum aliquem venationis caſum, mœſtiſſimumque funus profer-

re non poſſit. Quid enim? quæ ſummum Europæ faſtigium complectitur, quæque altera manu Orientem, altera Occidentem tenere dicitur, quæ intra quadringentos annos decē feliciſſimos gubernatores, & principum principes imperio dedit, familia Auſtriaca? quid, an non florentiſſimum ætate, ingenio, prudentia, felicitate, potentia, regnorumq́; amplitudine Philippum, Maximiliani filium, totius cum Germaniæ ac *Hiſpaniæ* acerbiſſimo mœrore, juvenem viginti octo annorum, infeliciſſimæ venationis fato amiſiſſe legitur? Cum enim, quemadmodum Hedio nobis prodidit, venationis æſtu ita incaluiſſet, ut nullo videretur reſtingui potu poſſe, jecore incenſo, pulmones obruiſſe, ſectionis medicæ indicio, deprehenſus fuit. Quis, cum triſtiſſimum illum caſum audiat, indignisſimā rem iſtā non execratur, cervum vilisſimum tanti principis occaſui cauſam dediſſe? in quo vniuerſi imperii totq́; Hiſpaniæ regnorum ſalus, omnisque reipub. anchora conſiſtebat? Dolendum profecto, non potuiſſe præſtantisſimum animi regem, patris Maximiliani Imperatoris extremo vitæ diſcrimine à venationis curſu abduci? Quid enim ille? nonne damas inſectando, ſilices & rupes altisſimas penetrando, in certisſimum animæ præcipitiū, excluſus omni humanæ opis ſpe, conjeciſſe ſeſe viſus, cum in

præ-

prærupto ſaxo pendens, in præſentiſsimę mortis retia, improvido venationis ſtudio perveniſſe ſeſe ipſe videret. At vidit idem imperator dilectiſsimam vitæ ſociam, quæ in hominnes id ætatis Dea eſſe videbatur, Mariam, potentiſsimam Burgundici imperii principem atque heredem unicam, in ipſo flore ævi primo, venationis (ô rem indigniſsimam! caſu in regi ſanguinis abortum, & ex eo in acerbiſſimam mortem incidiſſe. At neque triſtiſsimę hujus calamitatis memoria natum à pernitie fatali eadem revocare potuit. Sed & multis ante annis imperium Henricum Sextum eodem fere fato, quo Belgicus principatus Philippum, amiſerat. Noti fontes, nota flumina, ex quibus cum idem bibendo venatoriam ſitim ac æſtū ſedare voluiſſet, ſibi mortem, dolores ac luctus Germaniæ hauſerit. Quis præterea Ludovicum Bavarum non audivit inter ferarum vulnera, inter cervorum leporumq; ſtrages animā exhalaſſe? Quod quidē multis antea regibus potentiſsimis ſimiliter contigiſſe omniū fere gentium annales conteſtantur. Quot enim è Francicis veteribus, qui, ut Paradinus prodidit, cornib. Actæonis hęreditariis præditi fuerūt, inter venabula & retia periiſſe dicuntur? Celebris hoc fato interitus Ditperti regis factus eſt, cui cōtra Romanorū legiones fortiſsimas, uti conſtituerat, collata manu pugna-

pugnare, conſultius fuiſſet, quam in ſolitudine cum ferociſſimis utis dimicare. Nam cui neque Juſtiniani Cæſaris auſpicia & victoriæ metui, neque bellicoſiſſimorum ducum fortuna terrori erat, illi beſtia peſti fuiſſe cognoſcitur: beſtia fortiſſimum regem Franciæ ſuſtulit; quæ longo tempore poſt etiam Scotiæ ſuum principem Rubertum Bruſcum præſtantiſsimum in venatu extinxit. Noti præterea ex eadem Francia Lotharij ſucceſſoris graviſsimi dolores, noti cruciatus ſunt, quibus hauſta inter venandum ardentiſsima febre, exanimatus. Nota Carloni, Ludovico Balbo nati, acerrimo ingenio latiſsimaque indole adoleſcentis vulnera, quibus ab apro inflictis, incredili cum luctu univerſi regni ante diem deceſsit. Teſtes doloris publici colles & nemora Gallica: teſtes, ejuſdem in allis caſus, Alpes & luci Italiæ, Sed quid diſsitos longiùs montes atque ſylvas nomino? rupem in hac vicinia digito monſtrare poſſum, qui triſtiſtimi caſus memoriam, infeliciſsimæq; venationis luctum graviſsimum huic provinciæ, præcipitato, olim florentiſsimo annis & opibus, principe, allatum, continet. Hi ſunt illi nimirum egregii venationis fructus, hi laborum exitus, hæc clamorum præmia. Et quid aliud ex ſanguinolentis retibus reportari, quid ab immanibus, venabulis aliud, à cruentis ſagittis ac telis quid expe-

expectari poteſt, præter ſeviſsimas atque horrendas mortes? quę ſi abſterrere hominum animos, & à venationum præcipitiis, atq; exitiis abducere non poterint, tonitrus tamen & fulmina, cœleſtesq; ignes ac grandines venatorũ cornibus ac vociferationibus vahementiſsimè adverſantes pertimeſcant oportet, niſi immaniſsimis brutis ac belluis immaniores haberi velint, quarum etiã rabiem ac ſævitiã terribiles cœli fragoras incredibili pavore afficere vidẽtur. At quid fulgetra? quid fulmina Venationis damna agris & ſegetibus illata ipſamet ulciſcuntur, cùm ſæpęnumeró unius pulpamenti gratia ſpes maximæ meſſis conculcetur, ruſtra devaſtentur, ſata conterantur, agricolarum labores depaſcantur. Quod cùm in agro Conſtantienſi maxima cum calamitate ab Epiſcopi Hugonis venationibus accideret, cùm canes & equi, ut fieri ſolet, per medias ſegetes irruerunt, cùm culturam omnem everterent, culmos florentiſsimos protererẽt, irrita cœli injuriam intuentis inclementia, fulmine emiſſo, venatorem Epiſcopum, una cum octo miniſtris, tanquam Faunum cum Satyri ſuis extinxit, neque quadrupedibus & jumentis pepercit. Non deſunt autem ſingulis ætatibus, ſimilia eventa, quæ tum naturam cum omnibus ſuis clementis? tum ipſum naturæ gubernatorem Deum cum cœlo & terra

vehe-

vehementiſsime venationibus earumque injuriis ac damnis commoveri atque accendi teſtantur. Quæ enim tempeſtas, quæ grandinũ vis, qui impetus ventorum, quæ procellæ tantam affecere unquam peſtem, tantam calamitatem colonis apportare poſſunt, quantum non uni vico, non uni oppidulo, ſed populoſiſsimis provinciis una alendis ad venationis voluptatem feris conſecrata ſylva, unus Dianæ lucus nocere ſolet? Audiantur miſerorum agricolarum, quibus altiſsimum cœlum perrumpitur, querimoniæ: audiantur ipſius telluris ſuſpiria, & gemitus: Quod urbibus ac populis multis ſufficere in annonam poterat, nemus unum devorat; quod multa millia hominum paſcere, unum ſtabulum conſumit. Quid inde? deſeruntur villæ; relinquuntur inculta jugera: pagi in exilium aguntur: oppidis ac civitatibus alimenta detrahuntur: canibus, quæ mortalibus nata erant, objiciuntur. Atque hæc potiſsima etiam cauſa fuiſſe legitur, quæ patrum noſtrorum memoria agreſtium arma & furorem concitavit. *Sed* neque tantũ modo alienæ opes venationis cultu perdũtur, verum etiã ipſi Actæones á Moloſsis ſuis cõficiuntur. Quid enim iſti in fabulis morſus, quid laniatus venaticorũ canum, qui dominum ſuum dilacerant, laceratũ deglutiunt? Venationis rictum oſtendunt, quæ ampliſsimas

mas opes, copias, & facultates breviſsimo tempore abſumere ſolet; Quod cum uſuvenire ſibi venatorum immaniſsimus Iohannes, Mediolanenſium tyrannus, animadverteret, ne majorem rei familiaris jacturam faceret, voraciſsimos ſuos Moloſſos canesque venaticos, quos incredibili numero alebat, humanis carnibus, horrendum auditu! ſaginare inſtituebat, ſuaſore Giramo, venationis magiſtro, qui eam ob cauſam, cum ad ſacra deſcendiſſet, à populo in publica æde fruſtatim dilaniatus eſſe dicitur. Video animos veſtros, auditores, indignitate tanti ſceleris, vehementer commoveri: video vos Nimrodicam venationem incipere clariore luce intueri: video vos de illo ſanctiſsimi Auguſtini verbo altius recordari, qui graviſsime ſcripſiſſe legitur, eos, qui videant venatorem, & delectentur, viſuros ſervatorem, & contriſtaturos. Etſi itaque plurima alia ſint, quæ tam de publicis quam privatis incōmodis & calamitatibus ex venatione proficiſcentibus, dicere poſsim: nolim tamen, patientia veſtra abuſus, cogitationibus veſtris majores flāmas ſubijcere; nolim in maiorē invidiam venationis nomen vocare; de qua nihil, quod cum dignitate, cum virtute, cum vera laude & gloria, nihil, quod cum utilitate & ſalute reipub. communique bono conjunctum ſit, prædicari poſsit: Ornent igitur,

qui-

quicunque velint, urſorum capitibus poſtes & januas ſuas, ſi quicquam ornamenti ineſſe belluino cadaveri poterit, ornent atria & laquearia cervorum ramis, damarum corni-bus, dentes aprorum tholis ſuſpendant, venatorias ſtrages & victorias parietibus depingãt, nos, ſine hujus orationis factò, ſempiternæ poſteritatis memoriæ, illum illuſtriſsimi auctoris verſiculum commendatum relinquemus.

Non fera cerva placet: vera Minerva placet.

ORATIO XXI.

Recitata ab

RICHARDO DITHERO, MARCHICO.

Iulium Cæſarem juſtè eſſe imperfectum.

NEMINEM veſtrûm, auditores, ignorare arbitror, hunc per tot ætatum ſpatia ſermonem vulgi, atq; hanc etiã opinionem pop. Rom. fuiſſe, C. Julium Cæſarem injuſtè eſſe interfectum, idque omnibus in judiciis, in tribunalibus, in curiis fuiſſe pronunciatum. Quæ ſententia non idcirco ſolum emanavit, quòd quamplurimi Cæſaris partes ſecuti, omnibus ejus actionibus favebant, & novitatem rerum illarum

[quas

quas moliebatur, ſummoperè expetebât, mutationiq; reip. vehementer ſtudebant: verum etiãquod nemo quenquã tam audacẽ, tam cõfidentem, tam liberũ in diſſentiendo fore arbitraretur, qui nefariã, ut ab omnibus habita eſt cædem excuſare, aut tot præliis victos, & ultione quemadmodum judicata eſt, fatali deletos Caſſium ac Brutum defendere, aut os ſuum Cæſarianis ſucceſſorem, Auguſtis potentiſſimis, opponere auderet. Itaq; mihi videor admodum ægram ac prope depoſitam, & in Philippicis præliis, una cum ſuis auctoribus jugulatam cauſam ſuccepiſſe, eamq; ab inferis reſuſcitaſſe, cùm nullius hominis gratiæ, benevolentiæ, & favori, ſed veritati, ac virtutis exiſtimationi in ſerviendi ſtudio, hanc orationem inſtituerim. Acceſſi enim ad vulgarem illam opinionem minuendam vituperationemq; præclari illius facinoris tollendam, ut cùm hæc res pro voluntate Cæſarianorum fuerit olim judicata, nunc, eandem diligentiore inquiſitione examinata, atque benevolentiæ & gratiæ præſidio nudata ſuis momentis & auctoritatibus perpenderetur, atq; aliquando antiquæ huic controverſiæ, quæ etiamnum in hodiernis cũ judiciis, tum politicis ac juridicis conventibus agitatur, finis conſtitueretur. Velim igitur, Romani imperii cives, pauliſper oculos ac a-

nimos veſtros mecũ à Cæſarei nominis claritudine avertatis, neq; hebeſcete judicii veſtri acumẽ in ſplendore externo regiæ purpuræ, & majeſtatis amplitudine ſinatis, ſed rem ipſam quàm diligentiſſimè intelligatis, Primũ autem tyrannidis affectatę, cui à puero ſtuduerat, Cæſarem convincam: convictum juſtiſſimè interemptum eſſe oſtendã. Sed unde quæſo exordiar? unde initium ſumã? tam multa enim & magna mihi occurrunt facinora, ut, quid priore, quid poſteriore loco indicem, nõ facilè judicare poſſim. Quid n. mali aut fingi, aut excogitari poteſt, quod ille non animo conceperit, non effuderit, non conceptum peregerit? Nam ſi ingenium, ſi naturã, ſi indolem ejus ſpectes, quid quæſo à primis adoleſcentiæ rudimentis animadverti in illo potuit, præter libidinem, ambitionem, ſeditionẽ, crudelitatẽ, petulantiã, audaciã? qui neq; quẽpiã priorem, neq; parẽ ferre unquã potuerit, qui jura tum divina, tum humana imperandi gratia violari nefas nullum eſſe exiſtimarit. Ex his tot etenim vitiis conflatus eras, C. Cæſar, (loquar enim, ut etiam manes tui audiant) nihil apparebat in te ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudens, nihil liberale, Inficiari hæc non poteris, non enim ſurdis in hac re agam tecum teſtimoniis: cõvincit te legũ omniũ, & veterũ inſtitutorum facta à

te con-

re conculcatio: cõvincit te honorũ, quod prorogati tibi voluiſti, contra leges, violenta occupatio: convincit hoſtilis in Italiam facta expeditio: convincit urbis direptio: cõvincit ærarii ſpoliatio. teſtatur id tyrranidis & regni affectatio: teſtatur Pompejana perſecutio: teſtatur victoriæ tuę, ſi modò victoria dicenda eſt, inſolentia: accuſat te in effrenata tua, quam in omnibus provinciis, quas contra ſenatus auctoritatem, & populi Romani majeſtatem invaſiſti, privatim & publicè exercebas, libido accuſat, te Ptolemæi ex regno ejectio, & iniquiſſima profligatio: accuſat te dictaturæ perpetuæ, uſurpatio: diadematis impoſitio: accuſat te omnium ſenatorum & principum virorum in Republica oppreſſio. Ab his verò omnibus flagitiis, te neq; pudor, neq; pietas, neque majorum tuorum recordatio, neq; hominum fama unquam revocare potuit. Sed quid hoc mirum, cùm tyrannis omnibus commune ſit, ut veræ laudis & gloriæ guſtum nullum percipiant, & nihil omninò, quid de ſe poſteritas loquatur aut ſentiat, pēſi habeát. Ecquid verò jā imputes Bruto & Caſſio, quid quæſo nō laudabile, dignumq; majorib. ſuis illi deſignarũt, cũ antiquæ virtutis majorumq; ſuorũ Reip. liberatorũ & conſervatorũ recordatione excitati in ſenatu tyrannicè dominantem & Tarquinium alterũ ſpirantem, in ſella regia interfecerint? non quidem civem, nō virũ

Reipublicæ amantem, ſed labem, perniciem, & flammam imperii Romani ſuſtulerũt. Adeò clara hæc ſunt, auditores, ut non videatur cauſa egere alterius patroni voce: ſed ne quid deſiderari poſſit, multò clariora omnia reddam, ut vel ipſi Cæſariani fateri cogantur, nihil impietatis, nihil iniquitatis, nihil injuſtitiæ in illa nece fuiſſe, remunerandosq́; potius, quam perſequendos interfectores. Quid enim? illinè aliquam injuriam Cęſari intuliſſe videbuntur, qui jure, ſuo uſi ſunt, qui ſecundum priſcas leges, & inſtituta majorum ſanctiſsima tyrannum interfecerunt? Cujus ipſius vocis atrocitus tanta eſt, ut licet flagitioſorum hominum cogitationes nulla pœna leges perſequantur, ſed in ea ſolùm, quæ dicto, factove aperte in ſcelus erumpunt, animadvertant, ea tamen ſeveritate ſalus Reipub. munita ſit, ut contra imperium animo ſuſcepta flagitia, etſi affectum effectus non comitetur, in ſupplicium trahãtur. Video, auditores, vultꝰ ac animos veſtros commoveri: ea enim omnium bonorum, ac maximè patriæ amantium contra tyrannum odia ſunt, ut neq; nomen tyranni ſine graviſſima commotione & horrore quodam audiri poſsit. In eo itaq; cauſæ meæ arcem poſitam eſſe animadverto, ut cum tyrannum vobis nominaverim, tytannica illius facta ob oculos veſtros ſpeciatim ponam.

Vultis

Vultis igitur ut penitiùs hominē inſpiciendū vobis tradam? vultis illius cogitationes & conſilia, quę omnia ad evertendam Rempub. tanquam tela nefaria, intenta, vobis detegā? Sed quid detegam, quæ ipſe nunquam obſcurè præ ſe tulit? Nec enim occultare, ut multi facere ſolent, tyranni faciem voluit, ſed ut me tum omnibus objiceret, & ipſa larma immanitatis ſuæ animos omniū terreret, cogitationes ſuas nefarias, nefariis etiam vocib9 ſubinde emiſsis patefecit. Quid enim illud, quod ſępenumero ex illo auditum eſt, inter notus & ignotos, in curia, in circo, in campo, domi & foris, jus ſi violandum eſt, imperii gratia eſſe violandum? Sermonem autem, ajunt, animi indicem eſſe, quo, tanquam per ſpeculum cujusque natura conſpiciatur. Sed ne tam ſtrictè cum illo agamus, neq; tam verbis, quàm factis Tyrannum judicemus, videamus uti cogitationum ſuarum copias in apertam aciem eduxerit, & quod verbis jam antè oſtenderat, reipſa perfecerit. Aditum ut ſibi primo omnium ad reliqua, quæ animo deſtinaverat, aperiret, ſi quæ ſibi obſtaculo eſſe perſpiciebat, ad ea quovis modo removenda animum adjiciebat. Propterea enim Pompeium, qui ipſum auctoritate ſuperabat, virum de Republica optimè meritum, quem Sylla ob res præclarè geſtas Magnum appellabat, eique ſoli in Sena-

tu aſſurgebat, civili bello perſecutus eſt, immemor acceptorum ab ipſo beneficiorum, nec rationem ullam habuit, quòd opibus, quòd facultatibus, quòd honoribus ab ipſo auctus, & quod gener erat: Nec Magiſtratus juſſa verit9, qui, niſi cõmmunis Reip. hoſtis haberi, & cõtra patriã egiſſe, judicari vellet, exercitiũ ut dimitteret, edicebat. At quid illũ ſenatus juſſa, quid omnium hominũ ora, quid vultus deterrerent, quem neq; naturalis neceſsitudinis recordatio, non honeſtas, non fides, non conſcientia revocare ulla potuit? Nam quæ in fabulis etiam deteſtamur, in hoc in tyranno non adumbrata, ſed expreſſa videmus. Nec enim deſtitit fugientem generum perſequi, donec crudelitatem ſuam miſerè detruncati capitis ſanguine ſatiaret. Quæ verò tyranni ſigna alia ſunt, ſi hæc non eſſe videbuntur, in cognatum & propinquum, affinemq; ſanguinem æquè ac in hoſtilem ſævire? Sed ad alia feſtinat oratio. Nõ dicã quę in Ægypto tyrãnidis innatæ ſibi argumenta, reliquerit cũ Ptolemæo ut perfide egerit, ut heredẽ regno ejecerit, ut Cleopatram, cujus forma ad libidinem ſuam abuſus erat, introduxerit. Nolim ſtupra & flagitia reliqua, quæ infinita ſunt, commemorare: ita enim libidinoſis amoribus ſerviebat, ut cum aliis quã plurimis mulieribus, in quas incidebat, ſine diſcrimne libidinem exerceret. Ipſe

muli-

mulier; ob proſtratam adoleſcentiæ pudicitiam caſtrenſi dicterio appellatus: appellatus per contumeliam fornix Bithyniç, Nicomedis ſtabulū appellatus. At miror equidem C. Cæſar, quòd Ægyptiæ libidinis juſtas ac debitas pœnas Deo cum temporis, cùm nando evadebas, non perſolveris: Sed voluit ille more ſuo mulctam differre, illamq; alio tempore acerbiore irrogare. Hic enim divinæ vindictæ ordo, hic progreſſus, hęc natura eſt, ut quò ſerior, eò gravior irruat, oſtendatq; magnis eventibus, poſſe malos nonnunquam ſtare, ſed ſtare tamen, ut ad poſteritatis exemplum majore lapſu devolvantur, & intereant. Age jam C. Cæſar, ex Ægypto mecum Romam uſq; regredere, ubi in ampliſſimū locum perveneras, virq; ſenatorii ordinis factus fueras, propterea opinor, ut quid è re atque commodo Reipub. eſſet in eo ſtudium, operam, atque conſilium omne collocares, illamq́ne nō minueres ſed augeres, non invaderes, ſed hoſtem profligares, nō in aliū ſtatū mutares, ſed populi majeſtatē cōſervares, leges atq; inſtituta; nō abrogares, ſed confirmares. Sed ó egregiū, & majoribus ſuis ſimilem ſenatorem! ó conſervatorem præclarum, & poſteris imitandum! ô cuſtodem ovium, lupū? Tum ſcilicet Remp. augebas, cùm donaria, pecuniam, cæteraq; omnia ex Capitolio auferres, eaq; nō ad liberā-

dam, ſed opprimendam Remp. convertebas: cùm hoſtē à patria profligare debuiſſes, ipſe hoſtis eras, Italiam invadis, omnia vaſtas, omnia tuæ poteſtati ſubjicis: Tum mores & ſaluberrima majorum inſtituta conſervabas, cùm contra leges dictaturam arriperes: cum tot Conſules, quot tibi viſum erat, conſtitueres: cùm pridie Kal. Januarii alios, ipſis Kal. Januariis alios pro tua libidine deſignares. Sed quid ea reprehendo, quæ ad ſingularem Reip. curam pertinebant, cùm Conſules etiam eos Reip. præficeres, qui, ut Tullii teſtimonium eſt, in toto conſulatu ſuo ſomnū non viderent. Quid, quæſo, C. Cæſar, cùm in ſenatum venires, tuorumq; anteceſſorum imagines aſpiceres, & quomodo illi omnia conſilia ſua, ad Reipub. ſalutem dixerint, in mentem revocares, quid quæſo cogitabas? Si nulla lex, ſi nulla religio, ſi nullus exiſtimationis pudor, certè horum auctoritas, horum egregium exemplum, horum laus & gloria ad mentem ſaniorem te reducerę debuiſſent. Sed mortuorum hæc erant exempla, & fortaſsis præſentia magis curabas quàm, præterita & futura? nec unquam tibi in mentē veniebat, virtutem eſſe, quæ memoriam hominis immortalem faciat? Neque certè præſentia defuere exempla, quę te à propoſito tuo deterrere poterant. Intuere Catonē qui inter omnes ſuę ętatis viros, popularis ſta-

tus ſtu-

ſus ſtudioſiſſimus, animoq; firmiſſimo ac conſtantiſſimo erat, is filium ſuum ad te proficiſci jubebat, eiq;, ecquid non ipſe idem hoc faceret, interroganti ita reſpondebat: Ego quidem, inquit, in libertate vitæ, dicendiq, educatus, non poſſum nunc immutata vitæ ratione ſenex ſervituti me aſſuefacere: te verò, qui in hujuſmodi rerum ſtatu & natus es, & educatus, eam fortunam, quæ tibi obtigit, ample cti decet. His actis moriendum ſibi ante tuum adventum decrevit, ideoq; pugione, quam furtim ſub pulvinari repoſuerat, arrepto, vulnus ſibi infligebat, ex eoque exanguis factus, animam exhalabat. Sed nec viva nec mortua exempla nefarium tuum curſum impedire potuêre. Sed potius majora ad atrociora perpetranda calcaria addidere. Hinc tuorum facinorum quatuor continuis diebus triumphum agebas, in iiſque Arſinoën Ægyptiæ reginam (quod Romæ ante conſpectum nunquam fuerat) inter captivorum turbam, introducebas. Egregia certe victoria, quam de muliere reportaſti! quod alii nefas eſſe dicebant, cui victoriæ nullam laudem tribuebant, id tu ſummæ laudi tibi ducebas? Triumphos egi inquis? fecerunt idem alii & ante te, & poſt te. Triumphos egi non tales ut illi, longe alios, longe majores. Vere dicis, tui diverſi fuere ab illis; Illi enim de ſuis egregiis factis, tu de tuis egre-

giis facinoribus triumphabas: illi viros, tu fœminas debellatas introducebas. Peractis triũphis, rebus tuis ſecundis, ut fieri ſolet, inſoleſcebas, truculentiusq́; quàm antea te in munere obeundo gerebas: nam alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu utendum tibi eſſe arbitrabaris, id quod illuſtriſsimo declarabas exemplo. Cum enim quodã die in ſenatu, de ſummis ac multis tibi deferendis honoribus ſententiæ latæ eſſent, eosq́; unanimi conſenſu omnes decreviſſent, ad te in veſtibulo Veneris templi ſedentẽ, ut decreta hęc tibi nunciarent, accedebant. Sed quomodo ſenatũ, quomodo illos, qui tibi honores decreverant, excipiebas? Non aſurgebas, ſed ſedens ſenatum ad te venire patiebaris. O incredibilem inſolẽtiam! ô inflatã ſuperbiam! Quid Remp. ipſam tum temporis, cùm te ſenatũ ipſum, in quo ſumma poteſtas, ſumma majeſtas, deſpectui habere cerneret, cogitaſſe putas? an non ex his tuis dictis & factis acerbum dolorem hauſiſſe? an non toties illam ingemuiſſe & ſuſpiraſſe? an non extrema quæq́; ſibi præſagiiſſe? an non illam tacitè te illa voce allocutum eſſe arbitremur? Juli Cæſar quid agis? quid deliberas? quid dicis? quo animi tui procinctũ dirigis? quo cogitationũ tuarum mucronem convertis? quo conſiliorũ copias educis? quo vocis tuæ flammam emittis? neſcis in qua civitate natus ſis?

in qua

in qua Rep. degas? quæ non ſolùm regium aliquod facinus, ſed ne nomen ac animum, atque ne halitum quidem regium, & voculam minimam ferre poteſt. Egredere ex meis mœnibus, focos meos & aras relinque, ſi eo animo es, ut Syllam imitari, Cynnam & Marium exprimere velis: Egredere, patent portæ, proficiſcere, purga urbem, mecū jam verſari non potes diutius, non feram, non patiar. Si meos faſces invclare, & tuo arbitrio meas habenas moderari expetas, confer te ad exteros, & Barbarorum regna invade, nec populi mei libertatem periclitare. Nam neque nunc mihi Brutos meos deeſſe videbis. Sed nihil hæc ſalutaris Reip. admonitio, nihil auctoritas, nihil minæ effecerunt: tandem ad id quod tam diu celaverat, ſitienterque expetiverat, progreſſus, ab Antonio ſibi in conſpectu totius pop. Romani coronam & diadema regiū imponi patiebatur, honores & præmia ſuo arbitrio, quibus volebat, diſtribuebat: ſenatum tanquam mancipium tractabat: ſuæ libidini omnia ſubijciebat, eaq; ſuſcipiebat ac agebat, quæ neq; in regia poteſtate populus toleraſſet. An nō apertam Tyranni faciē omnia hęc ferebant. Sed regnum repudiavi, inquis, diadema in Capitolium remiſi, ſolum Jovem Romanorum regem pronunciavi. Aſtutè ſatis, ne aliquam ſiniſtram de te præberes regni affe-

ctati,

ctati, & tyrannidis ſuſpicionem. Age, quæſo quam bene conveniunt hæc: repudiare regnū regium nomen recuſare, & tamen cum tribuni plebis ei, qui primus regis nomine te appellaſſet, diem (quia populi libertas regium nomē non ferebat) dixiſſent, ingenti indignatione eam ob rem commovbaeris, in curiam eos adducebas, accuſabasque, ac ſententias de eorum pœna rogabas, tandem tribunatu illos ſpoliabas, ſenatuque movebas. Ecquæ, auditores optimi, illuſtriora tyranni teſtimonia eſſe poſſunt, ipſi vobiſcum omnia hæc perpendite, oculos mentis ac rationis aperite, conſcientiam veſtram ipſorum conſulite. Dubitatis adhuc tyrannum eſſe, qui ſociis ac civibus invitis, qui non cooptatus ab aliquo, nō populi ſuffragio, non ſorte, non hereditario jure, nō teſtamento, non juſto legitimoq; bello, non cœleſti aliquo oraculo creatus, Rempub. invaſit? Dubitatis adhuc eum ab univerſis & ſingulis occidi licere, qui vel regi legitimo poteſtatem extorqueat, vel in populari, aut optimatum ſtatu pro ſocio principem ſe ſua unius auctoritate ferat? Dubitatis adhuc, juſtene ſit interfectus, quem leges & antiquorū ſcripta occidi jubent, & maxima præmia interfectoribus proponūt? Quid de pulcherrimis omnibus factis illuſtrius eſſe poteſt, quàm vitam, famam, fortunas ac libertatem tenuium ac

innocentium hominum ab injuria potentiorum defendere ab tueri, quando judiciorum aditus omnes obſidentur? Fecit idem Hercules ille, qui pene terrarũ orbem emenſus, mõſtra teterrima, tyrannos, incredibili virtute necavit, populosq; innumerabiles, ab immanium beluarum dominatu vindicavit, qui pro talibus factis inDeorum numerum relatus eſt. Fecerunt idem Timoleon & Aratus, qui talia in Repub.ſua molientes, legum & inſtitutorũ veterum nervum incidentes, regni habenas invadentes, omnia pro libidine ſua adminiſtrantes,ex arcibus & ſedibus ſuis pertraxerũt, & in omnium conſpectu fuſtibus tanquam latrones publicos ad necem uſq; verberatos vita ſpoliarunt. Horum virtutes, horum imagines Brutus & Caſſius, reliquique ſocii non ſolum intuitu, ſed etiam imitati ſunt, ac patriæ liberatores extiterunt, neque eo exemplis ſolum adducti, ſed etiam jure optimo ac legibus.Lex enim Valeria, ut omnia cætera taceam, Cæſarianam cædem ut juſtiſſimam optimè defendit, illam primi iſti Reip. conſervatores, & libertatis æternæ fundatoresBrutus & Valerius ſanxerunt, & ſeveriſſimè contra novarum rerum cupiditates & tyrannidem tulerunt, ut ſi quis eo animo eſſe deprehenderetur, qui regni reducendi cogitatione ſeſe induerit, & libertatis minuendæ machinam inſtruxerit, impu-

impunè à quovis, nullo judicio, nulla actione præcedente, interficeretur, interfecti autem cauſa poſtea dijudicaretur. Audio ſuſurros adblandientium Cæſari, qui iniquam fuiſſe hanc legem clamant. Solonemq; hac in cauſa audire malint, qui cum judicio ſiſti ac judicari jubeat, qui tyrannidem affectat, ne innocentes & boni cives prius adverſariorum ſcelere ac injuris tyrannidis ſpecie ſuccumbant, quàm de rei veritate quæratur. Sed hi certè ſi majorũ prudentiam intelligerent, longe aliud ſentirent. Quid enim, an non Remp. putas, niſi hoc ita conſtitutum ſit, citius tyrannidis facibus deflagraturam, quam incendium ſemel conceptũ reſtingui poſſe videatur? tum vero Reipub. laboranti opem feres, cùm jam omnibus partibus injecta flamma neq; legis auxilium, neque actionis remedium ullum ſuperſit. Sed neque illam Solonis rationem probo. *Satis* enim illa Reipub. conſulta non videtur. Nam quis tyrannum cohortibus armatum in jus vocaret? quis hunc judicio ſiſteret, quis eo animo ſit, ut Reipublicæ omnia jura ſubvertat? quis arces ac propugnacula tenentem comprehendat? O nimis ferum Reipublicæ liberandę ſtudium! ô inanem & tarditate ſua inutilem operam! Prudentiores longe noſtri majores, qui cùm animadverterent, quoſdam populos non poſſe ſub obedientiæ jugo, niſi ſeveriſſimis

mis ſanctionibus contineri, ſingulari conſilio conſtituerunt, ut ſi qui vel rebelles, vel ſeditioſi, aut novarum rerum ſtudioſi notarentur, vel in ſuſpicionem certam traherentur, inaudita cauſa, mortis ſupplicio afficerentur, eorumq; conatus pœna anticiparentur. Nec enim ullo modo Reſp. ulla quieta & tuta eſſe ab amitioſorum hominum tempeſtatibus poteſt, niſi etiā cogitationes & conſilia perverſa tollantur. Sed quid ſuſpicionum pœnas ad Cæſaris cauſam confero, qui tyranni vultum non obſcure tulit, cujus ſingula facta L. Valeriæ pœnam ac ſeveritatem commerebant. Id vulgo etiam omnes intelligebant, illud depoſcebāt, Brutumq; & privatis conſiliis hortabantur, & publice incitabant, quia idem cum nobili illo Bruto, qui Tarquinios quondam ejecerat, nomen gerebat, quapropter ut ſimile facinus, generi ſuo convenientiſſimū, aggrederetur, excitabāt; id crebris literis, id nocturnis acclamationib. agebant: audiebantur enim quotidie voces: ô Brute, Brute. Brutū omnes requirebant, quicunq; libertatē patriæ à jugo novi regis vindicatā expectabant. Quin & maiorū ſtatuæ rei indignitatem deplorabant: quid enim illæ literæ? quid voces? quæ antiqui Bruti liberatoris primi imagini ſubſcriptæ inveniebantur, utinam Brute viveres. Quid tribunali Bruti inſcriptæ admonitiones illæ

Brute

Brute dormis at non es Brutus? nihil aliud quam ipſas leges, ipſa judicia, ipſam patriam & curiam Brutum & liberatorem deſiderare: Neque dubito ipſam Rempublicam Brutum ad egregium hoc facinus inſtigaſſe, quam ſi interrogemus quid ſibi de Cæſaris nece, & Bruti facinore videatur, nonne huncin modum reſponſurum eſſe arbitrabimur? Macte ſis antiqua virtute & avito animo Brute, qui in qua vivas civitate, & in qua Republica natus ſis, memor, libertatẽ meam tam alacriter & fortiter vindicaſti, qui ſolus ex tot millibus auſus es, antiqui tui Bruti exemplo, te Tarquinio redivivo opponere, & patriæ cervicem à tyrannide eripere. Quis vero tam infenſus mihi, & libertati meæ inimicus, qui factum tuum improbet? Quis tam deneger ab antiqua fortitudine, ut malit turpiter novo regi ſervire, quam tyrannum occidere? At vero quiſpiam adeo majorum ſuorum in hac Republica, qui animam ſuam pro libertate profuderũnt, oblitus? ut neſciat Sp Melium novis rebus ſtudentem à Q. Servilio Halal, manu ipſius eſſe interemptũ, eamq; ſummæ gloriæ ad omnem poſteritatem auctori fuiſſe? aut ignoret M. Fulvium cum liberis interfectũ, quod neſcio quas novas faces conijcere in me moliretur? Aut non audierit L. Saturninum & C. Servilium eandem fere ob cauſam eſſe trucidatum?

Quid enim? ſi ob ſuſpitiones neſcio quas, Gra-
chos meos ſublatos è medio graviſa ſim, non
læter, non triumphem, non tripudiem Cæſa-
rem, qui malo omine & prodigio non natus
in hanc lucem, ſed ex materna alvo cæſus, ut
omnia cædibus, & ſanguine compleret, eſſe
remotum? Nolim autem mihi quiſpiam
ejus merita recenſeat, ejus victorias enumeret
& populos quos ſubegerit, mihiq; adjecerit,
commemoret: quę omnia tanti non ſunt, ut
propterea Rempub. patriamq; ſuam contem-
ptui & ludibrio habere, *ejusq;* jura violare, li-
bertatemq; evertere debuerit. Nec verò adeò
præclara & reip, ſalutaria prælia ejus ulla fue-
runt. An in eo triumphos ejus & trophæa ſta-
tuam, quòd Pompejum meum virum omni-
bus ſeculis incomparabilem, fugaverit, & ad
interitum compulerit; quod civili ſanguine
totam *Italiam* & univerſas terrarum partes
compleverit, quòd omnia fana mea ſpoliave-
rit, quòd nihil non hoſtile, quocunq; arma
tulerit, egerit, quòd tot egregios viros pro-
ſcripſerit trucidarit. Sed comprimo me, neq;
enim ſine lacrymis doloris ſupremi facibus
illorũ temporũ cõmeminiſſe poſſum. His ſan-
ctiſſimis Reip. vocibus quis non cõmoveatur,
aut quis ſicã Bruti, quæ nõ humano, ſed divino
data atq; oblata cõſilio ſummoq; Reip. tẽpore
evaginata, omnis ſceleris cogitatione nõ libe-

quis cum Repub. non ſumma lætitia exultet, & tantam peſtem à cervice Imperii ſubmotam eſſe non gaudeat? Jaceat illa, jaceat Reipub. pernicies, & quem omnes tyranni ac legum contemptores, jurisq; divini ac humani violatores ſortiri ſolent, finem ac exitum habeat. Hæ ſunt tuæ, Pompei glorioſiſſimæ, quæ tibi debebantur à Repub. inferiæ, hæc tuæ divinitati victima, hæc aris tuis hoſtia ſacrificanda, erat hanc faſces & ſecures *Romanæ*, ludibrii & contumeliiæ veſtræ, vindictam repoſcitis. Tu verò Brutè, ſi nullum alium fructum hujus tuæ fortitudinis, & avitæ virtutis, tum tamen maximum cepiſti, quo die populus Romanus, Senatus, curia, *R*eſpub. ipſa tibi de tam egregio facinore gratulabantur; & quod priſtinę libertati reſtituti quod omni timore & ſervitute liberati, quod jura, quod leges, quod ſtatuta antiqua ipſius reddita erant, tibi ſoli acceptum referre cogebantur. O diem glorioſiſſimã, quæ omnibus ſeculis, & lõgiſsimis ævi temporibus anteferenda, quæ conſcientiam tuam ad manes uſq; comitatur. Quid enim eſt, quod memoriam veſtram, Brute & Caſsi, poſteritati inteſtam ac odioſam reddere, aut quod vobis furias objicere, quod gloriam tanti facinoris imminuere ac obſcurare poſſit? Interfeciſtis Cæſarem? tyrannum è medio ſuſtuliſtis: Interfeciſtis Cæſarẽ? Rempubl.

pub, liberaſtis ſervitutem oppreſsiſtis libertatem conſervaſtis: Interfeciſtis Cæſarem? legibus optemperaſtis, legis vim ac poteſtatem exercuiſtis? Interfeciſtis Cæſarem? Medicos præclariſſimos Reipub. vos præſtitiſtis, vomicam, & peſtem civitatis ferro veſtro ſaluberrimè exſcidiſtis.

ORATIO XXII.

Recitata à

GODEFRIDO SCHVRFIO LUBECENSI.

Cajum Iulium Cæſarem injuſtè eſſe trucidatum.

CUm viderem propter egregiam, & propè divinam C. Cæſaris in ſalute Reip. cuſtodienda fidem, & in hoc imperio, quod cœleſti providentia ad majores noſtros translatum ad hæc uſq; tempora Germanica felicitate gubernatur, propagando ac amplificando induſtriam atque incredibile ſtudium & propter virtutes, tum bellicas tum togatas ſummoperè admirandas, nec non ingenii ubertatem florentiſsimam, monumentaq; poſteritati relicta utiliſſima, & quod omnium maximum eſt, propter Cæſarei nominis continuatam majeſtatem ac amplitudinẽ, tam multos & bonos viros ejus honoris eſſe

non modò fautores, ſed etiam interitus miſerabilis vindices ac ultores, cauſæq; defenſores graviſſimos, capiebam equidem animo non mediocrem voluptatem, quod, cujus officium omnibus ſaluti, & cujus inſtitutum univerſo imperio noſtro feliciſſimum & ſalutiſſimū exſtitiſſet, ei, temporum noſtrorum memoriā ſuffragari animadverterem. Cùm autem nunc cognoſcam, eſſe etiam ex noſtris nonnullos, qui interfectoribus ejus patrocinium præſtent cauſamq; ejus omnib9 modis infeſtā reddant, atq; ſicam illam immaniſſimam, qua miſerabiliter ac iniquiſſimè patriæ pater interemptꝰ eſt, acerrimè defendant, ideo, commilitones, & acerbè fero, ſi ob eam cauſam ejus interitus factus ſit infeſtior, quòd is imperii noſtri ſalutem, atq; hanc Reipub. dignitatem fortunāq;, in qua nos omnes collocati ſumus, vitæ ſuæ periculo, primùm omnium acquiſiverit, ſanguinemq; pro laudiſsimi huj9 monarchici ſtatus inſtitutione & cuſtodia profuderit. Sed recreat viciſſim & reficit conſpectus veſter mentem meam, auditores, maximoperè, cum intueor & contemplor unumquemq; veſtrū: Video enim in hoc in conſeſſu eſſe neminem, quem habita contra Cæſarem oratio non effecerit triſtiorem, cui non optimè de Reipub. meriti principis truculentus occaſus curæ & dolori ſit, cui non ejus innocentia ob oculos

clariſſimè verſetur. *Itaque* non extimeſco, ne acerbiſſima doctiſſimi viri oratio meæ apud vos orationi obſit, quæ ſententiam de C. Julii Cæſaris iniquiſsima interfectione non ex vulgi opinione deſumptam, neque ex Cæſariano-rum contentionibus allatam, ſed è ſinu æquitatis & juſtitiæ depromptam, omnibus rationibus probatiſsimā faciet. Atque ut primùm vobis indolem ingenii, annosq; adoleſcentiæ, quam adverſarius tanquam univerſæ ætatis fundamentum labefactare atq; corrumpere conatur, ab objectis criminibus liberos atque immunes oſtendam: quod benè traductæ juventutis argumentum validius, quàm totius Reipub. teſtimonium afferam? quæ cùm annalibus legibus grandiorem ętatem ad majora civitatis munera obeunda conſtitutam haberet, in C. Cæſaris etiam immaturis honoribus decernendis, cenſuit illud, quod ipſe ſicariorũ defenſor Cicero ſcriptum reliquit, ab excellenti eximiaq; virtute progreſſum ætatis non exſpectari oportere. Quod certè optandum eſſet, ut de omnibus, qui ad ſpem imperii adoleſcãt, ex hujus adoleſcentis exemplo, ſtatui ac prædicare poſsit, cujus ab ineunte ętate mirifica ac planè heroica indoles atq; natura animi adverſa, ut queadmodũ priſca heroũ ætate, Decii, Rulli, Corvini, Africanꝰ Flaminiꝰ admodũ

adoleſcentes ad conſulatus dignitatem evecti fuerunt. Itidem de Cæſare judicatum prudentiſſimè ſit, virtutis quàm ætatis curſum in illo eſſe celeriorem. Quæ major adoleſcentiæ haberi commendatio poterit, quàm earum virtutum, quas in maturo ingenio admiramur, non modò florentiſsimam ſpem atq; exſpectationem, ſed uberrimam ſegetem ac fructũ ante lanuginem primam oſtendiſſe, annorumque ſpacia velocitate prudentiæ, atq; fortitudinis antevertiſſe? Tanta verò in adoleſcente erat magnanimitas, tanta virtutis confidentia animiq; conſtantis & erecti fiducia, ut nihil ſibi unquam pecunia, nihil gratia, nihil altitudine ſanguinis, nihil favore amicorum ambiendum, nihil conſequendũ arbitraretur; cùm in ſola virtute omnis gloriæ ac ſolidæ laudis, cujus natura cupidiſsimus erat, cumpendiariam viam repoſitam eſſe exiſtimaret, palamq; clariſsima voce profiteretur, qui Cæſarem rerum geſtarum gloria ac dignitate in urbe ſuperaret ac antecelleret, paſſurum ſe eſſe neminem. Peſtem, inquis; peſtem eſſe hanc vocem, nec tolerandam in Repub. Abeſto verbo invidia, abeſto calumnioſa interpretatio: nihil in ea voce ſuperbiæ, nihil ambitionis nihil inſolentiæ: Heroici animi magnitudo eſt, ſummæque virtutis alacritas, inſitæq; fortitudinis, confidentia, quæ ſibi ipſa ſtimulos ac calcaria

facesq;

faceſque addit, laudemq; potius, quàm vituperationẽ in tã generoſo animo meretur: In alto ſiquidem poſitum non altè ſapere difficile eſt. Quid enim ille, quẽ plenis voluminib9 eſſe ũt, Magnus Alexander? cujus divinitus incitatus animus non unum orbem victoriarũ curriculo percurrendum ſubjiciendnmque expetebat; cui cùm Darius dimidiatum cùm æquali majeſtate ac potentià offerret regnum repudiata conditione; mundum, inquit, duos dominos, quemamodum duos ſoles cœlum, ferre non poſſe. At hujus magnitudinem Julius imitandam ſibi propoſuerat, animo longè celſiore, quàm Epirotarũ Pyrrhus, omnesque alii, qui Macedonis veſtigiis eniti ad ſumma rerum faſtigia ſunt conati. Quid verò Cæſar aliud egiſſe, quid pronunciaſſe dicend9 quàm quód ſummi quique viri, quorũ ſtudia ac labores incitatiſsimo gradu ad gloriæ cupiditatem, laudisq; præclaræ præmiũ, atq; nominis immortalitatem converſi? Trahimur namq; omnes laudis ſtudio, & optimus quiſq; maximè gloria ducitur. Huc omnis Cęſaris reliqua vita, huc omne ſtudium, omnis cogitatio, cùm ita ille ſeſe inſtruxiſſet, ut nemo libidines refrenare, iracundiam cohibere, nemo ſpernere voluptates, coercere avaritiem, cæterasq; animi labes magis repellere poſſet. Quid enim unquam in eo ſordium, quid vi-

tioſæ cupiditatis notatum? in quo animus ab omni avaritia, quæ virorum cunctorum ſtirpem continere ſolet, alieniſsimus, cùm non modò pecuniam nullam unquam appetiverit, ſed etiam grandem à Catullo aliisq; oblatam ſummam, veterum exemplo, rejecerit. Quis verò unquam Romæ liberalior erga amicos, erga milites, erga quoſque optimè de Repub. meritos? Ducentis ac quinquaginta H.S. tres à Pompejo acceptas legiones donabat: munere affectas remittebat; Curionem gravi ære liberabat: Paulo Cos. trecenta ſexaginta H. S. numerabat: neque alium ſeſe opum ac copiarum uſum habere demonſtrabat, quàm ut Reip. emolumento honoriq; illæ inſervirent. Quid verò in reliqua ejus vita diſsimile? quanta laborum etiam ultra corporis vires ab ineunte ætate tolerantia? quātæ peregrinationes? quæ vehicula? quæ itinera? quanta voluptatum omnium contemptio? quanta otii & ſomni fuga? In lectica atq; in curru ſomnum capiebat, ne vel inter dormiendum otioſus eſſet. Frigoris ac æſtus juxta patiens majorem militum quam ſui rationem in itinerum difficultatibus ſublevandis, in fatigationibus reficiendis, in hoſpitiis in lectulis, in ſtratis curandis habebat. Magna vi tempeſtatis inter eundū aliquādo obrutus, plurimūq; de-

de via laſſus, cum anguſtū tuguriolum, quod uni vix capiendo eſſet, attigiſſet, optimis inquiens, concedenda honeſtiora, neceſſaria vero infirmis, conclave Oppio cuidam ceſſit, atque ipſe in oſtii veſtibulo inſtar gregarii militis pernoctavit. Quod Alexandrum Macedonem cumulatiſſimum gloria ac laude reddidit, cum neſcio quem militem frigoris acrimonia diſſolutum, ad caminum & ad ignes juxta ſe in regia ſede collocaſſet. Quid hoc? an non, quod multo majus eſt, majorem Julio noſtro commendationem afferat? quod, ut aliorum commodis ſtuderet, omnibus ipſe ſeſe commoditatibus privavit? Sed nec exiſtimandum eſt, ſub ſpecie & fucato prætextu virtutis vitia eum diſſimulaſſe: Etſi enim veris quandoque falſa admixta, tantaq; ſimilitudine coniuncta ſint, ut nulla fere judicandi, nulla arbitrandi nota relinquatur: fieri tamē nullo modo poterit, ut quicquam ſimulatum diuturnum eſſe queat. Quid enim tam obſitum tectorio, quid tam obductum ullis pigmentis ac coloribus, quod temporū intervallo in faciem priorem priſtinamq; formā, delapſo lomento, non revertatur? Ea erat in hoc principe per omnem ætatem animi conſtantia, ea morum vitæq; conformitas, ea conſonātia, ut quæ à prima adoleſcētia conſpecta oris gravitas, quæ integritas, qui candor, quæ fides, quæ

manſuetudo ejus, ad extremum vſq; vitæ ſpiritum permanſerint. Sed nec alium eum multiplicis doctrinæ, quibus à pueritia inſtitutus erat, ſtudia, eſſe ſinebant; quibus percipiendis tam felici ingenio erat, ut quicquid ſcientiæ altioris ingenuæque artis haberetur, non tam à magiſtris & præceptoribus accepiſſe, quam ex ſeipſo hauſiſſe, ac ſecundum Platonis ſententiam, reminiſcendo recoluiſſe videretur. Jamque omnium hominum oculos & ora in ſe unum noſter Julius converterat, in quo omnium virtutum prope abſolutum exemplar conſpiciendum ac imitandum præberetur; Eratque omnibus ordinibus charus ac acceptus, ab omnibus magno ſtudio obſervabatur, imò in oculis ferebatur, cunctis ab unius ſalute totius Reipub. ſalutem pendere exiſtimantibus. Confirmavit eam populi ſententiã univerſus *Senatus*, qui quam honorificè de Cæſare ſentiret, ampliſſimis teſtatum muneribus fecit. Comprobavit totius civitatis multitudo, cuius ſuffragio nulli non clariſſimorum virorum eſt prælatus. Quid vero Pompeius, qui tum Reipub. auctoritatem prope omnem quaſi in humeris ſuis ferebat? Nullam ille acceſſionem ſuæ & felicitatis & nominis & dignitatis maiorem poſſe fieri cenſebat, quã ſi non modo amicus, ſed gener Cæſaris eſſe poſſet, cujus ultra majorum omnium veſtigia

virtu-

virtutem expreſſam videbat. Quamprimum enim ſumpta virili toga rebus intereſſe & præeſſe majoribus potuit, omnes ille animi nervos ad Reipub. amplificationem ac gloriam contulit. Teſtabuntur illud victoriæ ac trophæa Galliæ, in qua non integrum decennium verſatus, plures, quam octoginta urbes cepit, atque cum ter millies millibus hoſtium congreſſus, incredibilem multitudinem delevit, plurimasque nationes Romanorum poteſtati ſubjecit. Teſtabitur idem Helvetia, ejuſque cædes ac clades, juga & rupes loquentur, quibus audacia fortiſſimorum hominum repulſa, impetus in provinciam irruentium repreſſus, ſpes, quam concrematis domi fortunis ac domiciliis, de occupanda aliena poſſeſſione hoſtes ſibi fecerant, ita extincta, ut ducentis fere millibus interfectis, ſi quid reliquiarum erat, in priores ſedes deſertosque colles ſeſe abdiderint. Qua victoria quid præclarius, quid ad tranquillitatem reipublicæ nominiſq; Romani gloriam comparari ſtabilius unquã potuit? Combuſtæ domus ab invitis iterum è cineribus excitatæ: derelicta loca occupata: regiones novis præſidiis munitæ: Germanorum viæ, quę per oras lare orbatas in provinciã patebant, intercluſæ; ne tam facili aditu bellicoſiſſima natio, quã non aliter ac veteres Pœnos atque Hannibalis copias Romani metuebant,

irrum-

irrumpere poſſet. Quid verò memorem, quãta celeritate Belgas Gallorum potentiſſimos in ordinem Cæſar redegerit, ſeditionem in primis igniculis compreſſerit, factiones extinxerit, tanta edita ſtrage, ut non niſi per inundantes fluvios palúdesq; militi tranſitus pateſceret. Quid Nervios dicam, quorum omnes prope nervi ac vires, omne robur, omnis potẽtia deleta; quæ urbi maximè poſt Cannenſem cladem terribilis extitit: Neque verò tantum formidinis, Carthago imperii æmula, non Pyrrhus, non Cimber tantũ reipub. attulit, quantum illa plurimarum gentium longe fortiſſimarum conſpiratio, quarum omnia conſilia ad interitum urbis validiſſimo jaculo converſa: At nullibi tum in alio, quam in Cæſare, reipub. perfugium conſiſtebat: In ſolo Cæſare omnis ſpes, omne præſidium erat collocatum. Quid vero ille? quem nunquam virtus atque felicitas cum maxima rerum experientia conjuncta in ſubeundis pro patriæ ſalute laboribus deſeruerat, ei neq; tum fortitudo rerumque proſperitas defuit. cùm uno atque altero prælio hoſtibus fuſis, fugatis, diſſipatis, Senatum populumque Romanum omni eo metu, atq; rempub. maximo periculo liberaret. Tum verò Cæſaris nomen cœlo uſque efferri; laudes incredibiles ejus prædicari: honores ei divini haberi: decernebatur, quod nunquam

antea

antea factum erat, quindecim dierum ſupplicatio. Hinc, uti fieri ſolet, rebus feliciſſimis oborta, quæ virtutem ut plurimum comitatur, invidia; quam præſtantiſſimus quiſque effugere non potuit: hinc tot inimicorum conſpirationes, æmulorum calumniæ, hominum malorum injuriæ; odia & ſimultates: quæ tandem in apertum bellum, tanquam per vomicam perniciofiſsimam reipub. eruperunt. Sed quemadmodum Herculem in fabula legimus nullo æſtu, nullo labore potuiſſe defatigari, nullis periculis exhauriri atque obrui; ita Cæſaris gloria ac exiſtimatio ex inimicorum contentionibus & præliis magis magisque aucta, & eo tandem eſt evecta, ut æmulis ac hoſtibus ſubverſis, virtus atque felicitas ejus ad ſummum honis gradum emerſerit, lætiſsimumque majeſtatis imperatoriæ initium conſtituerit. Sed quoniam in hujus belli cauſis exituq; recte exponendo, omnis noſtræ quæſtionis cardo vertitur, percipite quæſo, auditores, veriſsimam rerum geſtarum memoriam. Cum indies gloria atque potentia Cæſaris magis magisq; creſceret, utpote qui jam omnes omnium ætatum duces rerum magnitudine ſuperaverat, aut certe iis ſeſe adæquauerat, magnam illud æmulis ac inimicis ejus ægritudinem atque dolorem, inprimis verò Pompejo attulit, qui jam pridem eum evertere in animo habebat.

Quid

Quid vero fit? Cæſari per legatos è Gallia conſulatu & provinciarum prorogationem petenti, vehementiſſime reſiſtitur: antiqua & plurimis ab annis antiquata lex, de non habenda ratione abſentis in conſulatus petitione, prætenditur: machinæque omnes, quibus veteris hujus legis autoritas reduci atque conſervari, Cæſarisque conſilium opprimi, poteſtas enervari, dignitas imminui poſſit, ſũmis viribus impediendæ abſentis petitioni adhibentur. Accedebant præterea graves calumniæ atque convicia; ac ut odii adverſus Cæſarem flagrantia fieret manifeſtior, Novocomenſibus ab ipſo datum, civitatis jus ademerunt, virumque ejus loci ſenatorium virgis cędi juſſerunt, eique, ut iſta Cæſari referret, mãdaverunt. At quo animo ille tantam contumeliam pertulit? Nihil neque acerbe dixit, neque fecit, ne tum quidem, cum, ut à provincia diſcederet, urgeretur, quicquam aliud contendit, quam ut Pompeius, quem ſibi infenſiſſimum eſſe non ignorabat, arma ante relictam provinciã deponeret. Sed ne hoc quidem impetrare ullis rationibus potuit. Quantoq; ille magis de jure ſuo ceſsit, tanto illi vehemẽtius fremere, hoſtẽmq; reipub. clamare, niſi juſſui illico parere ſit paratus. Quibus cũ ſibi tantis ſeptus anguſtiis, certum interitũ imminere animadverteret, ſumma neceſsitate eo addu-

adductus Cæſar eſt, ut quod omnia divina & humana jura ei concedebant, vim vi illatam repelleret. Quid ergo? Summa, quam omnibus negotiis ſuis adhibeat, celeritate, occupatis antea munitisque nonnullis oppidis, Romam recta via contendit; urbem cum exercitu ingreditur, rerumque ſumma, redactis in poteſtatem omnibus, potitur, tantamque erga cives clementiam exercet, ut nemo, non dico, inſectus, ſed ne quidem vulneratus, nemo focis, nemo domiciliis, nemo fortunis ſuis pulſus fuerit, omnibus eo conſiliis fructuque ampliſsimæ victoriæ converſo, ut armis depoſitis, pax atque concordia ciuilis conſervaretur. Quamobrem ſuſcepta in Hiſpaniam profectione, cum duces Pompeianos feliciter profligaſſet, Romam reverſus à frequentiſsimo Senatu Dictator & ſecundum Conſul creatus eſt. Sed quid ille? Dictatura, cum eius poteſtate, ad conſtituendas res valde Reipub necesſarias optime uſus eſſet, cum quæ detrimento videbatur ſaluti publicæ eſſe, mutaſſet, abrogaſſet, ultro ſeſe undecimo die poſt abdicavit. Quid inde? cum omnem ſibi tranquillitatis quietisq; ſpem eſſe præciſam cerneret aſcito collega Servilio Iſaurico, bellum continuare cõſtituit: Egreditur; unũ atq; alterum prælium cõmittitur: meliori cauſſæ felicitas opitulatur; hoſtis cæditur. Pompejus in Ægyptum

ptum fuga eijcitur: ab hoſpite rege ibidem interficitur: Pharſalica victoria Cæſarem complectitur. Fit ille Romam regreſſus tertium legitime Conſul, quo anno devictis cæſiſque Pompeij reliquiis, extremam bello civili manum impoſuit. Interea vero cum in urbe deliberari cœptum eſſet ac pervideri, quam pernicioſa, quamq; difficultatibus obnoxia multorum adminiſtratio in repub. eſſet, unum ſenatus perſpiciebat, & remedium conſervandi imperii ſupereſſe illud quo jam ſubinde tanquam ex incendio ac è cineribus reſpub. eſſet erepta. Quid fit? Cæſarem totius Reipub. caput conſtituunt, omnemque rei ſummam uni committunt: ac perpetuum Dictatorem renunciant. Hic, auditores, omnis cauſa, hic rerum caput eſt: Adeſte & judicate ipſi, quid indignum Romana virtute Cæſar noſter commiſerit: Bellum patriæ intulit: tyrannidem in urbem reduxit: Tarquiniorum regnum retulit: ſtatum Reipub. evertit: Abſint, abſint iſta longiſsime ab optime meriti Principis natura, ab inſtitutis, à moribus, ab omni eius actione & conſilio. Illéne bellum patriæ? qui tot incōmoda, tot pericula, tot æſtus ac labores, pro dignitate eius conſervanda ſuſtinuit? Ille tyrannidē? qui nullum magiſtratū niſi legitime iniit, qui omnia ſua conſilia, omnes vires ac robora ad libertatem ſalutemq; populi

con-

convertit, ne infimi à potentioribus, potentiores à multitudine opprimerentur. Quid ille quod tyrannorum eſt, unquam egit? quid molitus eſt? tyrannus non niſi propria emolumēta venatur: omnia ſuis libidinibus æſtimat: honeſtatem utilitati poſtponit, voluptatem ſuam rebus omnibus antefert tyrannus: At quid horum Cæſar, unquam? qui omnes ſuos conatus ad augendam ad ſtabiliendam remp. conferebat: omnes meditationes ſuas, ut imperio ſalutares eſſent, inſtituebat? ad honeſtum in omnibus actionibus reſpiciebat: Ille ſtatum reip. everteret, qui nihil aliud optaſſe auditus, quàm ut priſtino ſtatu, quàm diutiſſimè Quiritum potentia floreret? Ille regnum affectaverit? qui ut ſuſpitione regni effugeret, ne quidem legitimam dictaturam ultra undecimam diem retinuit? At cui unquam optabilior occupandi regni occaſio oblata, cui in manum data major oportunitas, quàm tum, cùm omnia ejus abſolutæ poteſtati ſubjicerentur, Eripi ſibi, puto ille è manibus poteſtatem tantam paſſus fuiſſet, ſi ejus perfruendæ amore fuiſſet captus. At ille, cùm Dictator eſſet, Conſul fieri maluit: cùm ſolus rerum potiretur, collegam & conſortem imperii eligi & adjungi ſibi voluit, ut haberet, à quo, ſi qua limites tranſiiſſet, in viam revocaretur coërceretur. Quod verò documentū

conſervandi ſtatus illuſtrius eſſe poteſt, quàm quod cùm publicè Rex ſalutaretur, ſeveriſſima voce reſponderet: Cæſarem ſe, non regem eſſe. O modeſtiam inauditam, continentiam veteri ævo incognitam! Prodeant Fabritii, reviviſcant Cincii, redeant Curii, ſurgant Æmilij, omneſque alii, quorum continentia in veteri admiratione verſatur. Quotusquiſq; eorum regnum oblatum reſpuiſſet, coronam ſibi impoſitam à capite removiſſet, diadema projeciſſet? Sed tamen, inquis, Dictatorem ſe creari voluit! facinus ſcilicet expiandum morte. ! Vereor equidem, ne quis tum reip. ſtatus, quæ conditio fuerit, non intelligas: Quid enim? Cùm omnia diſſoluta diſturbataq; eſſent, in campo, in foro, in curia, omnia confuſa, nullus judiciorum locus, nulla juſtitiæ æquitatisque ratio habetur, quomodo, quæſo, priſtinum decus & ornamentum reip. recuperari, jura ac leges reſtitui, auctoritas revocari, dignitas conſervari potuit, niſi dictatura, tanquam extremum reipub. remedium atque anchora ſalutis acceſſiſſet? Lectus itaque hic magiſtratus eſt, qui remp. in ordinem redigeret, ſenatum ordinaret, jura conſtitueres, leges reformaret. Atq; in hac difficultate reſpub. conſtituta hãc vocem, ſi loqui potuit, emiſiſſe videtur: Quò miſeriarũ redigor mundi domina? quis tandẽ clamitatum mearum futurus finis? quis priſti-

næ majeſtatis mihi decus reſtituet? O maximè Cęſar, quid agit? vivis Julią progenies? vivis, & mori rempub. te vivente ſinis? quid eſt quòd tot populorum ſanguine injuriam meam tam acerbè olim vindicaveris, fines meos amplificaveris, nationes atque gentes imperio ſubjugaveris? Quorſum iſta tua prælia, quorſum labores, ac trophea ſpectabant? quid commoditatis inde percepi, quid fructus conſequuta ſum, ſi internis me tumultibus ac fluctibus obrui atque interire patiaris? Vides quibus tempeſtatibus concuſſa mea navis ſit, nec prota nec puppis integra, nulla anchora, nulla antenua, nulla vela: Vides clavum gubernatore petito vacuum, vides extrema omnia imminere: At tu vivis, & hæc vides? Ideóne te tantas ad dignitates extuli, auctoritate tanta armavi, virtute atq; fortitudine omnibus aliis prætuli, gloriam ac laudem tuã amplificavi, ut meo ſqualori & occaſui ipſe inſultares, ac cùm in priſtinum dignitatis gradum reſtituere poſſes totam me penitus conculcari atque mergi paterėris? Hæ ipſius patrię voces, hæ invitationes hæc incitaméta præclara fuerunt. Impius profectò Cæſar, ſi parenti non paruiſſet, ſi odiũ, ac invidiã paucorũ magis reformidare, quàm ne reipub. ſalus in extremũ diſcrimen adduceretur, timere voluiſſet. Impius ſi ad aliorũ potiꝰ ſeſe gratiã, quàm ad commune bonũ tuendum con-

convertere maluiſſet. Quid verò? in extremo periculo conſtitutam, atque omni præſidio nudatam navim, ſi quis quaſi de cœlo delapſus moderator è ſyrtibus ac ſcopulis ereptam, in portum optatum reducat, laceratam reficiat, vectores mercemq; conſervet, quis non ſervatorem iſtum ſummis laudibus æternisque beneficiis afficiat? At quid Cęſaris in rempub. merita diverſum habent? quid ille ad extremam vitæ horam non egit, quod reipub. ſalutare fuit, qui eo ipſo die, cùm interemptus eſt, publici tuendi boni cauſſa in ſenatum venit: Quid, Brute, ea re te ille læſit, quòd reipub. conſultum princeps reipub. venit? In ſellam ſuam ſe recepit? Iſtud, Brute, te offendit, quòd ad clavum reip, optimus gubernator ſe contulit? Quicquamne in ea tyrannicum? quicquâmne eſt, quod ante ipſum non alii pariter fecerint? Venit ut conſul, ut ſenator, ſine armis, ſine telis. At tu ut tyrannus, ut parricida, ut ſicarius, ut latro, qui domi meditatũ ſcelus, præparatamq; ſicam attuleras: O inauditũ facinus & nullis ſeculis delebile ſcelus! Qui te in filium ore paterno compellat, paternoque animo ab adoleſcentia proſequitur, Brute, illũ tu crudeliter occidis, qui te neq; verbo ullo, neq; tuos unquã lęſerat, cũ tu in curia. in conſpectu Reip, tanquã piaculũ in ara mactas & jugulas? qui ſummus reip. princeps, optimusq;

muſq; patriæ pater ab omnibus bonis habitus eſt? judicent omnes nationes ac gentes, omnes civitates, omnes omnium terrarum curię, judicet omnium bonorum vox ac publica fama, judicet vos, Brute & Caſſi, veſtra ipſorum conſcientia, judicet miſerabilis interitus veſter ac perditio.

ORATIO XXIII.

Recitata ab

HERMANNO SCHLVTERO.

Conſilium plus expendire bellicis rebus quàm arma.

CUm in omnibus cauſſis gravioribus initio dicendi etiam magni viri & celebres oratores commoveri ſoleant vehementius, quàm videtur vel uſus & exercitatio, illorum vel ætas & prudentia illorum poſtulare: Quid mihi in hac omnium graviſſima cauſa perturbationis non occurrat? ut quantum etiam inſtitutio ac diligentiſſima informatio ad hanc orationem afferat, tantum facultatis, tum igenii imbecillitas, tum hujus loci inſolentia, ipſiusq; rei de qua dicturus ſum, difficultas detrahat. Quid verò illud eſt? quod quidem dicere nollem, ſi mihi

apud indoctus, rerumq; rudes & inertes aliquos hæc habenda eſſet oratio: Cum verò in doctiſſimorum hominum cætu loquar, quibus hæc inaudita atq; incognita non ſunt, res bellicas dicam magis indigere conſilio, quàm armis. Cujus quidem rei tractatio cùm vobis non ingrata, tum hoc literario conventu non indigna erit, his præſertim temporibus, cùm armorum ſtrepitu omnes terrarum partes cõpleantur, opusque hac de liberatione omniũ maximè ſit, contra illos, qui cæco telorum impetu perdomari ac ſubjugari poſſe omnia arbitrantur. Lapſam autem in hoc ſcopulo navem confregerunt quàm plurimi, qui quantum barbaræ armorum violentiæ conſilium rectum prævaleret ignari, malum ſuarum rerũ eventum, qui ſtultorum magiſter eſſe dicitur, ſibi melioris hujus noſtræ ſententię documento fuiſſe tandem confirmarunt. Dicam autem tantò brevius & alacrius, quantò majorem veſtram, quæ plurimum ad hanc meam orationem conferre poteſt, mihi conciliatam intellexero benevolentiam & attentionem æquiorem. Primùm itaq;, ut ab illo Agamemnonis voto incipiam, qui boni conſilii decem Neſtores univerſo exercitui expræ tuliſſe legitur, dicam pro capite, parum, imò verò nihil omninò proficere arma foris, niſi cõſilium domi ſit Quod tam mihi verùm ratumq; & tam facilè

cõfirmatu eſt, ut nullam nuquã gentem, nullã nationem extitiſſe exiſtimem, quæ hoc negare unquam auſa fuerit, vel ſi qua tam fera, tam barbara & inſulſa uſquam extitit, quæ ſolis & mutis armorum inſtrumentis omnia in bellis expediri poſſe ſibi perſuaſerit, ſcio nullam fuiſſe, quæ hanc tam abſurdam, & ratione humana planè indignam ſententiam cum maximis damnis graviſſimisq; cladibus, & nimiũ ſeris doloribus non depoſuerit, aut quæ non ad meliorem ſententiam, ſanioremq; hac de re opinionem, triſtiſſimo multorum cladium magiſterio caſtigata, redierit. Quis enim ignorat nihil in vita etiam communi ſuſcipi, quod rectè adminſtretur, niſi conſilia tanquam faces & lumina, quibus dubitationum tenebræ ac nubes diſſipentur, præceſſerint? Quod quidem in omnibus negotiis, in forenſibus, in domeſticis, in familiaribus, in villicis, in mechanicis, aliisque etiam rebus minoribus, perſpicuum eſt. Quid enim? an non earum rerum omnium, quæ in foro, in curia, in tribunalibus, in judiciis, in contractibus, vitæque civilis tramite verſantur, omnis nervus, omnis ratio atque ſalus in prudente conſilio, tanquam in firmiſſima arcę conſiſtit? Ac certè tantò quodque beatius & felicius imperium judicatur, quantò prudentiores & conſilio, ac ingenio excellentiores habeat gubernatores.

Cujus rei præclariſsimum exemplum in florentiſſima Venetorum republica, quorum omnibus nationibus prudentiâ prælucere dicitur, nemini non obvium habetur. Quid verò illi? Plusné curæ atq; impendii collocent in ſplendidiſsimum armamentarium, quod unum habent, quàm in curias & conſilia, quorũ præter ſenatum ac optimatum concilium, quatuor continent, illud exploratum quoq; habere poterunt, quicunq; etiam minimam vel per literas aût per famam gubernationis feliciſsimæ cognitionem perceperint. Quid verò in rebus domeſticis? tantò quemq; fortunatiorẽ, tantò bonis atq; copiis affluentiorem opulentioremq́ue fieri cognoſcimus, quantò ſit in conſiliis inſtituendis expeditior, quantò cautior & callidior: Sed & tantò quemq; nudiorem, magisq́; inopem ſucceſſuque omni meliore deſtitutum videmus, quantò imprudentius negotia ſua tractet, quantoque incurioſius minusq́; rebus ſuis invigilet. In cæteris præterea negotiis, in opificiis, non tam laboris atque induſtriæ vehementiam, nec tã manum & lacertos, quàm ingenium & prudentiam admiramur. Quid enim architectura habet, quod non conſilij & prudentiæ vim magis, quàm roboris oſtendat? Coloſſos immanesq́; columnas quas neq; veterum gigantũ humeris tolli potuiſſe credimꝰ, ingenio & arte

noſtræ

noſtræ ætatis, quæ cum antiqui ſeculi robore minimè conferenda eſt, erectas conſpicimus: arces atque munitiones, tanquam Cyclopum manibus congeſtos montes, admirabundi intuemur. Atque illa omnia ingenii, prudentiæ atque conſilii opera habentur; cui nihil tam validum, nihil tam forte, tam immane, tam velox, nihil ex omnibus animantibus tam ferum & ſævum, quod non cedere cogatur. Leones domantur: elephanti capiuntur: pantheæ comprehenduntur: Quibus vero caſſibus, quibus plagis, qua decipula? quibus non Lybicũ telum, non Vulcani ferrum, non Achillis haſta, non Herculis clava, non Polyphemi ſedes, non Cephali jaculum, non Actæonis canes, neque Moloſſorum rictus errori eſt, ea vis cõſilii exſuperat, prudentia ſternit, aſtus & ingenium deprimit. Quid igitur? cum nihil ne in minimis quidem actionibus ſine conſilio expediri feliciter poſſit? quid de rebus bellicis dicemus, quæ quo majore cum periculo conjunctæ, eo certe cautiore conſilio adminiſtrandæ? Ita enim comparatum eſt in negotiis militaribus, ut non liceat ſecundum in acie delinquere; nec enim, quemadmodum in togatis actionibus ad emendationẽ regreſſus ſine inſigni damno eſt. Forenſes namq; & civiles tractationes, ſi quæ ſine conſilio ſuſceptæ ſunt, reſtitutiones & correctiones obvias ha-

bent. Aſtat prætor, qui cauſa cadentes in integrū reſtituit, juris remediū in promptu eſt, quod vulneri accepto medetur. In politicis erroribus medicinæ ſunt plurimæ, quibus, ſi qui lapſus admiſſi, facile corrigi & emendari poſſunt. At longe ſecus in militari apparatu inſtituenda machina eſt, ubi ſi quid ſemel temere eſt commiſſum, revocari nunquam ſine ſtrage & interitus periculo poterit. In quantum enim exitium rem Romanam Minutius, exercitus Romani ductor, præcipitavit, cùm Fabii Maximi conſiliis, quæ per invidiam atq; odiū cunctationes appellabat, obſtreperet, cùm libidinem ſuam, temerariumque pugnandi æſtum ſequeretur? Quæ clades? quæ ſtrages? quæ populi calamitas? quæ lachrymæ? quæ, per Deum immortalem, auditæ querelæ? cùm jam nimis ille quidem ſero ſeſe reſpiceret, & quantum ſemel neglectum conſilium, unicusque in acie admiſſus error mali traheret, cum ſummo reipub. ſuæ diſcrimine cognoſceret, atq, cum magna ſuorum clade addiſceret, plus in conſiliis quam in armis momenti & potentiæ eſſe conſtitutum. At ille nunquam in eam calamitatem res Romanas adduxiſſet, ſi majorum ſuorum, qui non factis ſolùm, ſed etiam, ut huius ſentẽtiæ perpetua poſteritate extaret certitudo, tabulis & picturis ſeſe explicarunt, hac in re veſtigia ſequi voluiſſet. Quid enim

aliud

aliud Mercurii ac Martis in unum corpus conflatorum ſimulachrum? quid duorum conjunctæ aræ? quid conjuncta delubra aliud ſignificarunt, quàm Mercurium, hoc eſt, conſilium ac ingenium ita neceſſarium Marti & bellicis ſtudiis eſſe, ut divelli alterum ab altero ſine alterius interitu non poſſit. Quid antiqua prudentia, quæ fabularum pigmentis uſa plurimum eſt, cùm Palladem ex cerebro Jovis natam, haſta, galea, clypeo & enſe cingeret? Id nimirum illa innuebat, atq; ita adumbrabat, ut omnium bellorum armorumq; felicitatem ac ſucceſſum à conſilio atque prudentia proficiſci & permanare, ſignificaret. Sed ut rem iſtam diligentiùs ſcrutemur, neque tam ex pictis & fictis umbraculis, quàm veris exemplis cognoſcamus; Agite interrogemus Romam ipſam, mundi caput, quibus gradibus ſummum imperii culmen aſcenderit, quibus rationibus in tot anguſtiis ſæpiſsime conſtituta ſedendo, quod dicitur, ſeſe defenderit. Sciſcitemur ex Quiritibus, quomodo Sabinos, Fidenates, quomodo Vejentes, Albanos, Volſcos, Cluſinos, & in illis Porſenam quomodo vicerint, quo pacto Gallos, Latinos, Samnites, Apulos, Hetruſcos, Umbros, Marſos, Pelignos, Æquos mœnibus ſuis pepulerint, & à finibus atque oris longiſsimè hoſtes arcuerint. Interrogemus Q. Flaminum, audiamus Fabium

Maxi-

Maximum, quæramus ex Scipionibus, quibus viribus Pyrrhū, quibus Hannibalē, quibus Philippum Macedoniæ regem, quibus Amilcarem & Syphacem, quibus N. idem tyrannum, quibus Antiochum, alioſque quamplurimos Romanorum potentiſſimos hoſtes profligaverint? Reſpondebunt cum Romulo, eiusque ſucceſſoribus omnes, plus bonis conſiliis, plus Ægeriæ arcanis, quam Marti & armis acceptū referri. Quid vero prudentiſſime Cato? cum in Hiſpania rem gereres, cum glorioſiſſima voce prædicares, te plura oppida ibidem viciſſe, quam dies numeraſſes. Quid Cæſar? dum Galliam ſubjugaſti, Britanniam aperuiſti Ægyptum invaſiſti, dum ex omni terrarum parte triumphos duxiſti: Plusné vexillis tuis ac armis, quam ingenio & cōſilio effeciſti? In manibus librorum tuorum teſtimonia verſantur: At quid illi? armis ſuperiores barbaros fuiſſe plurimos, conſilio vero Romanos viciſſe produnt. Idem confirmant cōmuni ſententia triūphatores reliqui omnes, ſe nimirum, quicquid effecerint, conſilio effeciſſe, omnesq; laureas, omnes palmas ac honores acquiſiviſſe, ac omnia trophæa non tam lacertorum firmitudine, aut armorum potentia, quam prudentia & animi robore erexiſſe. Quid igitur miramur in poëtarum fabulis lupum victum à vulpecula? quid intuemur immani illa vaſtitate atq;

te atque incredibili robore gigantem ab Ulyſſe domitum, ac oculo privatum Cyclopem? Cum univerſi terrarum orbis potentiā, unius civitatis non tam haſta, quam aſtu & conſilio ac prudentia ſuperatā videamus. Sed ne hanc ſolam, tam extmiam prudentiam apud Romanos tantummodo floruiſſe exiſtimetis, percurratis ipſi velim omnes aliarum gentiū adminiſtrationes, rerumq; geſtarum momumenta evolvatis. Docent omnium ubicunq; gentium exempla, docent vetera & recentiora ſecula, plus ſemper conſilio & ingenio quam armis & viribus tribuendum. Producam vobis Carthaginenſes rerum bellicarum peritiſsimos, qui de Imperio cum imperii domina Roma contendere auſi fuerunt? Quid vero illi? Adeo nihil in bellis ſine cōſilio geri volebant, ut duces ſuos, etiā ſi proſpera fortuna res ſuas adminiſtraſſent, cruci ſuffigerent, niſi præmiſſa diligenti conſulatione, negotia ſua perfeciſſent. Id enim, quod bene rem geſſerant, cœco fortunæ eventui, hoc vero, quod inconſulto peregerant, culpæ ipſorum adnumerabant. Recte igitur locutus Tacitus, qui ſcripſit, Carthaginenſes plura conſilio, quam vi perfeciſſe. Digna tanto populo tanta ſcientia! digni ipſi, qui in orbis terrarū imperium conſilii virtute eo uſq; progreſsi. Sed ne cuncta ab exteris peteré, ac noſtrorum interea majorum obliviſci

videar,

videat, Sidonium Apollinarem de veteribus Germaniæ populis, & quidem de Saxonibus noſtris audiamus. Quid ille? Nullus, inquit, hoſtis hoſte Saxone truculentior eſt, qui non robore tantum & audacia, ſed etiam conſilio & arte vincit. Ai hæc ſcripta ab hinc mille & pluribus annis fuerunt, cùm nondum illi ex-culti, nondum omnibus barbariæ ſquamis & ſqualoribus exuti atq; liberati eſſent: quid vero hodie illos putatis è Cimmeriis quaſi tenebris erutos, & ad civilem non ſolùm, ſed & divinam ſapientiam revocatos de conſilii præſtantia judicare? quorum provinciæ ac civitates tam illuſtribus curiis ornatæ, Electorum ac principum adminiſtrationes tam eximiis conciliis inſtructæ, ut Suadam atque mentem domicilium ac ſedem ſuam in illis oris collocaſſe exiſtimare poſsis. Verùm ne homines tantum literati ac Phormiones apud Hannibalem diſſerere iſta videantur, ex ipſo, ſi *placet*, Pœnorū duce quæramus, cùm Alpes nunquam ante ne ipſis quidem accolis perluſtratas, nunquam nive nudatas transvolaret, cũm per terram quaſi navigium faciens, naves ad flumina & ad mare portaret, armisné potius, quam conſiliis uſus fuerit? Conſilio: conſilio perfecta ea omnia dicet. Rectè quidẽ. Quid n. Cannas tibi, glorioſiſsime victor, æternum memorabiles reddidit? Conſilium: conſi-

lio

lio ſiquidem ſuperior tum Romanis eras. Quid Trebiam, quid Thraſimenum victoriis tuis illuſtravit? Conſilium. Huc enim jure refero omnia illa, quæ de ſtratagematis tuis, de callidè ceptis ac factis dicuntur, quorum pleni annales, plena Romanorum rerum monumenta, plena hominum ora. Ac infinita futura eſſet oratio, ſi ſingularum rerum veſtigia perſequi, veterumque imperatorum ducumque exempla ac teſtimonia adducere vellem, quibus arma conſiliis longiſsime cedere confirmarem. Tacebo itaque Cyrum, prætereibo Alexandrum Macedonem qui univerſum terrarum orbem, perquam exiguis Macedonici exercitus viribus inſtructus, conſiliis vero munitiſsimus, ſibi ſubjecit. Unicum illum Alexandri æmulum, Pyrrhum, non ſilebo, qui ſe conſiliarii ſui Cyneæ monitu ac ſuadela plura oppida, plures ditiones ac populos expugnaſſe & exſuperaſſe, quàm formidabili elephantorũ agmine, quã omnibus telis ac machinis, aſſeverabat. O vocem egregiã, ac vere regiam! dignam profecto, quæ in omnibus principum armamentariis, aureis literis conſignetur! At ſerius hoc intellexerat Eduardus Angliæ rex, omniũm bellicoſiſsimus, cùm contra Carolũ Galliæ Regem, quem Sapientẽ appellarunt, arma moveret. Quod quidem duorum regum, alterius potẽtiſsimi, ac armorum peritiſsimi,

alte-

alterius ſapientis bellum, luculentiſsimo exemplo totam hanc orationem ita illuſtrat, ut verbum ullum addere vivæ huic picturæ neceſſe non fuerit, Bellicoſus cum ſapiente contendit. Illinc ira & furor: hinc ratio & bona mens: illinc error & terror: hinc conſilium: illinc potentia, vis, impetus: hinc prudentia, calliditas, induſtria, vigilantia confligunt: quid vero ille bellicoſus? Audiamus quid de ſapiente altero, hoſtis de hoſte prædicet? plus ſibi, inquit ille, prudentiam ac conſilium Caroli damni paraſſe, quam omnes Galliæ reges anteceſſores ejus maximis copiis attuliſſent. Præclarum hoſtis teſtimonium! æternam cōſilii gloriam! omnium q; armorum Cyclopico terrori obijciendam! Quid opus majore verborum contentione? quid pluribus exemplis? quæ ut maxime nulla alia alibi ſint, quæ innumera ſunt, è ſacra pagina magno numero peti poſsint. Funda enim Davidis quid aliud torquet, quid ejaculatur, quid vibrat, quā conſiliū? Quid Joſuæ litui ac tubæ aliud reſonant, quid crepant aliud? quā divina conſilia. Quid Gedeonis gladius aliud ſpectat, quid ſequitur, quā conſilium? Quid Deboræ malleus aliud, quàm conſiliū? quid tantis Maccabæorū victoriis præfuit? conſiliū. O rem Platoni ſacrā, conſilium! fortunæ ac virtutis moderatricem! ô inſuperabiliū munitionum expugnatricem!

cem ?ô ſolem,animamque rerum omnium,ſine te omnes alii apparatus fumus:omnes vires & potentiæ armorum fucus, & ô quàm te nihil prius,nihil majus!! ſine te quotcunq; ſuſcipitur,in validum eſt,te ſine nullus neq; honos, neq; triumphus,nulli neq; gloria neq; victoria obvenire poteſt! Deſinat itaq; vulgus mirari imperatorũ,regũ&principum ſummũ ergà eos amorem,qui iis ſtudiis, quorum adminiculo res cunctę pacis & belli tempore rectè adminiſtrantur, vigilantius incumbunt, cùm eoſdem optimos amicos ſuos, cum parentes,cùm mentem animi, cum manum dexteram, cùm oculos ac aures,cùm theſauros, cùm regnorum præſidia appellent; Deſinat plebecula dignitati & honori maximorum virorum invidere,qui propter ingenii & conſiliorum præſtantiam,pauciſſimis divinitus cõceſſam,à principibus tanquam numina colantur; Quanto enim quiſq; prudentior eſt princeps,quantò in cognoſcendis viris præſtantioribus felicior, tantò magis illos diligit,quos reliquos animo,prudentia & fortitudine ſuperare cognoſcit.Quod præ cæteris Perſiæ regem Cyrum factitaſſe legimus,ac in tanto honore Zopyrum habuiſſe, qui conſilii dandi & dati expediendi aliis erat felicior,ut ſæpiſſimè ſibi tot Zopyros,quod malo Punico, grana ineſſent,optaverit,unumq; illum virum,nullo

cum ære, nullis regiis cum theſauris conferendum exiſtimaverit, cujus induſtria & conſiliũ plus quàm univerſi exercitꝰ inſtructiſſima potentia in bellis efficiebat. Quid enim armatæ legiones? quid phalanges? quid innumeræ cohortes? quid, niſi conſilio ſuſtentetur, vis etiã maxima poſſit, ex Xerxis agmine, quo per omnia ferè ſecula non extitit potentior ulla expeditio, cognoſcamus: aſcendamus cum rege colliculum, flentes potiùs quàm gaudentes & ridentes, & quàm brevi tempore perituri ſint omnes, qui conſilio non fulciantur, conſideremus: Perluſtremus è ſpecula univerſas copias, contemplemur totius propè mundi in unum agmen, conflatam potentiam: Proh Deum immortalem! quæ multitudo hominum? quantꝰ armorum fulgor? quantus navium numerus? quam terribilis præliorum apparatus? quantus equorũ fremitus? Greçia non tremiſcis? nõ fugis? non cõtabeſcis? non intra terræ viſcera, intra ſepulchra intima te abſcondis? At Græcia non modò ſubſiſtere, ſed etiam reſiſtere audetquæ non tam extimeſcit hinc inde congeſtas copias, quàm ſi vel centũ militũ capita munitiſſimis recti conſilii galeis redimita cerneret, Vanam & ridiculam ſine conſilio potentiam! quid enim? nondum biennium tranſactum erat, cùm terra mariq; deletæ propè omnes copiæ extinctæ numeroſiſſimæ phalanges

ges, trucidati florentiſſimi exercitus, depreſſa omnis vis & robur, quo non modò omnia elementa ſed etiam naturā ipſam atq; adeò cœlum & ſidera, ſtultiſſimus Perſa terrere inſtituerat: Æternum validiſſimi conſilii monumentum! cui ex aliis veterum ætatibus plura exempla apponere operæ ſuperfluæ eſſe arbitramur, quę neq; noſtrę memoriæ ex omnibus ferè nationibus deeſſe poſſunt. Quid enim orbis olim ignoti populos Hiſpanorum ferro flammæq; tam brevi tempore ſubjecit? nihil aliud, quàm inopia cōſilii, & extrema ruditas. Nihil itaq; Americanis provinciarū amplitudo, nihil hominum frequentia, nihil maris vaſtitas, nihil littorum munitio, nihil ſitus & locorū exploratiſsima cognitio profuit, quò minus more beſtiarum immaniſsimè fuerint trucidati, occupatæ omnes inſulę, devaſtata regna; hauſtæ cunctæ opes & copiæ, quibus nihil præter conſilii propugnaculum deerat. Cujus profectò quanta in omnium etiam aliarum rerum defectu præſidia ſint, ex Belgicis bellis, quis tam cæcus ac animi ſcævus, ut non perſpiciat? Contra potentiſsimum hoſtem, qui altera manu Orientē altera Occidentē tenere ſe prædicat, ultra triginta annos, viribus ſeſe exiguis Hollandi tuentur. Rès propè incredibilis, niſi conſiliorum admiratio eorum magnitudinem credibiliorem efficeret.

Quemadmodum enim naturalium rerũ ſcriptores, Halcyonum aviculárum nidulos, adverſus maris fluctuationem, ventorumq; tempeſtatem, jàctaræ immunes damniq; expertes atq; illæſos cõſiſtere prodiderũt: Ita profectò ſingulari Dei virtute, & conſilii atq; prudentiæ firmitudine, quaſi invicto aliquo Palladio munitos, contra validiſſimæ potentię procellas tanquam in vaſtiſſimo freto, Belgicarum urbium ordines etiamnum fortiſſimè ſtare videmus. Idem de Hungaria prædicari poſſet, quæ non tam bellica armorum vi, quàm inſuperabili conſiliorum prudentia, per trecentos huc uſq; annos Turcici acinacis furori obſtitit: at interea temporis univerſa Aſia devorata, Ægyptus hauſta, extrema Arabia devicta, Græcia in ſervitutẽ adducta, omnisq; Oriens ſub jugum redactus eſt. Et quid non ita pridem divino Schvvartzenburgenſis comitis conſilio, atq; admirabili ſtratagemate feliciſſimè perfectum? quod nullis unquam obſidionibus, nullis oppugnationibus, nullis machinis, nullis balliſtis viribusque militaribus, fieri poſſe exiſtimabatur: pauciſſimarum horarum ſpatio plus expeditum, Jaurino ſine ulla Chriſtiani ſanguinis effuſione recuperato, quàm vix ex omni Europa collectus exercitus, multorum annorũ ſeriæ, infinitis ſumptibus ſuſtentatus præſtare potuiſſet. In-
hoc

hoc autem tam memorabili, maximeque præſtabili exemplo orationis hujus meæ curſum tanquam in pulcherrimo portu defixum tenebo, minimeq; dubitabo, quin vos omnes & ſinguli, quorum diligentiſſimam attentationem perſpexi, prudentiſsimè mecum judicaturi ſitis omnibus armamentariis, omnibus munitionibus, caſtellis, artibus, turribus, vallis foſſis & aggeribus, omnibus denique præſidiis inſcribendum eſſe illud, quod hoc ætatis illuſtriſſimorum eruditiſſimus, & eruditiſſimorum potentiſſimus princeps in ſcito & ſcuro ſuo uſurpavit: Virtute & conſilio: omnibus præterea expeditionibus, omnibus exercitibus ac copiis etiam fortiſſimis, tanquá oraculum ſummopere commendandam, ſemperq; veriſſimam cenſendam eam ſententiam, quam immortali carmine Lyricus noſter omni poſteritati reliquit:

Vis conſilii expers mole ruit ſua

ORATIO XXIV.

Recitata à

JOHANNE SCHRODERO SUECO.

Conſilia remorari potius quàm promovere armorum curſum.

ETſi vereat, auditores, ne vobis ex eorum hominũ, qui, ut in Romanis legibus proditum eſt, arma magis, quàm leges &

literas ſcire debeant, non ex meo ſenſu deprō-pta eſſe videatur oratio, dicam tamen quid ſẽtiam de hujus rei controverſia, quam modò de armorum & conſiliorum rationibus explicatam audivimus. Dicam autem eò confidentius & liberius, quò veſtrum in cognoſcenda veritate ſtudium ardentius eſſe cognoſcam. Nunquam profectò neq; literis iſtorum, neq; ſcientiis, neq; quæ ex iis derivata volunt magnificis, & ut ea ipſi prædicant, divinis conſiliis, vidi, nunquam audivi, nunquam legi hoſtium ullorum copias eſſe fuſas, legiones cæſas, foſas ſanguine repletas, urbes & mœnia expugnata, caſtra direpta, victorias partas. Armis, armis ad eas res opus eſt: opus, quæ ea fortiter tractent, viribus & robore: opus validis humeris & lacertis, opus exercitatiſsima manu, deniq; quo iſta omnia tanquam nervo aliquo regantur, opus animo audaci & ad omnia pericula imperterrito. Poſtremò accedat fortuna & felicitas oportet, quæ, ut in veterum quoq; proſcenijs de ea veriſsimè canitur; centum doctorum hominum conſilia devincit ſola, idq; cum in omnibus aliis negotiis, tùm maxime in rebus bellicis, ubi ex libidine ſua, quemadmodum graviſsimus hiſtoricus teſtatur, pleraſq; res fortuna agitat. Fortuna enim ibi primas fortuna ſecundas, fortuna tertias omniũ bellicoſiſsimorum ducum conſenſu te-

net.

net. Quapropter rerum imperitiã ipſi ſuam loqui videntur, qui, cùm nullam unquam aciem, conflictum nullum, nullam pugnam, atq; adeò caſtra nulla foris viderint, ad curiam ſuam, & ad ſenatum, ad otium & literas, ad cõſilia, & ad domeſticum ſuum hemycirclum, ad ſtudia ac deliberationes ſuas, omnem æſtum laboremq; militarem, cruentūq; præliorũ pulverem, & quicquid præclarè ac laudabiliter in armis geſtum eſt, conferre ſũ eſſe diſputãt. Sed nõ replenda eſt curia verbis, quẽadmodũ apud poëtarũ optimũ rei bellicæ peritiſsimus princeps de eadẽ controverſia Drãci his verbis reſpondiſſe legitur, qui ex eodem hominũ genere erat, qui domi extra omnem telorum jactũ lingua & conſiliis fortiſsimè dimicabãt. Nõ ſunt ea de re graviſsimi verſus; quibus univerſum Latini regis concilium vehementiſsimè ibidem increpatur, quod, cùm arietes mœnibus hoſtis admoveret, cùm portas & parietes omnes dejiceret, illi intus conſultationibus verborumq; ſtudiis rerũ ſũmæ medendũ eſſe arbitrarentur, cùm res arma, cùm dexteras, cùm animos præſentes poſtularet. At quid bellator ille noſtri Maronis? audiamus tanquam ipſius Martis vocem:

Cogite conciliũ, inquit, & pacem laudare ſedẽtes
Illi armis in regna ruant.

*S*cilicet hoc quam ſæpiſsimè ita eveniſſe ex omnium ferè ætatum obſervationibus conſtat,

ut dum deliberationis atque conſiliis tempora conſumpta fuerint, interea regni opes illatis bellis, tanquam ſubitis incendiis, petierint. Quit enim veteris Græciæ populoſiſsimis civitatibus illud eo módo accidiſſe non cognovit? aut quis Attici oratoris habitas ea de re quærelas vehentiſsimas non legit. In curia Athenienſes quotidie conveniebant: ab ortu & occaſum uſq; quotidie conſultabant, deliberta(ionum & conſiliorum modus atq; finis nullus erat. At tum illi de ſtatu tuendo comitia habent: dum capita conferunt: dum ſententias & ſuffragia colligunt: dum arbitriis inter ſe diſceptant: tum diverſis & adverſis rationibus contendunt hoſtis eorum Philippus Macedoniæ rex armis fortiſsimis partem regionis maximam occupavit. Nec alia ratione univerſæ Græciæ libertas interiiſſe videtur, qua tamen nulla unquã toto terrarũ urbe natio literarum abundantior, nulla gens ingenii divitior, nulla conſiliis & prudentia rerum affluentior fuiſſe prædicatur. Quæ ibi curiarũ multitudo? quæ conciliorum frequentatio? quæ judiciorum inſtitutio? quæ legem & diſciplinarum rerumq; omniũ tum domi tũ foris rectè ordinãdarũ excogitatio? quę informatio Dixiſſes totum omnes conſilii fontẽ, civiliſq; prudẽtię larẽ & domicil. in ea regione divinitꝰ fuiſſe collocatũ. Atq; hoc ſibi ipſe populus

Græciæ perſuaſum habebat, cùm nullibi terrarum ſapientię inventricem, quam fingebant deam, Minervam habitare arbitrarentur, quā Athenis, ubi ejus arces & delubra, omnisque ſupellex contineretur. Sed quid eis ſuæ Palladis haſta, quid ſcutum & clypeus profuit? quid conſilii copia contulit? quid acies ingenii cō-duxit? quid rationis ſubtilitas, & varia inveniendi promptitudo atq; celeritas expedivit? nihil profecto aliud, quam quod illi inſecto, quod millepedam vocamus, pedum multitudo proficere cernitur. Etſi enim inceſſus ejus tot pedibus, quot nomen indicat, à natura munitus ſit, nihilo tamen minus omnium reptilium animantium tardiſſime progreditur. Atque eodem modo in rerum bellicarum expeditionibus videre eſt nihil magis earum ſucceſſibus atq; victoriis officere, quàm conſilii & deliberationis multitudinem. Nec vero illud aliter fieri poſſe rerum ipſarum ratio & natura, quæ diverſiſſima inter eas eſt, oſtendit. Conſilium tempus & maturitatem requirit, haud ſecus ac conceptus aliquis materno utero partus. Nam ut hic, niſi certos ſuos menſes habeat, in abortū excidit, neque lucis vitalis uſuram diu ſuſtinet: Ita illud niſi juſto cogitationis amplexu comprehenſum, niſi optimæ rationis conceptu forum, & longiore deliberationis ſpatio concoctū, diutiúsq; alitū

GG 5 fue-

fuerit, crudum maxime & infructuoſum eſſe ſolet. Contra verò alia bellorum & expeditionum ratio eſt: Hîc omnia fulminis modo impetum & celeritatem poſtulant: mora omnis etiam minima graviſsimo ſæpè impedimento & detrimento exiſtit: momenti interjectu occaſionis adminiculum, quo nihil rebus bellicis præſtabilius, elabitur, puncto tēporis admittitur, quod nullo unquã intervallo recuperari poteſt. Quocirca eò rerum gerundarum feliciores imperatores fuiſſe leguntur, quò velociores quiſq; in expeditionibus ſuis extiterunt. Magnum illum è Macedoniæ teſquis progreſſum ad totius terrarum orbis ſibi ſubijciendum imperium quis Alexandrum neſcit? Quid verò in juvenili animo conſilii? quid in univerſo illo exercitu invenitur, quod ad ſenatum, quod ad ejus curiam ſpectet? Omnia ſubita, violenta, prærupta, omnia indeliberata, inconſulta, omnia ſolius audaciæ & fortunæ. Quid enim? an exiſtimatis eum unquam molem longe graviſſimi negotii aggreſſurum fuiſſe, ſi rem tantam, antequam ſuſcepta foret, in deliberationis campum deduxiſſet? Quis enim tam temerarius, tamq; animi præceps inveniri potuiſſet, qui adoleſcenti ferocia juvenili exultanti, ut contra potentiſſimum Perſiæ imperium arma caperet, ſuaſurus fuiſſet? Quis non ſtultitiam manifeſtam, quis

non

non amentiam fore ratus eſſet, cœlum veterum gigantum more, velle expugnatum ire? Quid enim Alexandri iſta expeditio aliud eſſe videbatur? Dixiſſe pygmæum velle non quidẽ contra gruum catervas dimicatum, ſed vaſtiſſimorum Cyclopum mœnia, oppugnatũ proficiſci. Nec enim aliter Macedonis vires cum Dariani imperii potentia conferri poſſe omnium prudentium conſilio judicatum foret. Quod ſi itaque ſenatum cautum & providum inſtitutis ſuis adoleſcens adhibuiſſet, ſi ſedum conſilia audiiſſet, an non arbitrabimur eos fuiſſe in hanc ſententiam reſponſuros? Quæ iſta immatura perdendi tui, adoleſcens, libido, quæ temeritas eſt? mitte certiſsimi exitii propoſitum: abſtine præcipitio: Bellerophõteæ alæ atq; remigia ſunt, quibus animũ tuum induis: nihil in armis tuis rationis, nihil ſanitatis eſt: belli initium ignaris rerum dulce eſſe videtur, eventus autem triſtis & luctuoſus. Quàm multi verò cum potentiſsimo rege Cyro, qui omnibus exẽplo eſſe poterit, aliena appetendo, cum vita omnia bona ſua amiſerunt? Te ipſe itaque, Alexander, & regnum à majoribus acceptum reſpice; cogitaque illud, quod à præceptore tuo Ariſtotele ſæpius audiſti, non in magnitudine provinciarum, neque in imperii latiſsimis pomæriis, ſed in animo quieto, ſuiſque poſſeſsionibus conten-

to,

to, excelſam vereq; regiam virtutem eſſe conſtitutam. Hæc ſcilicet ille conſilia, has ſententias audiviſſet, ſi curiam magis & ſenatum, quam fortitudinis ſuæ ardorem & fortunæ fiduciam ſequi voluiſſet. Retardatus conſiliorum interventu omnis tantarum victoriarum curſus foret: impedita omnis iſta rerum gloria; intercluſus omnis tantæ potentiæ & celebritatis auditus. At ille ratus conſilium viribus maximis ſuſcipiendis unicum eſſe, conſiliis nullis uti, abiit, ad Indiam uſque omnia vicit, ac fulminis inſtar obvia quæque proſtravit; cunctorumq; hominum exſpectationem ſuperavit. Atqui hoc unicum exemplum rei univerſæ comprobandæ ſufficere poſſit, quo nihil ex veterum monumentis illuſtrius, nihil ſententiæ noſtræ accommodatius habetur. Sed neque ex aliis imperiis & populis ſimilia documenta deſunt. Quid enim de Hannibalis caſtris dicemus? plusnè ibi conſilium & deliberationes, quam armorum vim & impetum audaciamquę valuiſſe putabimus? Minimè: At quis unquam hoſtiũ Romanis terribilior, quis calamitoſior Italiæ extitit? Quid vero Quiritiũ tot hominũ togatorum referræ curiæ quid concilia prudentum, excogitarunt, quod unius Pœni ferocia militaris nõ infregerit? Illi conſiliis, hic miſſilibus: illi arte, hic arcu pugnabat, tam diſſimili Martis eventu, ut

omnis

omnis ferè rei Romanę fortuna ad extremam deſperationē pervenerit. Quod autem illa cōſilio & prudentiæ potius quā fortitudini atq; audaciæ aſſignare velis, Hannibalis ingenium non rectè perſpexiſſe videris. Quid verò de eo Tullius? nō prudentia, non conſilio, nō deliberatione, uſum, ſed juvenili levitate exultaſſe Hannibalem prodidit. Sed ad ea, quæ nobis proximiora ſunt, veniamus. Attilæ barbarorū ferociſſimi tyranni nomen Germaniæ noſtræ etiamnū auditu horribile eſſe videtur. Quibus enim ſtragibus eam ille exhauſiſſe: quā vaſtitatem univerſæ provinciæ per omnes urbes & agros intuliſſe legitur? Veterū oppidorū, quæ apud Tacitum celebrantur, florentiſſima mœnia cum ipſis nominib. ab eo funditus deleta. Municipiis antiquis aratrū quàm plurimis impreſſum, quorum cineres ad hunc uſq; diem ſeſe attollere nequiverunt. Idem Galliā ferro flammaq; miſerrime devaſtavit. Vaſtavit Italiā: omnemq; ferè Europam clade complevit. Quid vero in iſto naturæ monſtro extitiſſe dicetur, quod vel minimū rationis & conſilii referre viſum fuit. Impetu barbaro omnia invaſiſſe: temeritate & audacia cuncta exuperaſſe: fortuna deniq; & mirabili rerū ſucceſſu fortiſſima quæq; debilitaſſe ac infregiſſe cōmemoratur. Nec vero aliis rerum militarium inſtru-

mentis

ctionibus haberetur? at quid eorundem ſagitta & arcu formidoloſius omnibus finitimis gentibus; ipſis adeo Græcis, optimorum conſiliorum inventoribus fuiſſe ſcribitur? Idem in hodiernis Tartaris, qui ex Schytarum ſanguine promanaſſe dicuntur, perſpicitur. Immanitas quanta hominum, ſi homines appellandi, quorum mores à belluarum natura quã minimum abeſſe videntur, nedum aliquid ſanioris rationis & conſilii rebus ſuis adhibere poſsint: Verùm quo illi ab his rebus nudiores, eo bellicis negotiis fortiſsime adminiſtrãdis promptiores & expeditiores eſſe animadvertuntur. Teſtis propugnaculũ Ungaria: teſtis Tranſylvania: teſtis Walachia: teſtis, quæ feritatem gentis viciniorem habet, Polonia, teſtis patria mea *Suecia*, quæ multos per annos Moſcovitarum, Ruſſorumq; armis verè barbaris, & ab omni ratione & conſilio remotiſſimis, implicata fuit. Sed quid teſtimoniis & exemplis pluribus rem ſua ipſius luce claram illuſtratum eo? bellis ipſis atq; armis ſi vocem dare poſsimus, quid hac de re nobis reſponſura eſſe arbitrabimur? Nam quemadmodũ naturali quadam propenſione magnetis amor ad ferrum deferri cernitur: Ita contra omnis armorum inclinatio atq; motus, vibratio haſtæ, gladii vulneratio, lanceæ penetratio omniſq; bellici tormenti vis & telorum jactus atque per-

arma tinnire videntur; Quid enim eorum, quę deſcribitur à poetis fabricatio aliud nobis ob oculos ponere intelligitur, cùm ex duriſſimo chalybe illa facta eſſe fingant, cùm partem fulminis iis admixtam, cùm ignes atq; flammas appoſitas, cũ iras metus, terrores adjectos eſſe canãt? At nulla cõſilii adhibiti, nulla deliberationis, nulla rationis facta mentio, quod illa quàm minimè ad armorũ uſũ pertinere judicarẽt. Sed, ne tantũmodò fabulis & obſoletis narrationibꝰ velle videar ſententiã hanc confirmare, ex partum noſtrorum memoria domeſticum exemplum, quo vix quicquam illuſtrius dari poterit, in mediũ afferam, ex quo clariſſime perſpicietis, armis & ſtudiis militaribus nihil magis ad felicitatem atq; gloriam quàm citiſſimè conſequendam expedire quã Magni illius Macedonis exemplo, repudiatis aliorum omnium conſiliis, res gerundas ſuſcipere, & ſuſceptas celerrimè conficere. Nulla autem temporum prædicatione celebrabitur fortiſſimi principis Haſſiæ Philippi, Herois bellicoſiſſimi, ac ferè incomparabilis glorioſiſſima expeditio, quam reſtituendi Wirtenbergici Ducis Uldarici causâ contra potentiſſimos reges ac principes, totiusq; fœderis Suevici validiſſimam coagmentationem ſuſcepiſſe eum conſtat. Res omnibus videbatur factu

difficilima: prudentium hominum nemo erat qui non quàm maximè eam diſſuaderet, nec ſolummodò fideliſſimi quique indigenæ & ſubditi, verùm etiam exteri homines doctiſsimi, multarumque rerum peritia præditi, nihil reliqui faciebant, quo à pretioſiſſimi negotii ſuſceptione principem dehortarentur. At tandem aberat, ut ab invicti animi propoſito Philippus noſter, verè Philippus Macedo alter deſiſteret, ut etiam magis magisq; conſiliis diſſuaſorum omnibus poſthabitis, ad rem tam egregiam confeſtim aggrediendã totis viribꝰ exardeſceret. Quid fit? Nõ minore fortitudine, quàm Julius olim, armscapit: Julii exemplo venit, vidit, vicit. Præclariſsima victoria; quæ quindecim annorum exulẽ, omnibus bonis, fortunis, domiciliis, omnibus avitis poſſeſſionibus & agris dejectum, preter omnium mortalium ſpem & exſpectationem, populis principem, tectis & arcibus dominum ſuum priſtinum reddidit! Cui quidem præſtãtiſſimæ Catticorum armorum gloriæ, nihil omnis Romanorum fortiſſimorum antiquitas habet, quod jure & meritò anteferatur. Nec enim celebratiſſima illa veteribus literis regis Ægyptii Ptolemæi reſtitutio, majoris operis (& laboris, nedũ laudis) & honoris eſſe potuit. At tanta rerum maximarum utilitas in primis, quod dicitur, herbis interiiſſet, illuſtriſſima Wir-

ma Wirtenbergēſiū ducū familia nullo unquam tēpore ad opes ad ſplendorem ſuum rediiſſet fertiliſſima tellus ad hunc uſq; diē veterem ſuam ſtirpem deſideraſſet, ſi conſiliis & deliberationibus potius, quàm armorum ardori ac ſingulari fortitudini & audaciæ militari obtemperatum fuiſſet. Quid verò rei tam illuſtri addam? ſolem facibus juvare videar, ſi pluribus quod firmatiſſimum eſt, comprobare velim. Quocirca neminem veſtrum, auditores eſſe arbitror, qui non rectiſſimum iſtud veteris ætatis judicium eſſe cenſeat, quod etiam ex antiquo non modò optimi poetæ, ſed etiam militis, atq; Scipionum veterum amici & comitis carmine, nulli non notiſſimum eſſe poteſt, cum ſcripſerit fortiſſimos illos, Vejentum, Samnitium, Æquorum, Volſcorum, plurimarumq; aliarum gentium victores & bellatores feliciſsimos his moribus & inſtitutis atq; hac diſciplina fuiſſe, ut bellipotentes potius, quam ſapienti potentes appellari voluerint. Nunc enim tandem intelligitis eam militiæ genuinam indolem, eam armorū omniū naturam, eam ad feliciter bellandum expeditionis rationem eſſe oportere, ut, quod apud eundem veterem vatem Enniū legitur, cōſilium & prudentia pauliſper ſit è medio tollēda: prętereundus ſit bonus orator & cōſiliarius: ſpernēdꝰ, auctor & cōſuaſor: relinquēda deli-

beratio & ſenatus: ſi pro omnibus illis miles in caſtra ducendus: ille licet horridus ſit, amãdus: ille cùm res gerenda vi & robore ſit, omnibus aliis timidis & fugacibus Demoſthenibus, frigidæq; dexteræ Drancibus, omnibus ſenatoribꝰ & togatis hominibus, qui de foro, de curia, de ſchola ſint, anteponendus.

ORATIO XXV.

Recitata à

JOHANNE GEORGIO DE PONNICKAW.

Haſtarum ludos & equeſtrium certaminum ſpectacula revocanda.

CUm non modò rerum earum omnium conſilia, quæ ad pacis tranquillitatem in reipub. conſervandam, togæq; felicitatem pertinent, ſed & armorum benè gerendorum gloria, bellicorumq; rationũ & militaris diſciplinæ adminiſtratio, atque adeò omnis expediendæ publicæ ſalutis cura, ex literarum ſtudiis atq; ſcientia, quam in Gymnaſiis & Academiis addiſcimus, proficiſci ac emanare rectiſſimè prædicetur: nihil mihi videor ab hoc loco alienum, nihil quod à conventu hoc doctiſsimorum hominum ſeparatum,

tum,nihil quod à ſtudiorum noſtrorum rationibus atq; Academicis meditationibus remotum ſit,ſuſcipere, ſi de iis rebus, quæ non tam ad artes noſtras ſcholaſticas, quàm ad Martis bellorumque diſciplinam benè inſtituendam requirantur, in hoc literario cœtu dixero,præſertim,cùm adeſſe nobiliſſimam adoleſcentiam videam,ad quam ea,quæ dicturus ſum,ſummoperè pertinere videatur, Nam ſi majorum laudes aſſequi,ſi parentum ſtudia imitari,ſi, quæ à proavis fortiſſimis accepta ſunt,inſignia atque ornamenta retinere,ſi equeſtris nominis dignitatem conſervare,ſi clypeum ac galeam noſtram cuſtodire, ſi agros,villas,prædia,arces, caſtella, domicilia, præmio militiæ antiquitus conceſſa,tueri, & ad poſteritatem transferre velimus,nihil profectò antiquius,nihil prius habeamus, quàm ut intermiſſum equeſtrium exercitiorum uſū veteremq; conſuetudinem, torneamētorum, uti vocant,in Germaniç campos,in areas,in theatra atq; ſpectacula publica revocemus. Quæ quidem prudentiſsimo olim, longeque utilliſsimo reipub.conſilio ab Henrico Aucupe fortiſsimo Imperatore in hoc Imperio auguſtiſsimo,inventa,atq; inſtituta, & in provinciis omnibus diligentiſsimè à ſucceſſoribus culta ſummaque celebritate ſervata ac longiſsimo tempore veluti propria & peculi-

aria equeſtris familiæ & dignitati ſtudia, reiq; militaris exercitia ac fręna omnis diſciplinæ habita fuerunt. De quibus rebus ut explicatius ac Paulò uberius diſſeram: primum vobis, auditores, exponam, quid dignitatis, quid gloriæ ac laudis in honeſtiſsimis exercitationibus poſitum: deinde fructum & emolumentum tum publicum tum privatum laudatiſsimi ſtudii ac inſtituti cognoſcendum dabo. Quod dum faciam, non dubito, quin quanto virtutum deſiderio quanta veræ nobilitatis & gloriæ cupiditate teneamini, ſilentio & attentione veſtra ſitis nobis declaraturi. Quid autem primum de dignitate hujus rei dicam, quæ initium omnibus ferè aliis dignitatibus ac honoribus equeſtribus præbuit. Unde enim clathratæ iſtæ, ut vocantur, galeæ, unde ſcuta & clypei, unde tot & tam varia nobilitatis inſignia, unde ornamenta, unde calcaria aurea, unde monilia unde inaurati gladii, unde tituli & nomina? Non aliunde profectò, quàm ex illo noſtri Aucupis campo, ex militaribus exercitiorum ſpatiis, ex equeſtrium certaminum arenis. Quemadmodum enim veteres tum Græcos tum Romanos & fortitudinis acuendæ, & virtutis conſervandæ & roboris ac diſciplinæ tuendæ gratia, ſine quibus reſp. & imperiũ conſiſtere non poteſt, varios inſtituiſſe ludos ac ſpectacula accepimus, variiſq; victores præmiis atque

que honoribus affeciſſe; ad eundem modum prudentiſſimo cõſilio ac inſtituto, maximis dignitatibus conſtitutis, illa rei bellicæ rudimenta Germanicæ propoſita fuerunt. Nec verò exiſtimetis velim, ullas aut veterum athletarum certationes, aut aliptarum luctas, aut Olympicas curſorum victorias, aut gladiatorum & myrmillonum conflictus, cum his noſtris nobiliſsimis exercitiis eſſe ulla parte conferendos, quorum tamen priſcis temporibus tanta celebritas, tanta gloria, ut univerſæ Græciæ oculi ac ora in hujus rei ſtudium laudemq; converſa fuiſſe prædicentur. Quod ſi non aliunde cognitum & exploratum eſſet, ex Pindaricis hymnis, qui in omnium manibus verſantur nulli non conſtare poſset? Quid enim illis carminibus aliud, quã & Olympiorũ & Pythiorum, & Nemeorum & Iſthmiorum certaminũm ſtudia, victoriæq; continentur? Quibus autem præconiis Hieron. Syracuſanus, equeſtri victoria potitus, quibus curulem palmam conſecutus Theron, Agrigentinus, quib. Alcimedõ & Thimoleon palæſtriæ, quib. Ariſtocles pancratiaſta, quibus alii complures elogiis & honoribus afficiuntur? quib9 affecti dignitatibus ac muneribꝰ, quib. immanitatibꝰ ac privilegiis honorati per omnem Græciam leguntur? Sed neq; trinæ illæ athletatũ coronę

quarum etiam imperiales leges meminerunt, neque theatrales populi applauſus, neq; ſplendidiſsimi pugnatorum ingreſſus, neque quicquid præmiorum & munerum aliorum fuit, cum glorioſiſsimi Equitis Germanici nomine, aut cum nobiliſsimæ galeæ dignitate comparandum. Quid verò & Romanorum veterum gramina, quid folia, quid laureę coronæ, quid civicæ habuerunt, quod noſtris iſtis honoribꝰ anteponendum? cùm nihil tam excelſum, nihil tam illuſtre, nihil tam regium ex omni genere ſit, quod ſeſe equeſtri hac gloria & laude non illuſtrius atque ornatius fieri poſſe exiſtimarit? Sive enim ad nobiliſsimi inſtituti autorem, & ad principiũ rei reſpicias, quid Henrico primo illuſtrius, quid haberi poteſt nobilius? qui vetuſtiſsimis regibus Saxoniæ ortus, ex magni illius Witekindi, id ætatis fortiſsimi, contra Carolum Magnum Francorum regem patriæ libertatis aſſertoris, ſanguine defluxit: cujus incredibilem virtutem atque fortitudinem Conradus primus Imperator infenſiſſimus ejuſdem hoſtis admiratus, altitudine & ſucceſsione imperii propterea eum digniſsimum judicavit. Quid itaq; ex omnibꝰ aliis dignitatibus, quid ex civilibus ullis honoribus eſſe poteſt, quod, ſi inventoris & principis gloria magnam rebus inſtitutis auctoritatem & exiſtimationem conciliat,

majo-

majoris precii, propter autorē haberi queat, quam illa certaminum equeſtrium, à glorioſiſſimo Imperatore Henrico inventorum exercitatio? Colebantur à Græcis quædam ludorum genera ſtudioſius, atque eam ob cauſam majori in celebritate habebantur, quòd alii ab Apolline, alii ab Hercule, alii ab aliis heroibus dicerentur primùm inſtituti? Romani ideo ſpectaculis plurimū tribuebant, quòd illa à Romulo initium haberent. Curſus & certamina quædam pluris æſtimabant, quòd ab Ænea in Italiam cum Trojanis penatibus eſſent illata. Quid nos? nónne nobiliſſimum illud circi equeſtris ſtudium, haſtarumq́; militarium ludos hac eadem cauſâ antiquiores habeamus, quòd ab Imperatore Romano, qui omnium dignitatum fons auguſtiſſimus perhibeatur, ſingulari conſilio & prudentia inſtituti, quòd ab eo Principe, qui Germaniam noſtram omnium nationum & gentium exterarum principem fecerit, ordinari, quod ab eo heroë excogitati, qui nulli veterum tum rerū geſtarum gloria, tum generis illuſtriſſimi antiquitate, tum invictiſſimi animi magnitudine, tum maxima potentia ac amplitudine imperii, tum ſummę felicitatis admiratione poſtponendus? deniq́; quod non ab aliquo profanę ſuperſtitionis auctore, non à Capitolini Jovis, non ab Palatini Apollinis, non á Romani

Martis, non à Saxonici Armenii, non à veteris Væjovis Crodi, non à Triclavii aliquo barbaro cultore inventi ſed ab eo principe plurimũ celebratu, qui Chriſtianæ religionis protector & conſervator diviniſſimus; qui hoſtibus fidei longè lateque profligatis; Vandalis, Sclavis, Henetis, Hungaris, aliisq; compluribus gentibus barbaris expulſis; ultra Albis, & Haveli, ultra Oederæ littora cœleſtis verbi lucem propagaverit, Eccleſiæ pomœria extenderit, fines Chriſtiani regni amplicaverit, templa vero Deo cõſtituerit, epiſcopatus ordinaverit, plurimas opes ac fortunas in ſacros uſꝰ cõtulerit. Quid præclarius? quid illuſtriꝰ de ullius rei initio prædicari poſſit? Quod ſi dignitatẽ hujus inſtituti vetuſtate etq; uſu metiri velis: quid ex omnibus ferè Germanicis moribus ac conſuetudinibus, quid ex inveteris priſcis, quod antiquitatis gloria præferatur? Nondum mœnibus, uti nunc ſunt, pleræq; urbes atque oppida erant munitæ, nondũ tribus in civitatibus inſtitutæ, nondũ illud, quod fundamentũ hujus imperii dicitur, electorale collegium ordinatum, nondũ ulli, qui nunc in omnibus provinciis ampliſſima domicilia ac opes poſſidẽt, equites Teutonici, nondũ Johannitarũ militia, nondũ omnes illi, qui hodie regũ inſignib. illuſtres ordines ſpectantur, excogitati, nondũ

quàm-

quamplurima alia, quæ nunc in maximo pretio habentur instituta, cùm primùm Magdeburgi incredibili ducū & principū hominumque nobiliſsimorū conventu coacto, pulcherrima equeſtris ludi ſpectacula celebrata per omnes Imperii provincias ſummo cum ardore atq; lætitia cunctorū mortalium, florere ceperint; Ac tanta quidē rei gloria ac dignitas oborta eſſe dicitur, ut potentiſsimi nō modo duces ac principes, ſed etiam reges, regumq; liberi inter nobilitatis Germanicæ pubē, ſceptro & purpura depoſita, in pulcherrimis illis campis ac ſpatiis frequentiſsimè verſarentur: nemoq; tam altæ ſtirpis ac conditionis eſſet, qui hujus nobiliſsimi ſtudii curricula, ejusq; munera ac præmia ſuo loco inferiora exiſtimaret. Nec verò ſolùm omnis, quæ ad arma ferenda nata atque educata erat, multitudo, adſpectacula equeſtrium ludorū confluebat: ſed etiam omnis ætas, atq; ſexus imbellis ſummā ibidem voluptatem quærebat. Veniebant eo nobiliſsimæ matronæ, ut conjuges ac liberos ſuos honeſtiſsimis in arenis decurrentes viderent. Veniebant ſummo loco natæ virgines, ut parentes, ut fratres, ut propinquos, ut ſponſos, ut procos & amores ſuos feliciſsime equo hærentes, haſtam vibrantes, gladio utentes, lacertos & robora oſtendentes jucundiſsime contemplarentur. Veniebant, ut victoribus

applau-

applauderent, gratulatoria carmina canerent, coronas necterent, præmia & munera diſtribuerent, triumphantes oſculis ac complexu exciperent; ovantes manu ducerent, ſummâque lætitiâ choreis accenderent. O honorem & dignitatem incredibilem! Quæ gloria jucundior, quæ gratiæ ac voluptatis plenior fingi aut cogitari potuit, quàm publicis præconiis nobiliſsimũ equitem, glorioſiſſimũ victorem declarari, præſentibus non modò Imperatoribus ac Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, verùm etiam honorificentiſsimo matronarum virginumque nobiliſsimarũ cœtu ſpectante, in oculis dulciſsimæ uxoris, in liberorum cariſsimorum, omnisq; propinquitatis luce ac conſpectu, auro indui, torquibus illuſtrari, gladio cingi, coronis ornari, votis ac plauſibus cœlo uſq; evehi. Etſi enim ea honorum magnitudo, ea dignitatum amplitudo, ea gloriæ faſtigia ſint, ut non modò altiſſimũ ſolis currum, ſed & Jovis, quod dicitur, ſolium attingere videantur: nulla tamen ſuaviora, nulla gratiora, nulla fructuoſiora præmia eſſe dicuntur, quàm quæ non ſolùm noſtros, ſed etiã quæ in nobis parentũ & liberorum amicorumq; noſtrorũ oculos ac animos oblectare videmus. Quod Themiſtoclẽ prudentiſsimũ ducem crebro ſermone uſurpaſſe accepimus, cùm ſibi nullas laureas, nulla trophæa,

nullas victorias majori gaudio & voluptati fuiſſe diceret, quàm eas coronas & præmia atque munera, quæ in matris ſuæ gremium, domum detuliſſet. Quanta verò in liberorum honoribus ſpectandis parentum lætitia, quantũ deſiderium, quãta voluptas & ſuavitas ſit, nulliushominis arbitror, tanto flumine eloquentiam eſſe, quæ effari atq; exprimere illud poſſit, cùm eam etiam anguſtiã paterni cordis ſæpenumero in multis fuiſſe cognoſcamus, ut magnitudini affectus atq; gaudii capiendę nõ fuerint, ſed animis plenitudine lætiſsimarum rerum ſuffocatis fibrisq; pectoris diſruptis, nimiam lætitiam cum morte commutarint. Cedant itaq; omnia alia foris data & accepta præmia, cedant victorum militaria cingula, cedãt obſidionales & navales coronæ, cedant aſtrẽſia munera: Major in Aucupis campo jucundiſſimorum honorum præmiorumq́, venatio offertur. Quid enim? Aperiantur antiquarũ domorum familiæ: inſpiciantur vetera ornamenta; priſcæ virtutis monumenta perluſtrẽtur. Hic eburneos, illic aureos crateres antiqua arte elaboratos; hic precioſiſſimum ſmaragdum, illic adamantem: hic aurea imperatorum & principum monilia, illic Jaſpide fulgentes gladios reperiemus. Unde verò pulcherrima iſta dona, unde præmia? Campus dedit: majorum ſtudium promeruit; certa-

minis

minis labor reportavit: haſta obtinuit: gladius acquiſivit: victoria retulit. Quis enim veterum regum ac principum munificentiam? quis erga id genus exercitationum ſummam liberalitatem? quis ſplendorem & pompam in largiendis muneribus non audivit? Nolim recordationem veſtram exſpatiari longius: Ex finitima Thuringorum regione Henrici ditiſſimi id ætatis principis animo mecum repetite auream illam & argenteam juſtæ proceritatis arborem, quæ præmio fortiter in equeſteri *ludo* decertantibus propoſita fuiſſe *memoratur*. At quomodo? Haſtam, immotâ equi ſeſsione, frangenti, folium argenteum decerpebatur: adverſarii dejecti præmium aureus ramus erat. Honeſtiſsima antiquæ virtutis monumenta! quorum tam cupidi noſtri majores fuiſſe perhibentur, ut nullis itinerum intervallis ſeſe paſsi fuerint intercludi, nullis jugis ac montibus ſejungi, nullis fluminibus ſeparari, nulla temporis ac tempeſtatis injuria retardari, quo minus in remotiſsimas regiones ac provincias ſuſcepta profectione, circi equeſtris celebritatem, ac certaminis honorem & gloriam ſequerentur. Ibant illi nunc ad Albim in Saxoniam: nunc ad Rhenum in Palatinatum: nunc ad Oneſtrum in Thuringiam: nunc ad Iſtrum in Bavariam: nunc ad Mœnum & *S*alam in Franconiam, ut celeberrimi ſtudii

lau-

laudem aliquam ſibi compararent. Quam ne quis fortè nudæ ſaltem perſuaſionis refertiſſimam, inanem verò veræ gloriæ ſolidæque virtutis exiſtimet, quæ omnem ſuam vim ac fructum in felicitate & ſalute reip. collocatum habet; Videamus quid laudatiſſimi exercitii induſtria, quid campi labor, quid pulvis, quid haſtarum fractio, quid equorū agitatio, quid galearum quaſſatio, quid omnis ille ſpectaculi apparatus, patriæ profuerit, quid imperio conduxerit, quid reip. expedierit. Quid verò uſu prudentiſsimis Lycurgi cōſiliis ac legibus olim inſtituta Spartanorum gymnica certamina? quo ſpectabant eorum palæſtræ? quo ſaltationes Pyrrhicæ? quid currus Achaici? quid labores Iſthmici? Audiamus de hiſce rebus Xenophontem: Quid ille? Ideo iſta eum ad modum quam optime inventa & inſtituta eſſe dicit, ut non modo valetudinem viresque corporis efficerent firmiores, ſed etiam bellicæ virtutis ſtudium diſciplinamq; militarē incenderent, acuerent, conſervarent. Eodem ſcilicet Perſarum retia, eodem ferarum agitationes, omniſq; venatorius ſudor ibat, ut quēadmodum idem ſcriptor ait, meditationum & præparationem belli ejuſmodi ſtudia continerent. Quid verò veterem noſtram Germaniā, quā nobis Cornelius depinxit, cogitaſſe, quid ſpectaſſe arbitramur? cum avito ritu nudi adoleſcen-

leſcentes inter gladios atque infeſtas frameas ſeſe ludibundi jactarent, cum in omni cœtu nullũ aliud ſpectaculum libentius exhiberent, neq; alium quæſtũ aut mercedem, quàm voluptatem intuentiũ poſtularent? profectò ad uſum militiæ, cujus ab ungue ſtudioſiſſimi prædicantur, ludos & exercitia illorum converſa fuiſſe dicendũ eſt. Inter ferrum nutriebantur, inter ferrũ adoleſcebant, inter ferrũ ſeneſcebant, ut fortitudinis ſuæ materiem nunquam è manibus deponerent. At eadem cõſilia Henrici Imperatoris, eædem cogitationes in inſtitutione equeſtrium ludorum fuerũt, qui cum animadverteret, veterem militandi alacritatem ætatem ætate ſua magnoperè relanguiſſe, virtutis priſtinum ardorem refrixiſſe, diſciplinam antiquam in ſqualorem & ſitum abiiſſe, mores & tempora plurimum defeciſſe: cum idem perſpiceret, omnium ferè exterarũ nationum ac barbarum gentium arma in exitiũ Germaniæ conſpiraſſe, extremum hujus rei remedium in aſſidua fortitudinis armorumq; exercitatione poſitum eſſe judicabat; Hac enim ratione Græcorũ imperium auctũ & conſervatum, hac Romanorũ rempub. ex minimis initijs ad ſummum faſtigium evectã, & ad univerſi orbis dominatũ incredibili felicitate progreſſam intelligebat. Nec vero animum ejus conſultiſſima ſententia fefellit. Novo etenim
illo

illo inſtituto virtutis indoles renovata, animorum alacritas revocata, militandi cupiditas incitata, arma veteri ſqualore ac ſitu repurgata, exercitiorum ſtudia frequentata, nova bellorum felicitas in omnibus pręliis ſubſecuta. Fuſi ab eo tempore Vandali, repulſi Sclavi, cæſi duabus maximis cladibus Hunni, preſſi Sorabi, domiti Luſatii. Friſia ejecti Normanni, fugat, Holſatia Dani, deleti Obotritæ, ſub jugum redacti Boii, in terrorem & teſqua ſua conjecti Sarmatæ. Admiranda majorum fortitudo! qua res tantæ tam brevi intervallo peractæ: liberata veteris tributi onere Germania, quod longo tempore Hunnis perſolvere omnes provinciæ cogebantur, cùm militaris roboris & diſciplinæ fiducia fretus Auceps, novorum certaminum inſtitutor, barbarorum regi cenſum per legatos ab imperio petenti ſcabioſum canem, turpiterq; tonſum ac defor matum referri juberet, liberata omni infeſtiſſimi hoſtis metu, cùm centum & quadraginta millia una acie ad Merſeburgum ab imperatoris copiis fuſi ad unum omnes occiderentur. Quid verò? nunquid negabimus remp. eo dic fructum & émolumentum præclarum militarium exercitationum cepiſſe? negabimus haſtas & gladios, jam ante in certaminum præludiis præparatos maximo adjumento victoriæ tam inſigni fuiſſe? Atqui erant illę manus,

erant illi lacerti, quibus tanta hoſtium ſtrages edita, qui pauló ante in ludis & ſpectaculis vi-ſi fuerant: Erant fortiſſimi illi equites, qui ex cruentiſſima illa pugna, ad eadem exercitio-rum ſpectacula Gottingæ ab Imperatore in-ſtituta, lætiſsimo animo regrediebantur. At cur hoc ita inſtitutum? Ut nimirum, quemad-modum Arcadius & Honorius olim ad Stili-conem militum ſuorum magiſtrum ſcripſiſ-ſe leguntur, boni milites quotidiano armorũ uſu ad futura bella præpararentur. *Quod* cer-tè quàmdiu veteri inſtituto in hoc imperio ſervatum fuit, tam diu optima rei militaris diſciplina, Fortitudinisq; Germanicæ laudes feliciſsimè floruiſſe prædicãtur. Quibus enim exteris nationibus, quibus gentibus & Catto-rum noſtrorum, & Francorum & Suevorum & *S*axonum equitatus non terrori fuit? aut quæ ſine illorum lanceis ac gladiis, quos aſſi-duus exercitiorum uſus, campiq; equeſtris præludia ad omnem aciem expeditiſsimos reddiderant, bella confecta, quæ prælia com-miſſa, quæ victoria relata? Nunquam enim ferè nobilitatis noſtræ haſta tum refrigeſce-bat nunquam tractatio armorum quieſcebat, ex equeſtrium ludorum ſpatiis, tanquam ex Martis gymnaſiis, ad ſerios hoſtium conflictꝰ: inde ad campeſtrium haſtarum vibrationem, veluti ad animi refectionem, redibant. Pulſa hac ratione omnis ſegnitiet, ejectus omnis

corpor,omnis profligata deſidia;otium, quo nihil imperiis pernitioſius, longiſſime remotum: ſublata plurima quæ vitam inertem comitari ſolent flagitia, extinctæ libidines refrenatæ voluptates: inhibita crapula:repreſſus curſus earum rerum omnium, quas, nihil agendo malè agere homines incipiunt. Quid verò utilius reipub.excogitari, quid ſalutarius inveniri,quid præclarius inſtitui potuit? Si enim nulla alia pulcherrimi inſtituti ad publicam redundaret commoditas, tanti tamen vitiorum coertio,tanti malorum morum extirpatio æſtimanda eſt; ut quæcunq; avertendis libidinibus, imminuendis voluptatibus, delendis flagitiis,amandandæ ſocordiæ atque pigritiæ remedia exiſtere poſſint, nullis habitis ſumptuum & difficultatum rationibus, in civitatem apertiſſimis foribus ſint introducenda. Quod enim ſeveriſſimè olim Draconis leges, quod ſcita Lycurgi,quod Minois tabulæ,quod decem virales Romanorum leges,quod lictoriæ virgæ ac ſecures vix efficere alibi potuerunt, ne ſtupris ac adulteriis cubilia polluerentur, ne innocuo ſãguine manus fœdcrentur, ne probris & criminib. honeſtæ familiæ pe:erentur: illud profectò certaminũ equeſtriũ diſciplina,tũ quod omniũ ſcelerũ facẽ accendere ſolet, otii amolitione,tũ arctiſsimis legũ pręſcriptis&articulis,

ut appellarunt, torneamentorum, feliciſsimè præſtitit. Quis enim mœchus, quis adulter, quis virginitatis corruptor, quis latro, quis ſicarius, quis homicida, quis ſceleratus, quis calumniator, quis infamis, quis profugus in honeſtiſſimorum equitum circum admiſſus? repulſi ab his arenis omnes arenarii, omnes qui vilioris exiſtimationis habebantur: reſectæ omnes ſordes: ingreſſu prohibiti quotquot malis artibus & quæſtibus nobilitatis famam oneraſſent. O temporum & morum *integritas!* Quod unquam veterum ſaniorum philoſophorum collegium quæ Stoicorum ſchola? qui Pythagoræorum conventus? quod ſodalitium tam purum & immune ab omni fæce conſervatum? honeſtioremne ullam diſciplinam in antiqua Catonis familia haberi potuiſſe cenſeamus? aut plus utilitatis cenſoriam virgulam, notamq́, reipub. attuliſſe dicamus, quàm illa equeſtris diſciplinæ norma non modò publicè univerſis imperii rebus, ſed etiam, ſingulis familiis privatim contulerit? Quantum enim optimis ſtudiis cujuſq; opes ac fortunæ augebantur? domicilia, bona, ac prædia amplificabantur: militaribus præmiis atq; ſtipendiis patrimonia creſcebant: regum ac principum favores benè meritis beneficia ferebant: agri, villæ, vici atq; oppida dono cedebant. Quid dignitates, honores, officia & titulos,

titulos, quibus fortiſſimæ familię evehebantur? quid dicam adminiſtrationes ac imperia, quibus bellicoſiſſimi equites, ex ludis equeſtribus egreſſi, præficiebantur. Quis enim tam veterum Germaniæ rerum ignarus, qui, Billingum neſciat ſtudii equeſtris gloria eò effloruiſſe, ut inferioris Saxoniæ conſtitutus gubernator, hæreditarium Ducatum Ottonis primi municentia obtinuerit, & ad poſterita. tem, quę centum & quinquaginta annos cum poſſeſſionem continuavit, detulerit? Hoc nimirum veteres haſtæ, hoc galeæ, hoc clypei, hoc ocreæ & calcaria, hoc illi Aucupis ludi & certamina ſpectabant, hoc quærebant, ut nobilitatis nomen honeſtiſsimis actionibus, laudatſsimisq; ſtudiis ac artibus quæ amplisſimū haberetur: eo majorum omnis cogitatio, eò omne conſilium ibat. Qui ſi in veteres ſuas arces, ſi in caſtella ac prædia, ſi in domos poſteritatis ſuæ hodie è cineribus excitati redeant, ſi haſtas, quibus olim ipſi in campo uſi, ferrugine obſitas, ſi galeas exeſas thoraces diſtractos, loricas diſſolutas, ſi gladios in vera videant converſos, quid, quæſo, arbitramini illos eſſe dicturos? An non graviſsima hac voce degenerem ætatem compellarent? Quid hoc ævi? quid rei? quid ſtudii? ubi ſanguis, ubi animꝰ ac indoles noſtra? ubi veteris diſciplinæ ritus, ubi mores? ubi inſtituta noſtra & conſuetudi-

ubi illæ, quibus hæc domus atq; hæc jugera, nobis parta, ſanceæ? ubi, quæ ſunt relicta à nobis virtutis & fortitudinis gymnaſia? nulli amplius campi, nulli concurſus, nulla exercitia, nullæ leges & pręſcripta veterum morum ſuper ſunt? pro lanceis ſumptuoſas lances, pro haſtis, ſericos faſtus pro pilis luſorias pilas, pro galea perhitioſam aleā videmus? O tēpora! ô ſtudia pro vernaculis inſtitutis & certaminibus, peregrinæ ſaltationes diſcuntur: pro gladiorum vibrationibus fœmineæ geſticulationes motusque Jonici adhibentur? Quæ cùm ad hunc modum illi nobis objiciant, cùm vehemēter increpent, cū acerbè nos objurgent, & coarguant, quidnam reſpondemus? Nihil profectò, opinor, quod nō inertiā, nihil quod non degenerem in nobis animum atq; timorem detegat: pericula & diſcrimina fortaſſe opponemus, quæ majores noſtri in adeundis exercitiis, minus providi, nō cogitarint? ex ludo lanienā evaſiſſe ſubinde, dicemus: inflicta eſſe hoſtilia vulnera, ſubſecutas cædes, & ſtrages, ſpectaculi voluptatem in mœrorem & acerbiſſimum luctum eſſe mutatam: revocabimus, puto, in memoriam exercitia Merſeburgenſia, in quibus Johannes Marchio Brandeburgicus, ſummæ virtutis ac pietatis princeps, accepta lethali plaga, cum incredibili pa-
triæ

tiæ dolore interierit: Recordabimur Friderici principis Thuringiæ fortiſſimi, qui Petaviæ celebratis haſtarũ ſpectaculis, graviſſimè vulneratus, ſemianimis è circo alatus fuerit. Notabimus Primislaum Megapolitanorũ ducem, qui inter dimicandũ in ludo equeſtri, præcipitatus equo perierit. Teſtem producemus, urbiũ coronam, urbem Noricã, quæ Ludovicũ ducem Bavariæ lancea percuſsum in ſpectaculo obiiſſe vidit. Vidit eodẽ fato, eodem ludorũ genere occumbere Hermannũ Marchionẽ Veltburgenſem Herbipolis. Nunquid plura? Compellemus provincias ampliſſimas Francorum & Saxonũ: Quid illa? loquentur mutuæ gentis rixas, graviſſimas contentiones, inimicitias, ſimultates, & inde ortas cædes, quarum origines ex campo illo profectæ. Et ne domeſticum exemplũ prætereamus, recenſebimus, quæ funera, quos luctus Darmſtadini ludi annis ab hinc ducentis & quatuor attulerint; cum, Francis & Cattis infeſtiſſimo animo atq; odio concurrentibus, illorum ſeptendecim, horum novem intra ſepta occubuerint. Sed quid ad hæc noſtri, quos antea produximus, majores? non eſſe, inquiunt, hominum perverſitates, odia, iras, cædes, & ſi quæ alia ſunt, quæ calumniã rebus honeſtis conciliare poſſunt, ſtudiis & exercitiis nobiliſſimis imputanda; nõ eſſe ob unius & alterius infelicitatẽ

fatumq; adverſum reipub. compendia tollenda: non enim idcirco, quod Tiberinꝯ aqua perierit, Tiberis navigationem unquàm eſſe intermiſſam. Neq; propterea Rheni noſtri lintribus abſtinendum eſſe, quòd Hartmannus Rudolfi I. Imperator filius, in eo fuerit ſubmerſus. Nam rectiſſimè de re iſta leges civiles loquuntur: navis cùm parata ſit, ut naviget, navigatum eat, etiamſi periculum naufragii immineat. Quid? an non eodem verbo omnes qui ſeſe equeſtri loco natos, heroico ſanguine genitos, parentibus nobilioribus *editos* prædicare velint, alloquamur? ut cùm ad gladium, ad haſtam, ad galeam, ad bellicam diſciplinam ſint, procreati, ad laudem & gloriam militarem educati, opibus & fortunis copiis ac beneficiis ob eam cauſam donatii, ad alendos equos prædiis & villis fortunati, majorum ſuorum laudatiſsima inſtituta colant, virtutis avitę veſtigiis inſiſtant, antiqua fortitudinis exercitia repetant, rerum militarium præludiis vires ſuas inſtruant, publicis in oculis ac judiciis peritiam ſuã oſtẽdant, exemplis alios invitent, haſta certent, gladio dimicent, ictus & verbera nihil reformidare aſſueſcant, cõtraq; pericula ubiq; animũ invictũ pręſtare diſcãt. Video nobiliſsimi cõmilitones, hæc dũ dico, animos veſtros vehemẽtiſsimè cõmoveri, video eos cupiditate veteris glorię ac laudis ac-

dis' accédi; video vos mecũ in hanc ſententiã pedibus manibusq; ire, nihil tum dignitate & honore, tum publicis ac privatis utilitatibus refertius haberi, nihil nobilitate dignius, nihil præclarius, quàm ſi veteres haſtarum ludi in omnibus provinciis, in campis, in atriis, & aulis regum ac principum diligentiſsimè more ac inſtituto majorum celebrentur, leges ac articuli revocentur, veteris diſciplinæ præcepta, armorumque ſtudia ad ſalutem reip. tuendam, & ad decus ac ornamentum equeſtris ordinis conſervandum maxima induſtria & exercitatione frequententur.

ORATIO XXVI.

Recitata à

CVNRADO DE PLETTENBERG LIVON.

Ludos equeſtres eſſe omninò tollendos.

QUÆ eſt iſta in veterum barbarie efferenda prædicatio? quæ iſta munerum, quæ præmiorum ex cruentis ſpectaculis commemoratio? quæ inſolens haſtarum & clypeorum, quæ rerum ludicrarum oſtentatio? Illine exercitia, in benè inſtituta repub. ferenda? Quid ſi ne ludi quidem? Audjamus enim, quid nobiliſsimus & ſanctiſ-

ſimus, ut in legũ voluminibus appellatur, Romanorum imperator Juſtinianus de ejuſmodi ludorum genere ſcripſerit, quid edixerit, quid ſanxerit. Indigni, inquit, & peſſimi, imo magis ſerviles ludi iſti ſunt, quorum effectus injuria exiſtit. Quis verò ludos appellet eos, ex quibus crimina oriantur? eos igitur fieri nullo modo patiemur. Quã quidem ſummi principis, tanquàm ipſius Dei vocem, non ſecus ac graviſſimi fulminis ignem oppoſitam velim, omnibus iſtis, quas plenis tibiis decantatas audivimus, veterum neſcio quorum certaminum laudationibus. Quid verò laudabile in eo eſſe poteſt, quod cum maxima feritate, cum ſævitia, cum immanitate, cum barbarie extrema eſt conjunctum? aut quid publicæ utilitatis, quidvè privati commodi in re iſta quærimus, cujus gloria omnis atq; finis in læſione alterius, in plagis ac vulneribus, in cædibus ſine cauſa conſiſtit? Res profectò otio civili & quiete domeſtica, ut Chriſtianæ fidei defenſor acerrimus, Conſtantinus Cæſar, ſæveriſſima lege edixiſſe legitur, indigniſsima! Idcirco enim ille omnia gladiatorum veterum ſpectacula, quorum antiquiſsima in urbe & orbe Romano frequentatio, tantaq; celebritas erat, ut honeſtiſsimo nomine munera appellarentur, penitus ſuſtulit, quòd, cùm cruenta eſſent, togatis & quietis reip. temporibus paciſq; otio

quam

quàm minimè cõvenirent. Chriſtianę civitatis rectore conſiliũ atq; factũ digniſsimũ! quodq; cœlo uſq; omnes antiquæ pietatis cœleſtisque doctrinæ antiſtites jure & meritò extulerunt. Quid verò iſtæ veterum myrmillonũ dimicationes, retiariorumq; luctæ, quid gladiatoria certamina ab iis, qui poſteriore ætate inſtituti ſunt haſtarũ conflictib. diſtant? aut quid inter recentiorẽ iſtum Aucupis campũ, atq; veteres illas Romanorũ palęſtras interfuiſſe dicemus? niſi quòd illic homines abjecti & infames, quique ad beſtias atq; ad alia ſupplicia damnati erant, pedites in arenã deſcenderent, hîc verò præter eos, qui nobiliſsimo genere & longa majorũ ſerie commendatiſsimi haberentur, nemo intra cancellos & ſepta equeſtria admitteretur? Eadem autẽ in utroq; certamine ferocitas: eadẽ ſævitia: eadem humani ſanguinis effuſio: eadẽ publicæ tranquillitatis atq; pacis domeſticæ indignitas. O tempora! ô mores! à quibus tum natura ipſa, tum qui naturæ lumine humanitatem & honeſtatem aliquam civilem perſpexerunt, omnes homines vehementer abhorruerunt. Catonem etenim accepimus idcirco theatrum ingredi noluiſſe, aut ſi fortè eum caſus aut officii aliqua ratio eò detuliſſet, continuò ex eo diſceſsiſſe, qui veniſſe etiam propterea in circum vulgò dicebatur, ut viciſsim abiret. Incredibile

verò

verò dictu] quibus verbis Christiani doctores rem iſtam etiam in gentibus execrati fuiſſe legantur. Alii cum Iſidoro ejuſmodi ſpectaculis intereſſe, nihil eſſe aliud dixerunt, quàm dæmonum cultibus præeſſe; alii ludos iſtos libidinem crudelium luminum cum Cypriano appellarunt; alii cum Lactãtio, nihil iis eſſe horribilius, nihil tetrius: pollui & inquinari civitates iis alii cum Euſebio exclamarunt, alii non modo omnem humanitatem, ſed etiam animam ipſam prorſus in eo loco perdi cum Auguſtino affirmarunt. At hæc ſunt egregia iſta commoda, hi fructus iſti præclari, qui ex ludis iſtis ſanguinolentis redundare prædicentur! Nec verò eorum certaminum, quæ, ut ipſo nomine rei barbariem ſignificarent, barbara appellatione Torneamenta dixerunt, alia ratio eſſe poteſt, quorum non alius effectus, non inſtitutio alia, non finis, non eventus alius exiſtit. Sed & præterea equeſtrium concertationum campus tantò reip. pernitioſior atque luctuoſior eſt, quantò nobilior ille ac illuſtrior ſanguis habetur, qui in diſcrimen ac periculũ in eo vocatur, quàm cruor iſte fuit, quẽ olim gladiatoria arena hauſiſſe conſuevit. Quot n. non modo perantiqua nobilitate heroũ liberos, ſed etiam regum atq; principũ celſiſſimorum ſtirpe natos peſtis iſta voragine ſua abſorpiſſe dicitur? Audiſtis ab ipſo ludorũ patrono

ſupe-

ſuperiore oratione ejus rei exempla non negari, audiſtis nominatim ex illuſtriſſimis imperii familiis complures appellari, quibus immaturam & reipub. luctuoſam mortem iſti ludi attulerint: audiſtis uno eodemq; tempore tanquam ex juſto prælio magnum cadaverum numerum è ſpectaculi circo eſſe elatum; audiſtis non unam provinciam infecto nobilitatis ſuæ flore acerbiſſimè ingemuiſſe. Cognoviſtis hanc quoq; ditionem Haſſiam antiquo genere florentiſſimam, uno die per iſta ludicra certamina plus cladis in nobiliſſima ſua pube pertuliſſe, quàm vel in multis ſæpè hoſtilibus pugnis eidem quàmplurimis ab annis acciderit. Quis rem iſtam non omnibus execrationibus devovendam eſſe dixerit? Quis non immaniorē, quàm vel omnes iſtę fuerunt, quas in fabulis vetuſtis barbararum gentium legimus, inter ipſas civilibus & fraternis armis exercitas lanienas & cædes? Quid enim iſtæ, quas audimus, Cadmeæ pugnæ, quid Centaurea prælia, quid Lapitharum ferocia, quid denique ſævisſima illa veterum Cyclopum familia immanitatis habuit, quod non conferri cum iſtis inſtitutis & moribus poſſe videatur? At illi iram & furorem natura ſibi inſitum ad arma afferebant: afferebant odium & inimicitias: hîc ipſa ratio in belluino ſenſu inſanit: pro furore libido, pro incitamento voluptas

eſt: ſub amicitiæ ſpecie hoſtiles conflictus fiũt: amoris gratiâ vulnera: joci & luſus cauſa cædes in propinquis, homicidia in affinibus & conſanguineis perpetrantur. Nihil ſanè ejuſmodi quondam in veteris Græciæ certaminibus auditũ: nihil in Iſthmicis: in Nemeis nihil, nihil in Olympicis ludis ſimile cognitum. Illic curſus & circus ſine ſanguine erant: ſine cruore ſtadiũ & meta: virium exercitatio immunis ab omni nece habebatur: manuum & lacertorũ oſtendatio injuria & crimine omni carebat, Campus & pulvis ſine cadavere: diſcus ſine offenſa erat; tamq; innoxia cunctorum exercitiorum genera, ut etiam fortuiti ſi qui caſus accidiſſent, publico dolori & triſtitiæ forent. Quis enim ipſorum deorumque rimonias, quis Apollinis gemitus ac ſuſpiria ex poëtarum carminibus non cognovit, cùm inter ludendum lapſu fortuito diſci puer interiiſſet? At quid in Aucupis campo? Tanquã olim, cùm contra Hunnos ad Merſeburgum acerrima acie pugnatum eſſet, occiſorum in ludo ſtrages viſebantur. Hæc ſcilicet illa oculorum voluptas, hæc animi jucunditas eſt, quę ex hujuſmodi ſpectaculis omniũ cum applauſu percipitur: hæc iſta rerum publicarum utilitas, quæ totius imperii lætitiis & choreis, & tanquã opima victoria, atq; de hoſte externo triũphus celebratur. Irriſos à prudentiorib. nõ

imme-

immerito veteris Germaniæ populos legimus, quòd tali & aleæ jactui ludiq; fortunæ nō modo omnes ſuas fortunas, opes, bona, domicilia, lares ac penates cōmiſerint, ſed etiā libertatem & corpora ſua in eadē diſcrimina vocaverint, quòd victi in ſervitutē ultro ſeſe dederint, quod vinculis & catenis ſeſe alligari, alligati venundari paſsi ſeſe fuerint. Quis ſtultitiā ſingularem fuiſſe nō fatebitur? at illi fidē, Tacito teſtante, appellabant. Sed annón multo major, non dicam ſtultitia, ſed amentia & inſania eſſe videtur, ipſam vitam, ſanguinem atque animam inani ludorū ſpectaculo ire perditum? At illa nobilitatis unica gloria: illa virtus & fórtitudo equeſtris: illa antiqui generis unica nota & teſſera: illa clypei & ſcuti hereditarii conſervatio: illa galeæ avitæ commendatio eſſe prædicatur. O labem! ô familiarum illuſtrium peſtem! patriæ calamitatem! In ludo quoties perierunt, qui ſpem maximam univerſam generis ſui atq; reip. ſuſtinebant? Ludo abrepti parentibus liberi, liberis parentes, quos longinqua itinera domum remiſerant: maria conſervaverant: prælia ex mediis hoſtium cuneis reſtituerant. Ludo ſæpius abrepti in ipſis nuptiis ſponſi, quos ardentiſsimo deſiderio genialis thalami amplexus ad ſtirpis propagationem expectabat? Periit triſtiſsimo hoc fato Johannes Illuſtriſ. ille prin-

princeps, Marchio Brandeburgicus, quem, quòd Pragæ in Bohemia natus eſſet, Pragenſem cognominarant. Merſeburgum rei triſtiſſimæ teſtimonio erit: Vidit urbs iſta uno eodemq; die intra mœnia ſua lætiſſimas nuptias, vidit ex illis luctuoſiſſimas exequias fieri. At hæc non tam caſu, quàm ſingulari divinæ indignationis ardore accidiſſe putandũ eſt. Quo enim vultu arbitrabimur, quibus oculis ſupremum illum omnis injuriæ & iniquitates judicem, humaniq; ſanguinis ultorem ſeveriſſimũ, mortalium iſta ſpectacula è ſublimi cœli tribunali intueri, in quibus voluptatis gratià in civitate Chriſtiana homicida, & divinæ imaginis interfectiones pro ludo & pro nihilo habeantur. Luduntur, illuduntur cœleſtia interdicta, quæ de non effundendo mortalium ſanguine non una voce & ſententia quàm graviſſimè promulgata fuerunt. At læſæ majeſtatis crimen principes etiam in ſtatutis & ſimulacris ſuis acerbiſſimo ſupplicio vindicare ſolent. Quid? an non multo juſtius conditorem rerũ omnium exardeſcere putabimus, ſi tam vilẽ effigiei ſuæ rationẽ inter homines eſſe videat, ut ipſi inter ſeſe de vita ac ſanguine ludibundi dimicent, & ſpectaculi voluptatem in mutua nece quærant. Incredibile profecto dictu eſt auditores, quantoperè iſta ſummo omnium noſtrûm regi & parenti Deo diſpliceant; Ac

certè

certè illud manifeſtiſſimum iræ divinæ indicium fuit, cùm, qui ludos & certamina iſta in aulis & areis ſuis inſtituerant, principesq́; & auctores cruenti ſpectaculi fuerant, non rarò ipſi prima vulnera lethalesque plagas acceperint. Contigiſſe illud avorum memoria fortiſsimo principi Friderico Thuringiæ Lādgravio nemini ex annalibus noſtris ignotum eſſe poteſt. Cùm enim ille voluptatis & honoris gratia finitimis ſuis comitibus & magnatibus provinciæ magnis impendiis equeſtres iſtos ludos Pegaviæ inſtituiſſet, auctor eſſe per ephippium, etſi illud ſemptemplice corio inſtar Achillei ſcuti munitiſſimum eſſet, inter primos lancea trajectus pro demortuo domū reportabatur. Atqui hoc divinitus ita evenire etiam ignari veræ religionis homines in gentili caligine perſpexerunt, cum rei iniquę ac illicitæ ſuaſorem atq; auctorem plerunque cum Tolumnio illo Vergiliano primū omnium cadere animadverterint. Etſi autem plura ejus rei exempla adduci poſſint, non tamen pluribus ex vetuſtate proferendis opus eſt, Audivimus ipſi noſtra memoria ex Gallia nobis commemorabile exemplum afferri. Quis enim Henrici II. regis Franciæ pręmaturum interitum iiſdem è ludis inter nuptias eveniſſe non cognovit? at idem ut periculoſi certaminis inſtitutor, ita ipſe fati atq; mortis ſuæ

auctor fuiſſe videtur. Sed hæc plerunq; caſui & fortunæ aſſignari ſolent, atq; idcirco irrideri, ſi quis propterea ſublatum haſtarum armorumq; exercitium velit, quod multi temerè in eo petierint. Et per navigationem, inquis homines innumerabiles interierunt, nũquid propterea omni mari abſtinendum eſſe putabimus? At quid contra prudentes. Navis, inquiunt, naviget, etiamſi periculum naufragii immineat, quando quidem illa ad hoc parata eſt? ut naviget. His enim verbis Ulpianum Jureconſultum ea de re ſcripſiſſe legimus: Quid audio? Ergò te ad eundem modum in hanc lucem editum eſſe nulla alia cauſa putas, quàm ut ex barbaris iſtis cruentisq; ſpectaculis voluptatem capias, omnemq; ętatis tuę rationem in plagis in vulneribus, in cæde & ſanguine, ferarum ritu, poſitum habeat? ô ſenſum ferè beluinum! quo veteris ſeculi homines quàmplurimos imbutos fuiſſe cognovimus. Quid enim illi aliud cogitaſſe, quid ſpectaſſe videntur, qui relictis omnibus tum domeſtici tum publicis curis ac negotiis, longiſſimma etiam itinera in remotiſsimas provincias ad inſtitutos haſtarum ludos ſuſcepiſſe dicuntùr? Multos etiã tam occæcatos dementatosque voluptate hujus rei fuiſſe conſtat, ut, quod in Circea hara Ulyſſeis ſociis contigiſſe fabulantur, non modò ſuæ patrię, domus, foci, laris, cunctæq; neceſsitudinis, verùm etiam

chariſſimæ conjugis, dulciſsimorumq́; libero-rum, deniq; omnem ſui ipſorum memoriam foris amiſerint. Res propè incredibilis, niſi exempla veterum ex rithmis antiquis & ex cantilenis etiam vulgò notiora eſſent, quàm ut hoc loco neceſſe ſit ea nominare. Veteris quidem ævi ſtolidam iſtam temeritatem non immerito admiramur, cum fortiſſimi quiq; principes, quemadmodum de heroum rebus geſtis antiquo carmine canitur, cum Theodorico Duce Veronenſi, ejusq; magiſtro Hildebrando ex Italia aliisq́; remotioribus regionibus ad Rhenum noſtrum, duelli gratia convolaſſe, magnoq́; agmine in Vangionum horto inter roſas & lilia, conſequendæ ex eo coronæ cauſa cruentiſſimis pughis dimicaſſe prædicētur. Atq; hanc ſuam ſuorumq́; comitum ſtultitiā & vecordiam ipſe illi non ingenii & doctrinæ expers Longobardorum princeps agnoviſſe & clariſſimis verbis arguiſſe legitur. Quid? an non ejuſdem amentiæ poſteriorem ætatem fuiſſe dicemus, cùm eodem animi furore homines nobiliſſimi ad mutua vulnera & interitus ferri viderentur. Nec enim tanto numero Colchicā iſtā veterem expeditionē fuiſſe prędicāt quātæ multitudinis eōcurſatio ex omnibus nationib. ac gentib. ad iſtos campos fuiſſe perhibeatur. Dixiſſes œſtrū & furorem hominū animis incidiſſe. Ita enim currebant,

ita feſtinabant, ita volabant, ut neq; altiſſimorum montium, neq; vaſtiſsimi maris interjectu ſeſe retardari paterentur. At multò ſanior mens & ſenſus meliusq; conſilium antiqui illius Jaſonis ejuſq; comitum fuiſſe videtur. Illi enim ut opes & theſauros, quos fama cognoverant, domum ſuã conferrent, armati enavigabant: hi ut foris per inanem voluptatem & ludum, quas domi habuerant, facultates conſumerent, villas & prædia, ut decoquerent ac dilapidarent, ſumptuoſiſsima itinera ſuſcipiebant. Quis enim veterũ iſtarum rerum tam ignatus eſt, qui neſciat maximarũ divitiarũ atq; hæreditatũ copias in hoc ſcopulo periiſſe? quis luxum & ſplendorem equeſtris apparatus? quis regiam magnificentiam & ornatum in phaleris in armis in ocreis, in calcaribus, in galeis, in criſtis, in monilibus in gemmis, in unionibꝰ in ſericis & holoſericis veſtimentis, in byſſo & purpura? quis denique incredibilem mundi muliebris, prodigalitatem, quæ verbis exprimi nequit, non cognovit? Hæc enim hæc profectò illa vorago, hæc Scylla, hęc Charybdis illa Germaniæ fuit quæ avitas veteris nobilitatis fortunas, quæ bona, domicilia, villas, agros, cenſꝰ, vectigalia, fundos, domos, arces, totos deniq; lares & penates hauſit, devoravit abſorpſit, Hoc illud fretum eſt, hic ille

gurges

in quo laudatiſsimæ familiæ naufragia rerum & poſſeſſionum ſuarum fecerunt. Nam quod veteris Græciæ ditiſſimis accidiſſe hiſtoriarũ princeps prodidit, ut, cum Perſiæ regem Xerxem convivio atque epulo excepiſſent, tantis ſeſe ſumptibus ejus rei exhauſerint, ut ipſi ad inopiam & egeſtatem extremam ab eo tempore pervenerint: illud profectò animadverſum eſt eodem modò multis opulentiſsimis equitibus ſuperiore ætate ex Aucupis campo eveniſſe, cùm omni domeſticarum rerum cura abjecta, ludis tantummodo & ſpectaculis hiſce inhiarent, provincias atq; ditiones omnes eorum ſtudio pervolarent, opes & facultates ſuas armorum nitori, equorum curationi, veſtium & apparatus ſplendori impenderent. Hinc tanta patrimoniorum diſsipatio tanta veterum bonorum ceſsio: hinc tanta agrorum alienatio: hinc deniquè maxima æris alieni inundatio emanavit. Leguntur ea de re ipſorum equitu quærimoniæ: leguntur decreta & articuli quos ipſa nobilitas Suevica Heilbrũnæ & aliis in locis, ut tãto tãto tetrimento mederetur, latis veſtiariis legibus propoſuit & præſcripſit. Sed ea luxui atque prodigalitati natura ineſſe conſuevit, quam in furore eſſe conſpicimus. Illum ſi catenis onerare, ſi vinculis reprimere velis, magis magisque accendes. Nec aliter luxuries exæſtuare ſolet, ſi ſibi

frenos & fibulas imponi animadverterit. Indies itaq; illa ſumptuum perfuſio vehementiùs effervefcebat, donec ſuam ipſius magnitudinem diutius ferre nō poſſet. Hinc etenim primum veteris campi infrequentia, & ſolitudo: hinc deinde totius exercitii intermiſſio: hinc deniq; omnium iſtorium ludorum fuga & odium eſſe cepit. Centum autem nunc amplius anni elapſi ſunt, cùm ab eo tempore, quando poſtremum ſpectaculum in urbe Vangionum exhiberetur, haſta in publicis iſtis certaminibus refrixerit. Nec verò ſeculi hujus noſtri conditio iſtam omnium opum & copiarum flammam diutius pertolerare potuiſſet. Quæ enim olim in illis conventibus, tanquam in numeroſiſſimis multorum exercituum caſtris, rerum omnium, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur, conſumptio? quãta frugum, quanta vini omnisq; copiæ perditio? Voluptatis gratia pauciſſimis diebus in una urbe conficiebantur, quæ univerſæ provinciæ neceſſitatiq; temporũ ſufficientem alimoniã totũ per annũ ſuppeditare potuiſſent. Contra potentiſſimum hoſtem æquitatus eo pabulo ali valuiſſet, quod in ludorum inania ſpectacula conferebant. Mitto helluationũ perniciem, taceo conviviorum ac comparationũ gurgites, quib. quod multorum annorũ frugalitati ad menſæ lætitiam ſufficere potuiſſet,

uno ferè octiduo exhauriebatur. Nam quod hiſtoriarū veterū parens deſeſto Bubaſtico Ægyptiorū memoriæ prodidit, cum ſcripſerit in ejus celebritate plus vini abſumi ſolitū fuiſſe, quam reliquo totius anni tempore, idem de iſtis majorū nūſtrorum conventibus veriſsime prædicari potuit. Etſi autem id ætatis tempora multo rerū omnium uberiora eſſent, quam nunc noſtra eſſe ſolent; nihilominus tamen plurimum oneris ex ea te cõmunis annona ſentiebat. Quid vero in hac noſtræ ætatis diuturna ſterilitate, tellurisque defectu nobis accideret, cum ne trãſitū quidem copioſioris expeditionis ſine graviſsimis querelis latiſsimæ provinciæ ferre poſsint? At majora, inquis, iſta commoda ſunt, quæ ex armorum exercitiis ad rempub. redeunt, quam, ut aut ſumptuum, aut omnium aliarum rerum ratio haberi debeat. Quæ vero? aveo equidem illa audire. Diſciplinæ publicæ firmamentum ſeveriſsimis huius militiæ articulis continebatur. *Quid ais?* An ullo unquam tempore diſciplinæ legumque omnium contemptio major fuit, quam ea ætate, cum omnis militarium hominum ferocia, ex equeſtrium certaminum ludo, tanquam ex veteri Centaurorum ſchola provenire & exultare videretur. Interrogetur eâde re univerſa Germania, audiantur ſingulatim omnes provinciæ: loquantur omnes montes & nemora. Quid verò

illa? Nullo unquam tempore dicent plus rapinasq; & ſpoliationes in viis & itineribus regiis factas, nullo tempore plus cædis & latrocinii commiſſum fuiſſe, quàm tum, cùm omnes regiones armis & haſtis equeſtribus horrerent, cùm arces & juga undiquaq; audaciſsimis hominibus occupata tenerentur. Sylvæ omnes infeſtæ graſſationibus erant: Nundinæ & emporia nulla tuta: civitates ipſæ vix ſeſe mœnibus ſuis tueri poterant. Quid verò ſocietates & confœderationes, quid factiones ferè innumerabiles referã, quæ non modò populoſis urbibus & municipiis, verùm etiam magnis principatibus metui & calamitati fuiſſe leguntur? Imminebant undiq; oppidis graſſatorum præſidia: colliculus nullus, nulla rupes ſine Caci ſpelunca erat. Ruri ne bos quidem ullus ab abigeorum vi immunis & ſecurus erat. Teſtis ejus rei hæc ipſa provincia eſſe poteſt, quę Stelliferorum (ita ſeſe à teſſera ſtellæ acceptæ globus conjuratorum nominaverat) injurias & damna graviſsima multos per annos ſuſtinuit. Nec verò veteri Herculi tantum ſudoris exhauſtum fuiſſe credibile eſt, cùm ſęviſsimos ſues ac leones tolleret, cùm vaſtiſsimos gigantes è montibus ſuis deijceret, cùm ſemihominem iſtum Vulcani filium flammas ore vomẽtem elideret, cùm Lernam centum capitum anguẽ interficeret, cùm Harpyas rapaciſſimas

aves

aves armis pelleret, quantū fortiſſimis imperii propugnator Rudolfus primus in provinciis Germaniȩ ab hac peſte liberandis negotii atq; laboris ſuſcepiſſe memoratur? Quis enim tam rerū veterum ignarus eſt, qui vel in una provincia neſciat ſexaginta amplius validiſſimas arces eſſe ab eo propterea deſtructas, quod in iis conjuratorū, & ad omne facinus projectorū audaciſſimorum hominū receptacula continerentur. Atq; hi erant iſti egregii ex campo petiti fructus: hæc haſtæ exercitatæ commoda: ad has pugnas armorum præparatio ſpectabat: has victorias certaminum uſus quærebat. O longiſsime falſum animi Aucupem, qui, ut nobilitatis fortitudineem atque virtutem contra hoſtem acueret, ludos hoſce primū, tanquā equeſtre armorū gymnaſium inſtituit. Ille Germaniæ præſidiū in hac re poſitū eſſe volebat: at illa eidem damno & exitio eſſe cepit. Ille cives & incolas hac ratione muniri atq; defendi poſſe cenſebat: at illa ijſdem fraudi & detrimento ceſſit. Ille publicam pacem atq; diſciplinā hoc ſuo inſtituto ſtabilire cupiebat: at illa per hoc ipſum fuit funditus diſſoluta. Illȩ concordiam & amorem ludis & ſpectaculis conſervare expetebat: at illa in rixas, in odia, in ſimultates, in vulnera & cædes abierūt. Ille hoſtiū metum & formidinem ex iſta armorum paleſtra ſperabat: at illa iiſdem

majorem audaciá attulit. Quid enim ludicræ iſtæ lanceæ, quid gladii aurati, quid ocreæ & calcaria, quid gemmis auroq; exornatæ phaleræ, quid criſtis & cornibus exaggeratæ galeæ, quid picta & imaginibus referta ſcuta reipub. contulerunt? Dum illis domi luſum eſt: foris quantum rerum amiſimus? Orientem interea totũ olim contemptiſſimus hoſtis Turca occupavit: ex Aſia in Europam idem interea arma ſua expedivit; Conſtántinopolin alteram imperii ſedem Chriſtiano orbi abſtulit. Ad proximos parietes Germaniæ inq; Ungariá furor hoſtilis pervenit. Quid præterea de aliis detrimẽtis dicam? Quod enim latus Germaniæ adhuc integrũ eſt? quam nobis partem finitimi reges interea non lacerarunt? Hinc plaga occidentis: illinc ſeptentrio jacturá oſtendit: hinc auſter, illinc meridies mutilatus. At iſta vulnera omnia imperio tum temporis inflicta ſunt, cùm Martis noſtri ludibria ſeſe domi in auro & ſerico jactarent, cùm in oculis fœminarum earumq; judicio arma noſtrorum equitum omnia verſarentur, cùm virginei ſerti & choreæ amplexusq; gratia, tanquam contra Saracenos veteres, amicus contra amicum, ſocius contra ſocium, frater contra fratrem præliarentur. Atq; ſic quoque veteres Græciæ opes periiſſe dicuntur, ex qua iſta voluptatũ & ſpectaculorum ludorumq; genera primo diminarunt.

runt.

runt. Nam cùm illi omnem gentis ſuę nervum atq; laborem ad joca & luſus converterent, cùm tròcho & diſco lacertum fatigarent cùm viri cum fœminis, nudi cum nudis in arenam deſcenderent, cùm palæſtræ omnes oleo natarent; hoſtibus illi interea ſuis omni ex parte prædæ fuerunt. Quid enim contra Macedonem pugnax iſte Iſthmus? quid campus Olympicus? quid tot alyptæ, tot pugiles, tot pancratiaſtæ valuerunt? Idem quod contra Orientis tyrannum tot millia in Germania haſtarũ. Quid verò, ſi ipſe veteris exercitii auctor Henricus Imperator poſterioribus illis ſeculis in has oras rediiſſet, ſi ipſe campũ ſuum luſtraſſet, ſi luxũ ſpectaculi vidiſſet, ſi factas in eo cædes & lanienas cognoviſſet, ſi iſtas rixas & tumultus, ſi iſtas cõſpirationes, ſi factiones iſtas, ſi iſtã graſſandi licentiã perſpexiſſet, ſi demq; patriæ univerſæ clades, ſi tot provincias imperio ablatas, ſi poſtremo hoſtẽ undequaq; intra Germaniæ fines ac pomœria exultantem conſpexiſſet, quid, inquã, arbitrabimur eum fuiſſe dicturũ? An non his verbis ipſe tam infelicem inſtituti ſui eventum damnaſſet? O fruſtra ſuſcepta animo meo præclariſſimas cogitationes! fruſtra ſuſcepta cõſilia & deliberationes, curas longiſsimas, & labores omnes fruſtra! Quàm longe alia inſtituti mei ratio atque finis fuit? patriam hac ratione amplificare

voluit

volui; ſed, ut video, perdidi: nobilitatis decus & ornamentum tueri: imminui: publicam diſciplinam conſervare: diſſolutiorem reddidi: opes & fortunas augere: diſſipavi: pacem & concordiā propagare: inimicitias & odia plantavi: vias & itinera ab omnibus maleficiis purgare: cædibus & rapinis complevi: haſtā quidem adverſus Hunnos aliosq; hoſtes imperii inſtruxeram: at vos degeneres eam inteſtino ſanguine imbuiſtis. Torneamenta virtutis & gloriæ excitandæ gratiâ inſtitueram: at vos tormenta vobis ipſi ex torneamentis meis feciſtis. Auditis quæ de rebus ſuis ipſe princeps judicet: & nos forte dubitabimus in eandem ſententiam ire? dubitabimus clariſsima voce confiteri, nihil à ſuperioris ſeculi hominibus factum eſſe prudentius, nihil equeſtri ordini præſtabilius, nihil reip. utilius, nihil publicæ concordiæ ac paci communi conſervandæ accommodatius, nihil fortunis & copiis retinēdis conſultius, quàm quod omni iſtorum veterum ludorum apparatu intermiſſo, rerum inanium ſpectacula, rixarumq; & injuriarum pleniſsima certamina in deſuetudinem pervenire permiſerint? Non equidem quenquā tam malè ſuis temporibus velle arbitrabor, qui tot & tantorum malorū cauſam revocandam eſſe cenſeat. Sublata veteris campi conſuetudo eſt. Sublata ſimul pars magna veteris licentiæ.

Nulli

Nulli amplius ex quatuor provinciis & principum & comitū & nobilium cōventus? Nullæ etiam inter eoſdem diſcordiæ & cōtentiones. Jacēt antiquæ haſtæ jacēt galeæ: jacet ſimiliter antiqua audacia, jacet ferocia. Quæ enim, fidē hominum teſtor, ab eo tempore tranquillitas, quæ in omnibus regionibus quies, quæ in itineribus ſecuritas? nullæ jam amplius in ſylvis inſidiæ: nullæ peregrinatorum oppreſſiones: nullæ oppidorum invaſiones audiuntur: nullæ præterea, ut quondam, equitum factiones, ſeditiones omnino nullæ ſentiuntur. Benè itaq; noſtræ ætati, bene poſteritati, bene omnibus imperii ordinibus: bene civibus, bene agricolis, bene ſimiliter omnibus regnis & rebuspub. ſi tum his, tum omnibus aliis moribus atq; inſtitutis quæ barbariem referre, domeſticoq; otio & quieti officere videantur, penitus abolitis, beatiſſima pacis & concordiæ ſtudia omnibus totius vitę rationib. perſequātur.

ORATIO XXVII.

Habita à

GEORGIO MARTINIO BORVSSO.

Regna & principatus exteros jure poſſe à Romano Germanico imperio vindicare.

Cum

CUM non ſolùm Romano imperio, quemadmodum veteres ejus principes, Leo & Anthemius ad Callicratem præfectum prætorio ſcripſiſſe leguntur, ij militare dicantur, qui gladiis, qui clypeis & thoracibus utantur, ſed multò magis illi etiam, qui glorioſæ vocis munimine confiſi, laborantium ſpem, vitam & poſteritatem defendant: non equidem alienum ab officio noſtrò fore putavi, ſi pro jure & ſtatu, pro dignitate Germanici imperii aſſerenda, quaſi armis oratoriis ſuſceptis, ea hoc loco dicerem, quæ quàm maxime tum ad gloriam & amplitudinem ejus conſervandã, ad decus & ornamentum priſtinum retinendum, tum ad magnitudinem & veterem majeſtatem, repetitis vindiciarum jure omnibus poteſtatis antiquæ finibus atque provinciis, latiſſime extendendam pertinere videantur. Quæ quidem oratio homine patriæ amante, ejusque amplificandæ ſtudioſo, quales omnes eſſe oportet, digniſſima fore judicatur. Nam ſi etiam barbaris eum erga patriam amorem atque ſtudium naturâ inſitum eſſe perſpiciamus, ut, quod ferociſſimum Schytarum Tamerlanem feciſſe cognoſcimus, oppida & loca, in quibus nati atque educati ſunt, omnibus modis & rationibus cultiora eſſe cupiant, atque propterea cuncta quæ externis gentibus ac nationibus abſtulerint

ſint, ornamenta atq; inſignia ſpolia eò confe-rant? Quid nos in iis bonis, quæ jure ac meritò reip. recuperari poſſunt atq; etiam debent, poſtliminio revocandis nō faciamus? aut cur nō multò magis imperium hoc noſtrum propriis & domeſticis facultatibus cōdecoremus? Etſi autē ex Boruſſia ego oriundū me eſſe profitear, quæ undiquaq; & Sarmaticis, & Gothicis, & Lithuanicis, & Rhutenicis, aliiſq; Sclavonicis atque Moſchicis rationibus ab imperio alieniſsimis, concluſa tenetur, non tamen minus Germaniā omnium provinciarum matrem atq; reginā mihi, ut patriā meam colendam atq; venerandam eſſe cenſeo. Nam & à Caroli Magni temporibus Boruſsia Germanorum provinciis, & jure & lingua eorum introducta, conceſsit, atq; deinde Friderici Secundi imperatoris ætate, cum Teutonicus Crucigerorum equitum ordo eandem armis & virtute ſua vindicaſſet, imperii hujus ampliſsimi poteſtati ac juriſdictioni fuit ſubjecta, atque inter præcipuas ejus partes numerata. Sed neque nunc temporis, quanquam neceſsitate rerum ita ferente, mutatio quædā interceſſerit, omnis noſtræ provinciæ dignitas à Germaniæ ſplendore receſsit. Quandoquidem è Germaniæ illuſtriſsimo ſanguine principem ſuum habeat, eiuſq; gubernatio sereniſſimæ Brennonis domui jure hereditatis ita

aſtri-

aſtricta & devincta ſit, ut nunquam ab ea divelli aut ullo modo ſeparari poſſit. Deinde & mores & leges unà cum ſermone Germanorum ſunt: Germanorum cultus & habitus eſt, neque quiſquam noſtratium ad civitatis jura ejusq; ſuffragia, neq; ad honores & munera ulla cooptatur, niſi ſe jam antè Germanum ex Germanis parentibus legitimè natum eſſe demonſtraverit. Sed & præterea mea cunabula proprio jure eò propius Germaniā attingunt, quòd, etſi paternum domicilium in Boruſſia fuerit, omnis tamē meæ familiæ origo ex Germania, & aviti lares ac penates mei in eadem conſtituti habeantur. Audiatis itaque Germani de Germaniæ imperio ejusq; jure ac dignitate germana vobiſcum diſſerentem hominē Germanum: audiatis eo, quo ipſi patriam proſequimini animo & benevolētia, æterno vindiciarum jure omnia illa Romano Germanico imperio aſſerentem, quæ pluribus hinc ab annis ab eodem avulſa & abſtracta eſſe videntur. In duabus enim iſtis partibus omnis mea verſabitur oratio. Primum firmiſſimis rationibus confirmatum dabo, id, quod nunc eſt & appellatur imperium Germanorum, quod per Carolum Magnum ad Germanos tranſlatum, quod ab Ottonibus Saxoniç principibus & imperatoribus amplificatum, quod à Fridericis defenſum, & à cæteris eorum ſucceſſoribus

conſervatum,quod deniq; ab Auſtriacis Ducibus feliciſſimis Cæſaribus vel ad hæc uſque tempora propagatum eſt,verum & genuinum rectiſſimè dici & eſſe Romanorum imperium. Deinde quaſi manu conſertum ibo, eaque omnia,quæ quoquo modo olim huic reip.ablata,quæq; non modò fraude & dolo,ſed etiam vi atq; armis abrepta,& quæ præterea Cæſarũ vel negligentia amiſſa,vel quavis alia ratione diſtracta & alienata ab imperio ſunt,æterna imperii auctoritate atq; jure obligata eſſe evincam, evicta tanquam clarigatione aliqua facta,voce ad omnes exterorum vicinias latiſſimè emiſsà,repetam. Neminem autem veſtrum,auditores eſſe arbitror, qui ut quatuor illa regnorum omnium ſuprema capita, quæ tum veterum Græcorum & Romanorum literis celebrata,tum ſanctiſſimis verè religionis noſtræ monumentis conſignata, & divinis ſpiritus cœleſtis oraculis prædicata ſunt, ampliſſima imperia,atq; ſumma totius terrarum orbis gubernacula ignoret,aut qui cum nonnullis novi & ſiniſtri judicii atque ſenſus hominib.nõ ſolùm contra univerſæ hiſtoriæ claritudinem, ſed etiam contra fidem ſanctæ ſcripturæ negare auſit, ullam unquã ejuſmodi,de quo loquimur,imperium,vel ut ipſi dicunt,Monarchiam fuiſſe. Quod quidem genus ſcriptores cum annalibus ſuis, cum faſtis

ſuis & chronicis non recipiendos, ſed ut ineptos ac cum ipſa veritatis magiſtra, cumque temporũ luce, pugnantes rejiciendos eſſe, verè hiſtorico judicio jam pridem annius affirmavit. Nec noſtræ operæ erit adverſꝰ ejuſmodi ἀνίϛορας hoc loco contentionem ullam de re omnium liquidiſsima ſuſcipere, quæ ab omnibus Germaniæ hiſtoricis confirmata, quæ à magiſtris & præceptoribus rectiſsimè nobis tradita, quæ in ſcholis, in gymnaſiis atq; in Academiis omnibus ſanis & ſobriis, non ſolùm noſtræ Germaniæ, verùm etiam exteris conſtantiſsimè huc uſq; aſſerta, & veriſſimis argumentis defenſa. Hoc autem diligentius nobis hoc loco perquirendum & excutiendum erit, an ullo unquam tempore illud ultimum Romanorum ſupremum faſtigium, illud, inquã, univerſale totius terrarũ orbis, uti Cicero illud appellat, imperium ad Germanos revera translatum fuerit. Nos qui in hoc domicilio auguſtiſſimo nati ſumus, qui intra parietes ampliſſimæ Germaniæ hæc ſcribimus hæc dicimus, tam conſtanter illud aſſeveramus, ut etiam ſummo læſæ majeſtatis crimini illud aſſignemus, ſi quis de re tam ſacra, & ardua, & in qua ſalus & ſuprema dignitas patriæ conſiſtit, aliter non dicam loqui, ſed etiam ſentire & cogitare velit. Neq; illud immerito. Quid enim exteros & barbaros magis conſilio juvare poſſit, aut quid majores iiſdẽ

deficiendi occaſiones præbere? quomodo verò ſecuritas imperii & incolumitas atrocius violari? quod ſignum manifeſtius & infenſius ad arma adverſus rempub. capienda dari? quę tela, qui lapides ad ſacram Romanæ Aquilę imaginem deformandam vehementius torqueri? quid ad ſtatuam majeſtatis demoliendam? quid ad everſionem totius reipub. pejus excogitari queat? quàm ſi liberè per imperii mœnia omnesq́; reipub. provincias pernicioſæ iſtæ voces de imperii indignitate volitare permittantur. Quod quidem eò minus tolerari debet, quò, quæ de imperii Romani ad Germanos facta translatione, deq; Romanorũ poteſtatis à veteribus imperatoribus quaſi per manum acceptæ poſſeſſione, tituliq; auguſtiſſimi cum reipſa tradita uſurpatione, glorioſè ſcribuntur graviterq; diſſeruntur, certiora omnia & confirmatiora habeantur. Ut enim falſi tituli & nominis gloria, quæ propria ambitione ſumpta, mendaciisq́; quæſita eſt, inanis & omninò nulla cenſetur, à qua nihil laudis, nihil emolumenti proficiſcitur, ita cõtra non ferẽdum eſt, ut vera aliorum dignitas, récteq; parta ornamenta aut invidiæ aliqua nube obſcurerẽtur, aut iniquitate perverſi judicii opprimantur, aut falſitatis caligine obruãtur. Quid verò magis unanimi omniũ hiſtoricorũ cõſenſu comprobatũ eſt? quid auctorũ

graviſſimæ fidei literis & teſtimoniis magis conſtabilitum? quid manifeſtius? quid clarius? quam veterum Romanorum principum auguſtiſſima, nõ ſolùm inſignia, &, qua triplicis terrarum orbis dominationem ſignificarunt, infulas, ut ab *Imperatore* Zenone nominantur, ſed etiam veteris Romani imperi titulũ & dignitatem cum omnì veterum jure & adminiſtratione univerſalis jurisdictionis, Carolum propter admirabilem & divinam virtutem, Magnum appellatum, primum omniũ Germanorum accepiſſe, accepta ad poſteritatem ſuã transſtuliſſe, translata in Germanorũ principum ſtirpe & domo adhæc uſq; tempora cõſervaſſe. *Q*uod quidem tam liquido ſemper conſtitit, ut Romanorum pontifex, qui imperii culminis perpetuo æmulus fuit, illud ipſum coactus fuerit clariſsima voce & manu ad omnem poſteritatem fateri, in perſona ut ejus verba ſunt, Magnifici Caroli à Græcis translatum in Germanos eſſe Romanum *Imperium*: Quid a. adhæc exteri? hi cum verbo & auctoritati pontificis reſiſtere non auſint, illi cùm luci veritatis ſeſe opponere non poſſint, nugas & tricas varias excogitarunt, quibus quidem mirificè, ineptè tamen omnes, ſenſum per ſe clariſſimum, impeditum & involutum reddere voluerunt. Inter primarios verò ſuperioris ætatis Juriſconſultus Alciatus eſt, qui paſſim in ſuis libellis, tùm maximè in eo, quem

de ſingulari certamine conſcripſit, translationem illam nudi ſolius tituli, nullius verò rei fuiſſe æſtimavit. At quid id rei eſt ingenioſiſſime vertex? ubi illa tua acies? ubi vis ingenii? An neſcis titulos & inſignia ipſam rem illorum quorum ſunt inſignia, ſignificare? quod quidem Baldus tuus cum aliis te docere potuiſſet. Tu verò tam vecordem & inanium titulorum avidum Carolum noſtrum fuiſſe finges, ut incredibiles iſtos labores & tot graviſſimorum bellorum pericula, nudi ſolius nominis cõſequendi gratiâ ſuſceperit? Uſurpari quidem nonnunquam præclaros titulos ſine re omni non negaverim. Sic enim hodie regem *H*ieroſolymitarum, qui titulus nudus ab omni imperio regi Siciliç quondam in dotem datus eſſe legitur, Hiſpaniarum princeps ſe jactitat. Atq; veteres Comites *Z*aringiæ ſolo nomine Duces nominatos fuiſſe, cum nullum unquam ducatum eadem ratione poſſederint, Otto Friſingenſis nobiliſsimus ſcriptor teſtatum reliquit. Sed quid Carolum noſtrum præter titulum *I*mperatorium nihil accepiſſe dicat? qui liberis ſuis tum Italiæ, tum Galliæ, tum Germaniæ regnum cum omnibus eodem pertinentibus provinciis dividendum tanquã proprium patrimoniũ reliquit, qui ſigna imperialia ab Occidente in Orientem, ab Auſtro ad Septentrionem, atque ultra Pyrenæos mon-

tes in Hiſpaniam, victor & triumphator magnificus, Romanorum veterum ritu circumtulit, qui omnibus nationib. jura & leges præſcripſit, reges in ordinem redit, diademata aliis ademit, aliis impoſuit, regna aliorum vetera delevit, nova aliorum excitavit. Quæ ſummæ & univerſalis jurisdictionis clariora argumenta? quæ imperatoriæ poteſtatis majora exercitia? quæ Romanæ veteris majeſtatis auctoritas illuſtrior erit, ſi hæc non fuerit? Quæ quidē cùm ſe negare Bodinus non facile poſſe animadverteret, aliam viam, qua Germanorum imperium imminueret, aggreſſus eſt, ſed multò impudentius atq; infeliciùs. Quam verò? Carolum ille noſtrum Germaniæ eripere, & è gremio atq; complexu patriæ ſuæ, & è cunabulis ſuis in Galliam aſportare, cumque eo ſimul Romani imperii dignitatem ad Gallos ſuos transferre conatur. Itaq; quo ore neſcio cōtra omniū non modò Germanorū, verum etiam exterorum hiſtoricorum aſſervationem, Carolum natione Gallum, non Germanū fuiſſe affirmat: At ubi, bone magiſter, ille nat9? ubi educatus? Nónne in Germania? Qua n. in ditione Ingelheimū eſt, nónne in Germania? Ibi illi9 cunabula, ibi rudimēta, ætatis, ibi morū, ibi linguæ informatio. Ibi antiqua Franciç familia illuſtr. Germanorū ſedes ibi aula fuit. Noſtras ille eſt cū omnib. ſuis ma-

joribus,

joribus, qui à Sala fluvio noſtræ Franciç egreſſi, veterem non ſolùm in ſuperiore Germania ad Rhenum Romanorum potentiam, verùm etiam in Gallia eorundem dominationem everterunt. Nec vero idcirco Pharamundus, neque Pipinus, neq; Carolomannus, neq; Carolus deſierũt Germani eſſe, ex quibus nati erant, quod Gallorum regnum & ſolium occupaſſent. Quemadmodum neque noſtro tempore propterea natione Suecus eſſe deſinit rex Sigiſmundus, quod Poloniæ regnum adminiſtret. Nec Carolus noſter Quintus alium quam Germanũ eſſe ſeſe fatebatur, etſi ampliſsima Hiſpaniarũ regna gubernaret. Sed quid de re iſta attinet laborare curioſius? Sive Gallus, ſive Germanus, ſeu cujuſvis alterius gentis atq; ſanguinis Carolus Magnus fuerit, nihil tamen impediet illud, quo minus ad Germanos Imperium Romanum translatum eſſe dicatur, ſiquidem clariſsimis verbis perſpicuum eſt, non ad Gallos, non ad Italos, non ad Hiſpanos, ſed ad Germanos in perſona Caroli, non ſolum titulum, ſed etiam imperium Rom. translatũ eſſe. Non enim cum homine tranſit illico imperium ad eam gentem, ex qua is, cui imperiũ gubernandum defertur, & cui confertur, ortum habuit, niſi expreſsè hoc addatur, ut in perſona ad nationem quoq; transferatur Trajanus, qui Romanum imperium omnium

florentiſsimum accepit, quiq; ultra fatales Euphrates terminos potentiam veterem propagavit, qui omnium alienigenarum primus ad Cæſareæ dignitatis Romaniq; imperii ſucceſſionem à Nerva imperatore natu grandi evectus eſt, cum ille non tam hominis nationem & patriam, virtutẽ & ingeniũ exiſtimari & perpendi debere judicaret, quo, inquam, ille loco, quâ gente natus? Non Italus, non *Italicus*, ut Xiphilinus ex Dione loquitur, ſed Hiſpanus erat. At licet hiſpanus eſſet, non tamen ad Hiſpanos ſuos imperium acceptum transtulit, in Romana gente majeſtas rerum perſeverabat, etſi Hiſpanus Hiſpanum ſucceſſorẽ Adrianũ municipem ſuum relinqueret. Nec Maximinus ex ignoboli Thracum genere ortus ad Thraces ſuos faſtigium Romani imperii, quod ille propter roboris admirationem & vaſtitatem corporis conſecutos erat, derivavit. Non enim hac lege illud acceperat, ut ad alios transferret, ſed ut delatum imperiũ adminiſtraret. At contra noſter Carolus non ſolùm ut gubernaret, ſed ut etiam ad Germanos, qui omniũ id ætatis populorum armis viribusq; potentiſsimi & florentiſsimi, præq; omnibus nationib. & gentib. tantæ moli ſuſtinẽdę erãt, trãsferret, imperiũ accepit. Trãslatũ itaq;, ait pontifex, imperiũ eſſe non per Caroli perſonã, ſed in Car. perſona ad Germa-

nos

nos: Sunt enim hæc diverſa, multumq́; inter ſe diſtant, tranferri per Caroli perſonam imperium, & in Caroli perſona ad Germanos. Quid itaverò? Quæ hæc nova, inquis, ſubtilitas? quæ argutiæ? Nullæ omninò? ſed id quod res eſt. Per ſe enim transfert, qui non aliunde acceptum, libero conſilio & voluntate, libera manu, quocunq́; libet, transfert. Ita enim Cyrus Medorum potentiam bellica virtute fractam, ſibiq́; jure victoriæ ſubjugatam, non aliunde acceptam per ſe, & in ſe liberrimo conſilio ad Perſas tranſtulit. Sed non eodem modo imperium Romanorum translatum eſſe dicetur. Quomodo ergo? populus Romanus, ad quem poteſtatis deſertæ habenæ reciderant, voluntate & conſilio ſuo liberrimo, Carolo Magno Germanorũ & Franco Gallorum Regi imperium detulit, & in Caroli perſona ad Germanos æterno jure tranſtulit. Sunt itaq́; longè alia delati & collati, & alia translati imperii jura; Etenim delatum & collatũ imperium Romanũ hominibus variis variarũ gentium ſæpiſſime fuit. Nunc Iberi, nunc Afri, nunc Syri, nunc Thraces, nunc Pannones, nũc Daci, nunc Galli Norbonenſis rerũ gubernaculo præfuerunt; & ante Carolum noſtrum nunquã imperium Romanũ à gente in gentem translatũ eſt, & ne tum quidẽ, cùm ſedes imperatorũ Conſtantinopolim transferretur, ſi-

mul imperium cum ſede translatum fuiſſe putandum eſt. Nec enim imperatoriæ ſedis & aulæ translatio transfert una ſedem & poſſeſſionem imperii, quandoquidem à ſede imperatoris imperium ejusq; majeſtas atq; jus non dependeat, quemadmodum prudentiſſimum Pompejanũ ad imperatorem Commodũ, cùm in Pannoniis ſedem & aulam longo tempore conſtitutum ſuam haberet, dixiſſe legimus: Nihil referre quocunq; loco Imperator ſedem fixam habeat, ibi enim Romam eſſe, ubicunq; imperator ſit. Translatio itaq; Romani imperii ad Germanos facta eandem cauſam & originẽ, idem principium, eundem principem ac autorem habet, quem habuit ejuſdem in Auguſtũ collatio. Quis enim Auguſto, à quo omnes ſucceſſores poſtea Auguſti cognominati, imperii dignitatẽ contulit? Romanus populus. Quis nomen & titulũ impoſuit? Romanus populus. Quis ſummã ei legibusq; abſolutam poteſtatem conceſſit? Romanus populus. Quod certè perquã egregie & diligenter expreſſit Jurisconſultus: Populus, inquit, ei & in eum omnem poteſtatem contulit. Sed non in eo, ut in noſtro Carolo ad aliam gentem & nationem tranſtulit. Legitima profecto & omni jure probata Romani imperii translatio, quæ ab iis profecta, qui non modo conferendi, ſed etiam alio transferendi ſummam à Deo poteſtatẽ habebant. Hoc abſolutiſſimo jure &

poteſtate Deus Opt. Max. qui omnium regum & principum ſupremus arbiter & moderator eſt, in omnia regna & imperia utitur, ut non ſolùm, cuicunque velit, conferat & tribuat, ſed etiã, quandocunq; velit a gente ad gentem, ad nationem à natione ſumma imperia transfert. Sed quid Pontifex? An non ab Apoſtolica ſede jus & poteſtatem translati imperii promanaſſe gloriatur? ille quidem gloriatur, ſed quo fundamento id fieri potuerit, non video, neque id ita factum eſſe uſquam reperio. Non enim ad pontificem, ſed ad populum Romanum vacua gubernacula, omnisque poteſtas quæ olim Auguſto ejuſque ſucceſſoribus data erat, ſerie ſucceſſorum omni extincta, quaſi poſtliminii jure redierat. Pontifex nihil olim eo contulerat, nihil ergo inde recipere poteſtatis Romanæ poterat. Etſi autem imperatoriæ coronationis & inunctionis ſacræ munere, tanquam ſacerdos, perfunctus fuerit, non tamen ptopterea imperium ei contuliſſe, & in eo tranſtuliſſe exiſtimabitur. Nec illud unquam ab ullo veterum Germanorum Imperatore pontifici conceſſum fuit, ut ſibi quicquam juris & auctoritatis in imperii dignitate tribuenda ſumerent. Qua enim animi magnitudine, qua conſtantia, quæ fortitudine repulſa olim in Comitiis Norimbergenſibus vox illa ſacrilega fuit, cùm beneficio Romani præ-

ſulis imperium habere Germanos legati pontificis contenderent. Deum immortalem! quæ Friderici Cæſaris adverſus improbam ſententiam indignatio? quæ execratio? qui principum eorum omnium, qui aderant, fremitus? quæ animorũ exacerbatio? Parũ abfuit, quin per auctoris jugulum tam iniquum & injurioſum verbum redierit. Vix enim continere omnes manum à capulo poterant: verbum verbere eſſe reclamabant retorquendum, nec aliter eveniſſet, niſi imperatoris lenitas interceſſiſſet: Sed quid tum fuit reſponſum? reſponſum eſt uti graviſſime, ita veriſſime, à nemine ſecundum Deum, niſi à Germanis, ad quos imimperium Romanũ in Carolo Magno per populum Romanum translatum eſſet, imperialẽ majeſtatem ejusq; omne jus imperatorem habere. Nec vero ipſa Roma, quæ veterum omniũ earum rerum conſcia eſt, in cujus delubris & curiis conſilia iſta omnia agitata, ſi interrogetur, aliud reſpondebit. Quid autem illa? audiamus teſtem antiquorum temporum. Ab omnibus, inquit, deſerta tum temporis eram, cùm Longobardorum aliorumq; hoſtiũ incurſiones Italiã meam atq; arcẽ ipſam imperii occupatam ditione validiſsima premerent, miſerisq; modis urgerent, cum jugo illi tyrannico orbis terrarũ caput illigare cogitarẽt. At tum Oriente nulla ſpes præſidii, nulla ſalutis
appa-

apparebat; collapſa ibidē inteſtinis tumultib. omnia. Tum vero divinitus ex Germanorum ſanguine excitatus eſt meus Carolus: ille opē & auxilium populo meo enixe petenti, Italiæ imploranti; pontifici per omnia ſacra obteſtāti tulit: ille Regem Longobardorū vicit, cepit, expulit: regnum evertit, victo victoriæ jure coronā abſtulit. Cui vero tum conferri dignitas imperii juſtius? cui rerum omnium cōmitti gubernatio tutius potuit, quam liberatori, triumphatori meo Carolo? Carolus itaq; à populo meo, Carolus ab univerſa Italia, Carolus à me ipſa, matre Imperii, ad Imperium ſuſcipiendum accerſitus. Carolus in fano meo à populo univerſo majorum more Auguſtus proclamatus, à Pontifice meo, ritū Chriſtiano, inunctus: Carolus Imperatoriis faſciis & coronis decoratus; Carolus in antiqui imperii ſolium, & in univerſam totius terrarum orbis gubernationē collocatus. In Carolo illo meo ad fortiſsimos omnium populorum Germanos, imperii recuperatores, defenſoresq; feliciſsimos, faſtigium veteris Romanæ potentiæ populi univerſi mei conſenſu translatum. Vidi hæc Roma ipſa: ipſa audivi omnia: ipſa Carolo parenti & conſervatori meo lætiſsima gratulationis voce felicitatem maximam acclamavi. Ipſa Caroli tutelæ me commiſi: ipſa in ſinum Germaniæ fortitudinis caput meum depoſui.

Octa-

Octavium meum, Cæſarem meum, Antonium meum, Trojanum meum, Conſtantinũ meum, Carolum Germanum appellavi, Hæc illa. Ecquis verò tam nullius frontis & oris erit, qui antiquiſſimæ omnium gentium matri fidem adhibere nolit? aut quis eſt qui amplius dubitet, non idem ipſum Imperium, eandẽ ipſam dignitatem, idem rerum omniũ gubernaculum Carolo traditum fuiſſe, quod olim Auguſto, quod Tiberio, quod Nervæ, quod Trojano, quod reliquis longa ſeire ſucceſſoribus Roma conceſſerit? Aut ſi quis eſt, qui humano teſtimonio credere nolit, ille tamen oraculo divino de eadem re per Danielẽ prolato credat. Quid enim non dicam adumbrari, ſed expreſſius pingi, quid clarius in lucem atq; conſpectũ hominum exponi potuit, quàm illa quatuor ſummorũ Imperiorum per eam, quæ ſecundũ quietem viſa erat, ſtatuam, divinitus explicata imago fuit? Legatur ipſius interpretis oraculum; ſtatua, inquit, quatuor ſumma imperia denotat, quorum primũ aureum: ſecundum argenteum: tertium æneum: poſtremum ferreum erit, ea natura, ut quemadmodũ ſtatuæ forma indicavit, pedes ejus & fundamentum ferreum cum luto & argilla ſit commixtum. Atq; extremo illo ſtatuæ ſimulacro Romano Germanicũ imperium ſignificari tum præſens rerum ſtatus, tum omnium prudẽtium hominum

num ſententia perſpicuè declarat. Idem ergo illud ipſum ferreum impertum, quod veterũ Romanorũ fuit, quod alia omnia perdomuit regna, atq; diminuit, etiamnum in Germanorum potentia ſupereſt: & in tibiis ſuis ex ferro & argilla commixtis validiſſime conſiſtit. Idem etiam propterea ſummi imperii & generalis dominationis jure fruitur. Nam, ut ad ſecundam orationis partem deſcendam, nemo profectò ſanæ mentis & rationis inficiari poterit, ſi Germanorum imperium non tantum nomine, ſed re ipſa, Romanũ illud imperium eſt, uti eſſe confirmavimus, eidem etiam jura omnia ſummæ & generalis prædominationis in cætera regna & principatus inferiores deberi. Illud enim natura ſuapte ſupremo imperio & univerſali potentiæ inſitum & agnatum eſt, ut quemadmodum omnes toto terrarũ orbe fluvii, omnes fontes, omnes torrentes in mare recurrũt, ad eum modũ omnia regna, dominatus, & pontentiæ ad ſupremam univerſalis & ſummi imperii majeſtatẽ ſeſe referãt. Quod quidem nobis ipſius cœli aſpectus oſtendere videtur. Quid verò ibi? Vides luminum principi ſoli reliquas omnes ſtellas & ſidera cedere, vides ejus fulgori & prædominationi lampadẽ omnes tradere: vides dominiũ ejus omnes agnoſcere & obſervare. Eadem in terris ſummi imperii, quod inſtar ſolis ſem-

per

per unum exiſtit, ratio eſt, cui cætera omnia regna faſces ſuos ſubmittere oportet. Nec alio ſummi imperii jure uſi fuerunt veteres Chaldæi adverſus omnes reges alios & principes lōgiſsmis etiam terrarum ſpatiis à ſe diſsitos. Uſi deinde eodē jure Perſæ, cùm terram & aquam ſibi dari, teſte Herodoto ab omnibus aliis rebuspub. ab omnibus regnis & dominatib. aliarum gentium nullo alio quam jure ſummi imperii & univerſalis juriſdictionis poſcerent. Uſus deniq; eodem jure Alexander Magnus, cùm ſumma Perſici imperii majeſtate potitus, omnib. aliis regnis in ordinem redigendis incumberet, cum in extremam Indiam uſq; univerſalis potentię viam aperiret, cum nullā aliā contra omnes alios exteros reges cauſam expeditionis ſuæ, quam ſummi & univerſalis imperii jura prætexeret. Uſi poſtremo eodē iure Romani, cum ſummi imperii & totius terrarum orbis gubernaculum ſibi contra omnes Reges & principes vindicarent, cum potentiſsimum Antiochum regem legati ſui virgula circumſcriberent, cum Tigrani, qui ſe regem regum nominaverat, tria diademata adimerent, ademptarurſus eidem imponerent, cum incredibilem Mithridatis faſtum pompā deprimerent, cum omnib. populis & civitatibus, omnibus regibus & principibus, qui nollent maieſtatem Romanā aut fœderis, aut amicitiæ, aut
ſocie-

ſocietatis jure comiter conſervare,ſubjectionis jura indicerent,cum adverſus Anſibarios, fortiſſimam noſtræ Germaniæ gentem, nullam ſe aliam cauſam prœliandi habere prædicarent,quàm,quod Diis,quos implorarent, ita placitum eſſet, ut arbitrium penes Romanos eſſet ; quid cuiq; populo darent, quid adimerent,neq; alios judices,quàm ſe ipſos paterentur, quemadmodum his verbis Tacitus nobis illud ipſum teſtatum reliquit. Audite imperii jura reges, audite reſpub.audite civitates.Hoc videlicet illud eſt, quod olim Antoniũ imperatorem verè regiò&egregio & egregio animo protuliſſe legimus, cum ſe totius mundi Dominum appellaret,uti Voluſius Macianus Juriſconſultus annotavit. Quibus ſanè rationibus commodi ſunt ſummi illi veteris Juriſprudentiæ vertices, homines utique prudentiſſimi, ut contra omnia Europæa regna, contra omnes civitates & reſpubſublata quaſi ex altiſſima ſpecula,voce, ac ſtylo ſuo & clamaverint & ſcripſerint, omnes populos jure& meritò Romano imperio ſubsesse,Cæſareisque legibus devinciri atque obligari,etiamſi re ipſa &facto,id eſt,ut interpretati illud ſunt, per injuriam, Cæſari non obedirent. Ita enim Juriſconſultorũ Cyrophæus ſcripſit Bartolus, quem non ſolùm Italia & Germania omnis veneratur,ſed etiã Hiſpania

aliorum ſententiis & opinionibus, veluti oraculum juris, in judiciis & curiis regni anteferatur: & ſecundum eandem, teſte graviſſimo JohanneGarſia, judicetur. Idem verò graviſsimè ſcripſit & defendit Baldus: ſcripſit idem *I*molenſis: ſcripſit *H*oſtienſis: ſcripſit Feudiſtarum, ut appellatur, auriga, *I*ohannes Andreas: ſcripſere Antonius Butrius, Abbas Nicolaus de Ubaldis, Antonius de Roſellis, ſcripſere innumerabiles alii. Ob eam verò cauſam multò majore obedientiæ nexu, *R*omano Germanico regna ea obſtricta ſunt, quæ olim â Carolo imperatore ſpeciatim corpori & flori imperii inſerta fuerunt, ut eſt Italia, eſt Francia. *I*nterrogetur enim utraque, annon ea lege ſint per teſtamentum Caroli inter liberos ejus diviſa, ut cum Germania penes quam imperii ſummi dignitas & faſtigium eſſe debebat perpetuo vinculo, & quaſi in uno corpore membra, colligarentur. Quod ſi negaverint, in manu Caroli ipſius manus eſt, eſt Imperatorii ſigilli character, eſt teſtamenti ſcriptura, quæ rem iſtam evincet: evincet logiſsimis temporibus uſurpata imperatoriæ jurisdictionis auctoritas. Quid enim imperatorii Archicancellari Germanorum Trevirenſis & Colonienſes Electores, quorum alter *I*taliæ, alter Galliæ cauſis & controverſiis præfectus, annon in ipſis dignitatis nominibus & titulis veſtigia certiſſima imperatoriæ

juriſdictionis antiquæ verſantur? At tu pro Gallia tua, Alciate, & pro rege Franciſco tuo, non tam veritatis, quam adulationis & aſſentationis manifeſtæ armis præliaris: Regem Francorum, inquis nullo tempore Cæſari faſces ſuos ſubmiſiſſe. Quid ais? An non omnis Gallia ab Auguſti imperio uſque ad Francorum noſtrorum â Sala noſtro ad Rhodanum & Sequanam emigrationem, ſub faſcibus imperatorum fuit? Repetantur itaq; antiqua illa imperii jura, quæ veteris imperii poteſtas in Gallia habuit: Repetantur jura teſtamenti Caroli, quo ſubeſſe Germanorũ imperio tanquã membrum & partem eiuſdem Galliam voluit. At nunquam, inquis voluntati teſtamenti obeditum eſt. In malam rem cum iſta ſententia. Audias velim, quid de iſta in obedientia Hoſtienſis ſcribat: peccare eos, inquit, mortaliter, qui ſubjectionem hanc Rom. imperii detrectent. Atque huic ſententiæ non modo univerſa Juriſconſultorum veterum familia aſtipulatur: ſed & reſiſtere eum ipſi Deo qui legitimo magiſtratui & imperio reſiſtat, gentiũ doctor ad omnes gentes exclamavit. Ut autẽ olim Romani, teſte Hieronymo, virtutibꝰ ſuis omnes gentes perdomuerunt: ita Germani legitimi eorũ ſucceſſores, ut in illud totiꝰ terrarũ orbis imperiũ cõſcenderẽt, ſũma vi & fortitudine enixi fuiſſe celebrãtur. Erubeſcat itaq;

hementer Francia, erubeſcant omnes Italiæ principatus, pudeat cunctas reſpub. & civitates hoc verbo inobedientiam ſuam erga Germanorum imperatorem excuſare, cùm ideò ſeſe non obedire dicant, quod longiſſimo tēpore non obedierint. Non enim, quid non rectè factum ſit, & quid non fiat, ſed quid iuſtiſſimè fieri debuerit & debeat, attendendũ eſt. Obedire autem & obedire debere patria ſunt, neq; officio debito prætexi ullum inobedientię velum unquam poteſt. Sed quid cætera extera regna, & quid inter illa Anglia? An nón Romano imperio à regibus tuis olim donata es, imò verò legium Feudũ, uti dicunt, an nón pontificis facta? Pontifex autem annõ Romani imperii pars? & ea omnia quæ Pontifex poſſidet, annon imperii Romani Imperii jure tenentur? Quid porro Dania? an non à Germanis Imperatoribus regni honoribus condecorata? annon titulis & apicibus regalibꝰ propterea coronata, ut perpetuo obſequio, & obſervantia imperium coleret? Atqui & multo majora beneficia ſunt, quœ re Germanorum imperio accepta referra oportet. Nam quod religionem Chriſtianam, imò immortale beneficium, Dei munere conſecuta ſis, labore & ſtudio Germanici imperii perfectum eſt. Tui reges primum ab Ottonibus noſtris ap ſalutares undas, & ad Chriſtianæ fidei vexilla

xilla cum populis adducti fuerunt: iidem imperialem gladium imperatori Germanorum quondam preferebant, & in Comitiis is non modò comiter eundem obſervabant, ſed etiam ad officia debita imperio præſtò erant. Quid autem Polonia? illa ab Ottone nostro glorioſiſſimo regni ſui decus, faſces & purpuram ſuſcepit; ſolium & ſceptrum impetravit; tributum per plurimos annos imperatoribus Germaniæ pendit. At tu ilud negas Ganguine? Impudenter negas, hoſpes in ignotæ gentis annalibus verſaris. Legantur ea de re, non ſolum Germanorum, ſed etiam exterorum faſti: Legantur hiſtorici, qui id ætatis vixerint, qui oculis & auribus rem ipſam perceperint. Quid deniq; tu Hiſpania? annon imperii veteris provincia ampliſsima fuiſti? ipſa imperatores genuiſti, ipſa eos imperio dediſti? At nunc quorſum te recepiſti? Non ſolum ab imperio te ipſa abduxiſti, ſed & alia regna & principatus imperio abſtraxiſti. Quid poſtremò vos civitates, quid vos reſpub. Italiæ? Vos neſcio quæ pacta, quas venditiones & donationes Conſtãtini, quos contractus alios cum Friderico, allos cum Rudolpho liberrati veſtræ, hoc eſt, in obedientiæ prætenditis. At quę pacta, quæ tranſactiones, quæ venditiones contra jura imperii fieri poſſunt, quæ certè æterna ſunt, & à nul-

ſo unquã Cæſare rectè alienantur, & ſi quæ fiant, omni jure irrita habentur. Conſulãtur de re iſta omnes prudẽtes, interrogentur omnes juſtitiæ & æquitatis conſulti: uno quaſi ore omne vobis reſpondebunt: Jura imperii eſſe prioraeſſe antiquiora, eſſe jura imperii ſacroſancta, eſſe extra omne hominũ cõmerciũ poſita: eſſe imperatorem non ut alienaret, ſed ut amplificaret ea datum, eſſe Auguſtum idcirco appellatum, ut augeret ea, non diminueret. Reſpondebunt præterea nemini hoc unquã veterum imperatorum licuiſſe, neque quenquam tantum ſibi poteſtatis arrogaſſe, ſed & ipſum Auguſtũ, exemplũ ſucceſſorum omnium, maluiſſe proprium, quam quicquã, quòd publici eſſet juris, contrectare. Quod quidem Maximilianum primum eodem modò intellexiſſe ferunt, qui anteceſſorum ſuorum quendam propterea non imperatorem, ſed diſſipatorem nominare ſolebat. Quæ cum ita ſit, non equidem video quamobrem illa feudalis capitis gloſſa, quæ ad c.1. tit. de pac. jur. notata eſt, no in veriſſimis rationibus & fundamentis nitatur, quando conſtantiſſimè differat, Franciæ regnum unà cum cæteris regnis imperatorum Romanorum legibus alligari, quandoquidem de jure Francicum regnum ſubſit, ſicut alia etiã regna Romanorũ imperio Nec vero iniqui illi, ſed juris ſervantiſſimi juriscon-

riſconſulti, qui ejus gloſſæ ſententiam cõmuni judicio complectantur. De Liliiitaq; ſui libertate glorientur, quicquid velint Galli: adulerur ſibi ipſe ſuisq; Alciatus: verba ſibi ipſi det Bodinus, qui Germaniam Galliæ provinciam fuiſſe falſiſſime ſcribit: alii præterea aliis ſuis principatibus & regnis in hac re plurimum velificentur: plus tamen profecto apud omnes prudentes illud pontificis dictum momenti habebit, quod ex divo Hieronymo, quẽ ſumma non modo ſanctimonia, ſed etiam ſapientia & judicio præditum omnes agnoſcũt, depromptum eſt. At quid ille? Unicum in mundo imperatorem Romanum à cæteris vel ipſius naturæ documento obſervari, audiriq; tanquam omnium ſupremum debere aſſeveravit. Macte itaq; veritate & juſtitia eſte viri prudentiſsimi, politici, Juriſconſulti, quotquot hodierna ætate, per omnes imperii provincias pro dignitate Romani Imperii, pro honore, pro gloria, quam Deus immortalis invictiſſimæ & glorioſiſſimæ Germanorum nationi tribuit, & differendo & ſcribendo, & validis rationibus defendendo hanc ſententiam, laborem & ſtudium digniſſimum ingenuo quovis homine ſuſcipitis. Nec verò dubito, clariſſime Alberice Gentilis, etſi neque ſcripſiſſe, neque reſcripſiſſe unquam ex Anglia tua verbum ullum ejuſmodi con-

tendas, ſi mente & cogitatione rem altius cō-plexus fueris, ſi omni affectu animi, ſi favore & gratia omni ſepoſita, veritatem nudam inſpexeris, quin idem in poſterum in omnibus tuis libris, quos cum admiratione ſeculi huius in lucem emittis, non ſolum ſcripturus, ſed etiam reſcripturus ſis. Atque idem de aliis, ſi qui huic noſtræ adverſam opinionem de imperio Germanorum conceptam habeant, nobis pol licemur, ut cum Beroaldo ſeſe tandem ipſi ſint explicaturi, & ſententiam ſuam correcturi, ſint nobiſcum imperii dignitatem, hiſtoricas literas ſenſumq; ipſius ſpiritus ſancti, veriſsime aſſerturi. Optamus autem omnibus externis regnis & principatibus, omnibus rebuspub. & civitatibus illud divino conſilio feliciter evenire, ut, quemadmodum de Cyri imperio teſtatur regius auctor, ultrò & ſponte ſua ad obedientiam debitam revertantur, perpendantq; illud ſervatoris noſtri dictum: reddenda eſſe Cæſari ea quæ ſint Cæſaris. Cogitent denique, nihil re illa Chriſtianæ reipub. eſſe conſultius, nihil ad ſalutem omnium populorum expeditius, nihil poſtremo ad communem hoſtem profligandum firmius, nihil fortunatius, verbumq; prudentiſsimi Xenophontis veriſsimum eſſe, nullam unquam rebellibus & obedire nolentibus felicitatem diuturnam fuiſſe.

ORATIO XXVIII.
Habita à
MELCHIORE DE RECH-BERG.
Regna & principatus exteros nullo jure imperio Romano eſſe obnoxios.

ETSI viris omnibus bonis, patriæque amãtibus nihil prius, nihil antiquius eſſe debeat, quam eam remp. in qua quiſque nati & educati ſumus, omnibus modis exornare, & quibus fieri poteſt, rationibus quam maxime amplificare, quemadmodum illud Juſtinianus Imperator in conſtitutionibus ſuis Romani Imperii civibus præcepiſſe legitur: eò uſque tamen neque pietatis, neq; amoris nèque charitatis ullius ardore, abduci noſtrum animum oportet, ut cæco quodam impetu, effuſis omnibus effectuum habenis, in debiti officii itinere de recta juſtitiæ & æquitatis regione vel latum unguem deflectamus. Quæ ſidem fortiſſimum & eloquentiſſimum Athenienſium ducem Periclem animo ſecum prudentiſſime perpendiſſe accepimus, cum ab amico rogatus ut falſum pro ſe teſtimonium diceret, eſſe quidem amicis gratificandum, ſed tamen non niſi ad aram uſque, reſponderet. Atque illud cum in omnibus,

quæ amicitiæ cauſa ſuſcipiuntur, officiis & negotiis diligenter providendū, tum ne iis, quos amore ſingulari complectimur, plus fortè, quam par ſit, attribuamus, aut in eorum jure vendicando vel minima parte veritatis & juſtitiæ normam inflectamus, ſtudioſiſsimè cavendum eſſe, omnes officiorum magiſtri etiam atq; etiam monuerunt. Quod eo certe majori ſtudio in hac patriæ noſtræ cauſa fieri oportet, quó arctius ipſa omnium noſtrum caritates natura complectatur. Verendum enim vehementer eſt, ne quod Chiloni in vitæ fine accidiſſe dicitur, nobis idem per eandem ferè cauſam in imperii Germanici dignitate & gloria aſſerenda, ejuſq; poteſtate & jure vindicando uſu venire videatur. At quid illud? Philoſphus, cum quouſq; contra legem, contraque jus progrediendum ſibi eſſet pro amico dubitaſſet, falſumq; propterea pro eo conſilium dediſſet, animo vehementiſsime anxio ſollicitoque inter ſupremos animæ halitus, fuiſſe perhibetur. Quemadmodum autem neq; veterum Romanorum leges atque mores paſsi fuerunt, uti juris ſcripti verba ſunt, cum alterius incommodo quenquam locupletari: Ita equidem mihi perſuaſiſsimum habeo, ipſam hanc patriam noſtram Germaniam, quæ omnium virtutum atque veriſsimarum laudum antiquiſsima ſedes, & priſcæ æquita-

tis

tis ac juſtitiæ domicilium eſſe prædicatur, iniquiſsimo animo laturam, neq; unquam permiſſuram eſſe opes & fortunas ſuas, fines atq; ditiones, dignitates deniq; & honores ſuos aliorum injuriis & ſpoliationibus auctum & amplificatum iri. Nec enim non contra ipſam pietatem & religionis ſanctimoniam eſſe dicetur, ſi, vt canonum vox eſt, altare alterum propterea ornamento ſuo privare velimus, ut iis alterum elegantius operiamus. Quamobrem ipſius imperii noſtri juſtiſsima voce & juſſu quodammodo videor, auditores, ad hanc orationem ſuperiori contrariam habendam ſuſcitari, qua ſententiam noſtram de omnibus Europæis regnis ad occidentale Germaniæ noſtræ imperium revocandis nimio patriæ amore expreſſam, longiſsime â veritatis juſtitiæ via aberrare oſtendam. Quod dum facere inſtituã, non equidẽ vereor, ne quiſquã veſtrũ, auditores, ab hac mea oratio futurus ſit alienor, quod patriã mihi vobiſcũ longe cariſsimam, non alienis, ſed propriis, non vi aut injuria quæſitis, ſed juſte recteq́, partis, nõ fictis & excogitatis, ſed veris maximeque germanis, Germaniam noſtram decoratam exornatamque poſſeſsionibus & copiis eſſe velim. Quod quidem non áliter vos ipſos velle mihi perſuaſum habeo, quos juris & juſtitiæ cognoſcẽdæ

copia-

cupidiſſimos eſſe novi. Quid verò huic veſtro pulcherrimo ſtudio magis repugnare poſſit, quam ſi ea audiatis imperio & reip. noſtræ attribui, quæ nullo jure addici poſſint, audiatis ea aliis abſtrahenda eſſe, quæ quã juſtiſsime fuerint ab iis acquiſita, & longiſsimo temporum interjectu in ſumma tranquillitate & otio poſſeſſa? Atqui eò omnia ſuperioris ſententię argumenta ſpectare, eò rationes omnes ejus conferri, vobis hac mea oratione ita declaratum faciam, ut ipſi iniquitatem rei oculis veſtris ſubjectam agnoſcere, atque penitus pervidere poſsitis, tandemq; ipſi confiteri cogamini, nihil re iſta reip. noſtræ fore pernitioſius, nihil ſaluti publicæ calamitoſius, nihil exiſtimationi atque honori imperii ejusq; majeſtati minuendæ periculoſius. Nam ut primum imperii, de quo agitur, Romani initium memoria repetamus, in ipſo rerum principio, atque in cunabulis ſummum & validiſsimũ ſententiæ noſtræ fundamentum collocatum habemus. Quodnam illud? Oſtendemus ex minimis, atq; adeo minutiſsimis exordiis remp. Romanam eſſe profectam, ejusq; omnes vires atq; potentiã vi & armis paulatim collectam, nulla alia ratione quã bellica in tantã molẽ & magnitudinem accreviſſe. Quod quidem neque Imperatores ipſi diſsimulaſſe legũtur, eſtque Juſtiniani ea de re in conſtitutionibus illuſtre

luſtre teſtimonium. Quis verò tam peregrinus & hoſpes in Romanorum annalibus, qui civitatem Romuli ex omni fæce hominum collectitiam fuiſſe neſciat, neſciat ejus vim & injuriam, quæ gentibus ac nationibus primum finitimis, deinde etiam longè diſsitis regionibus fuerit ab iſto populo, tanquam communi totius orbis prædone, illatas. Oppreſsi primum Sabini: laceſsiti Vejentes: obruti Volſci. Deinde etiam ultra mare regnandi cupido ſeſe protulit: Corinthus lumen Græciæ extinctum: florentiſsima veteris potentiæ oppida occupata: Africa petita: Pœni deleti: Hiſpania invaſa: Gallia in provinciam redacta: Britannia petrata: Ægyptus ſubjugata: poſtremo eadem armorum libidine etiam Germania noſtra vexata; ac ut ſummatim dicam, univerſus ferè terrarũ orbis à Romanis tanquã à lupis, ut à Pontio Teleſino dicti ſunt, iniquiſſimis làtrociniis acquiſitus. Erat enim Roma, quæ una ad pernitiem humani generis nata eſſe videbatur, ut de ea Arnobius vir ſanctus prædicavit, inſtar ventris inexplebilis, qui omnia conſumit, ſemperque eſurit, quemadmodum nobis illud his verbis Oroſius explicavit, cùm in ſinum ejus everſarum omnium urbium opes, omniumq; terrarum, quas miſere devaſtabat, facultates & copiæ congererentur, Atq; hanc omnia regna & imperia deprædandi li-

di licentiam ipſi Romanorum auctores reticere non potuerunt; ex recentioribus autem ſcriptoribus ſingulari libro rem iſtã perſecutus eſt ſuperioribus annis ex Anglia emiſſo doctiſsimus vir Albericus Gentilis, quem de armis Romanorum inſcripſit. In eo veteres artes ac inſidiæ clariſsimè explicantur: bellorũ cauſæ rectiſsime judicantur: iniquitates & injuſtitiæ integumenta revelantur. Quæ cum ita eſſe, negari nullo modo poſsit, ex iis profecto intellectu proclive eſt, juſtiſsimã cauſam & rationem eſſe, ut, ſi quæ vi & armis adempta ſint, quovis modo ea repetantur. Quod neque ipſi orbis prædones ignorare potuerunt, quorum leges & jura idem verbis clariſsimis expreſſerunt. Quid enim vetus lex Atinia? Quod ſubreptum, inquit, erit, ejus rei æterna auctoritas eſto. Idq; præſcriptum ipſa natura mortaliũ generi dediſſe videtur, & ab ipſo omniũ rerum largitore Deo promulgata lex eſt, ut alter alterius poſſeſsionibus rebusq; invito domino, auferendis abſtineremus. Omnium deniq; gentium jure confirmatum eſt, ut quæ vi & armis ablata nobis eſſent, vi & armis repetitum iremus. Nec alia indicendi belli cauſa juſtior haberi poteſt, quã ut res injuria amiſſæ jure militari recuperentur. Quo quidem jure primi omniũ contra Romanos veteres uſi fuiſſe leguntur Volſci, cum legatis in urbem

miſsis,

miſsis, Marte iniquiſsimo ſibi abreptos agros & fundos, ablata nemora & flumina reſtitui repoſcerent, idq; iuſtiſsimū eſſe Romanus ipſe ſumma prudentia & fortitudine princeps Coriolanus cenſeret. Atq; illorum exemplū poſtea cæteræ gentes & nationes ſecutæ ſunt, quā primum, occaſione rerum agendarū oblata, lux aliqua libertatis effulſit; virtusq;, ut ille canit, etiam olim victis in præcordiis rediit. Eſt etenim ita natura comparatū, ut metus non ſit diuturnus rerum cuſtos, quemadmodum ipſe Quiritium prudentiſsimus cōſul iudicaſſe legitur, eoq; ingenio mortaliū genus omne ſumus, ut quod vi & formidine coacti ſimus facere, tam diu faciamus, dum metus adeſt, quo ſublato, ad omnes expediendæ libertatis rationis animum conferimus. Præliis & acie victos tamdiu victori parere videmus, quamdiu iugi cervice excutiendi opportunitate deſtituantur: ſimul ac autem ſpes aliqua elabendi illuxerit, quis tam oblitus ſui invenietur, quis tam deſidis atque abiecti animi, qui quamcunq; ſibi ad evadendum feneſtram aperire poſsit, non omni conſilio & ope aggrediatur. Nam illud quoque brutis animantibus inſitum eſſe perſpicimus, ut libertatem ſuam totis naturæ viribus perſequantur. Etſi enim eæ quæ ſeptis & vivariis voluptatis gratiâ incluſę cōtinentur, multo copio-

ſius

ſius paſcantur, quàm ſi in ſaltibus & nemoribus longe lateq; vagentur: nihilominus tamen cœli liberioris cupiditate impulſæ, repagula perfringere, obices rejicere, ſummaq; vi à ſtabulis in campos eniti conſueverunt. Et quid aviculæ noſtræ domeſticæ? Etſi in ſagena uberrima verſentur, ubi ſemel evolandi licentiam conſecutæ fuerint, nullis eas illecebris, nullis eſcis revocare poteris, ut quaſi poſtliminii jure ad caveam revertantur. Minus itaque in ratione præditis mirum eſſe videbitur, quãdoquidem libertas in homine res inæſtimabilis eſſe à prudentibus prædicatur, ſi eam ſumma animi & corporis contentione, maximoq; ſtudio, poſthabitis omnibus vitæ periculis, conſectentur. Quocirca, tametſi non inficiari velimus, belli jure Martisq; violentia tum Galliam, tum Angliam, tum Hiſpaniam, aliaque exterarum gentium imperia Roman. faſcibus fuiſſe ſubjecta, eorumq; jugum & poteſtatem per multas ætates toleraſſe, cenſus & tributa non ſolùm annua, verùm etiam menſtrua imperatoribus pendiſſe, jure provinciæ præſides atque magiſtratus ſibi datos ſuſtinuiſſe, neminem tamen non fateri oportet, illud & naturæ & cunctarum gentium jure iis conceſſum & permiſſum fuiſſe, ut quoquo modo & quocunq; tempore amiſſam libertatem, priſtinũq; regni ſui veteris ſtatum eodem armorum jure

recu-

recuperarent. Cui quidem æterno atq; immutabili juri nulla majorum conventa, nulla pacta, nulla fœdera, nulla religio, nulli nexus & obligatio, nulla temporis præſcriptio repugnare poteſt. Quod quidem ad eum modum intellexiſſe videtur gubernator ille Iſraelitarũ veterum Jephtes, cùm, ut ſacris literis proditum eſt, Ammonitarum regi, qui longiſſimo multarum ætatũ curriculo interjecto, majoribus ſuis vi ablatas ditiones atq; fines repetebat, his verbis reſpondiſſe dicatur: Dum per trecentos amplius annos, inquit, populus *Iſraeliticus* civitates iſtas cunctas incoluerit, cur non viciſſim eas interea in temporis eripuiſtis? Nec ipſi priſci illi rerum finitimarum raptores negarunt jus illud quo quæ vi & armis adempta ſint, iiſdem repetantur, omnibꝰ gentibus adverſus ſe eſſe naturâ conceſſum, cùm Volſcis ſua repoſcentibus liberè & ingenuè affirmarent, nihil eſſe, quod ipſi ſponte ſua reddere velint, ſed Volſcis æquè arma ac ſibi parata eſſe, quibus ad res bello ablatas, jure belli, ſi libeat, repoſcendas utantur. Uſi itaq; eo jure non ſolùm adverſus Romanos Volſci aliiq; populi complures, verùm etiam contra Aſſyrios veteres, uſi contra Perſas, uſi contra Macedones, uſi contra Græcos, quotquot vim & dominatum eorum olim ſuſtinere eſſent coacti. Quid enim de regno antiquo

Ægyptiorum dicam? An non erat illud *Nim*rodici gladii metu in Chaldæorum poteſtatem, & in provinciam ſuperioris imperii redactum? Quamdiu vero putatis iſtam nationem, quam natura & indole ſua ad rerum novitatem ſemper propenſam fuiſse ſcribunt, in illo obedientiæ & ſubjectionis gyro conſenuiſse? *Nini* imperium non exſpectavit: jugum impoſitum a cervice ſua rurſum depulit: regnum & regem ſibi proprium cùm libertate conſtituit. *Quid* vero *Medi* Illi non ſolùm ab Aſſyriorum imperio & nomine defecerunt, ſed etiam occaſionem occupandæ poteſtatis aucupati, ditionem univerſam cum ſumma dignitate regni invaſerunt. Idem eveniſſe Perſis ex eorum hiſtoriis cognoſcimus: Idem Macedoni illi Magno, cujus imperium maximũ incredibili fortunæ celeritate, victoriarumq; feliciſsimo curſu comparatum, poſt ipſius obitum, veluti fulmen quoddam in plurimas partes fuit diſtractum ac diſsipatum. Idem Græcorum regibꝰ aliis accidiſse conſtat, quos inter Pyrrhi celerrima in plurimis populis regnisque obtinendis acquiſitio, & multò celerior eorum amiſsio etiã in trivii ludibrium ac irriſionem hominum venit, ut aleatorum more mœnia atq; civitates bellando vincere diceretur. Quemadmodum enim aleæ luſores ſæpius uno momento plurima lucrantur, & quę lucrati ſunt, momẽto iterum perdunt: Ita

illo

ille neſcio qua fortunæ viciſſitudine eadem, quæ modo acquiſierat, vix acquiſita iterum amittebat, & modo victi ac ſuperati armis populi, belli jure rurſum in priorem libertatem ſeſe collocabant. Atq; eadem fortuna non raro Romanorum Imperio accidit, ut etiã propterea Jani templum vix ulla hominum memoria clauderetur, neq; bellis cõtinuo gerundis finis ullus imponeretur. Qua vero cauſa quatuordecim illarum legionũ excubias hinc inde ad Imperii fines ab Auguſto cõſtitutas arbitrabimur, quam ut frequentiorem devictorum populorum regnorumq; defectionem, metui ſui inhiberent? Quo ſane conſilio lõge prudentiſſimo nihil ad gentes intra obedientiæ limites ac officii regiones, & ſub jugo ſervitutis coercendas validius, nihil ad cuſtodiendam vaſtiſſimã reip. molem potentius excogitari potuit. Tam diu etenim viſæ ſunt populoſiſsimæ provinciæ nihil conſilii contra victoris imperium agitare, nihil rerum novarum moliri, quam diu legionum præſidia cervicibus earum imminebant. At illis, Conſtantini ætate, ſuaſu pontificis, ſublatis, ſublatus ſimul eſt potentiorum regnorum metus, ſublata erga imperium reverentia, ſublata omnis parendi promptitudo atque voluntas. Paulo enim poſt, cùm Valentinianus Conſtantii & Placidiæ filius Romæ interficeretur, facto quaſi fatali quodam exterarum gentium

motu,occidentalis Imperii provinciæ, expulſis undequaq; Romanorum præſidibus, fuerunt viciſſim fortiſſimarum nationum armis occupatæ.Hinc effuſi in Galliam Vandali: Illinc effuſi eodem Alani: parte alia effuſi ex Germania Suevi.Suevi in Hiſpaniam,Suevi in Aphricam irruerunt.Sed & eodem ferè tempore Italiam.atq; ipſam urbem,imperii caput copiæ Vandalorum,Genſerico duce, invaſerunt, eamq; modis miſerrimis devaſtarunt: parte alia Scoti & Angli Britanniam: Franci & Burgundiones partem Galliæ: Gothi partim Italiam, partim Galliam Narbonenſem: partim Aquitaniam,partim veterum Celtiberorum ſedem in Hiſpania hoſtiliter ingreſſi ſunt: Longobardi autem Galliam Ciſalpinã, & paulo poſt Italiam ejectis iterum Gothis, occuparunt,Franci eoſdem in Galliis oppreſſerunt. & in Hiſpaniam cum Alanis eiecerunt Quis verò oculis tam Lynceis, tamque undiquaq, acutis cum Argo illo fabuloſo invenietur,qui in tantis rerum omnium confuſionibus & perturbationibus,miſeriſq; occidentis univerſi dilacerationibus atq; devaſtationibus ullam veteris Romani imperii lucem, aut ullam ſcintillulam priſcæ majeſtatis pervidere & commonſtrare poſſit? ex antiquis fundamentis mota eſt omnis moles: iacet omnis forma:diſſoluta omnis conſtitutio:relaxata omnia

omnia vincula: gubernacula omnia deſolata: nudata omnia tribunalia: prætoria everſa: magiſtratuum omnium faſces fracti: omnes deniq; provinciæ, tanquam excuſſis frænis æqui, à dominio impoſito liberatæ, cùm ſecundum vulga re omniumq́; ſermone tritum proverbium, quercu deiecta, ligna colligere tam amici quam inimici viderentur. Ceciderat etenim ceciderat Romani imperii flos, diſperſa iacebant undiquaq; eius folia quæ fortunæ ventus hinc inde mirifica vici viciſsitudine agitabat. Franci noſtri apprehendebant manu potente Gallliam: Gothi Hiſpaniam Angli Saxones Britanniam: Longobardi, exarchatu, veluti ultimo imperii pedeſubverſo, devaſtatæ, miſerisq́; modis dilaceratæ Italiæ cadaver in novi regni titulum & dignitatem erigebant. Quid verò ea de re judicabimus? An idcircò iſtos populos defectionis ac perfidiæ coarguemus: an injuſtitiæ eos inſimulabimus: an inobedientię atq; maliciæ, aut crudelitatis atq; immanitatis damnabimus? Non equidem puto: fortitudinem potius & virtutem eorum prædicemus: libertatis recuperandæ ſtudium commendemus: felicitatem in reip. veteris dignitate reſtituenda efferamus: fortunam in antiquo jure revocando ſuſpiciam9 Quid n. non modò civilibus rationibus, ſed etiam omnium gentium moribus ac conſen-

ſionibus magis convenire, quid ipſius naturæ præſcripto magis conſentire poſſit, quã ſi ea, quæ neglectui & derelictui ab aliis habeantur, ſuſcipiantur, quæ diſperſa ſint colligãtur, collecta aſſerventur, quæ devaſtata & diſciſſa ſint, reſarciantur; Lege Cenſoria licebat Romanorũ equiti equũ adimere, ſi eundem non bene curatũ, ſed ſtrigoſum & macilentum haberet. Quid? quod illi in re privata, nonne idẽ multo majore diligentia in publica re cõſtituamus? Atqui illud ex civilis prudentiæ principiis nemini nõ notiſſimũ eſt, nihil omnino attinere, rem habere, niſi eo modo habeas, quo eam habere te oporteat. Cæſarem Wenceslaũ cenſoria Septemvirorũ auctoritate ab imperii noſtri gubernatione ſubmotum eſſe accipimus. Quid cauſæ? Negligentiã & ſoçordiã clamitant omnes. Quemadmodũ autem antiſtetem Eccleſia nullũ habere dicitur, virumq; mulier nullũ, quæ inutilem habet: Ita tunc imperiũ à gubernatore vacuũ erat, cùm negligens & ineptus imperator eſſet. Quis itaq; tam ab omni meliore mente atq; judicio relictus eſt, qui eandem rationem in illis, de quibus diximus, veteris imperii Romani temporib. non perſpiciat, non intelligat! quî non videat omnem majeſtatem ejus tum extinctã, poteſtatem omnem ſublatã, neq; quicquã præter umbram nominis *Romani* ſuperſtitem fuiſſe, atq;

propterea cauſã juſtiſsimã libertatis priſtinę atq; ornamenti recuperandi cæteris gentibus eſſe oblatã? Quid præterea naturali juri convenientius, quã rem quãq; ad fontem & principiũ ſuum reduci? At hoc Franciæ, hoc Britanniæ, hoc Hiſpaniæ, hoc aliorũ regnorum principes erat, cùm ad civitatis ſuæ jura, quibꝰ ante Romanorum arma fruebãtur, reverterentur, cum libero arbitrio proprium quæq; ſibi regnum & regem conſtituerent, cùm proprias leges & conſuetudines ſuo arbitratu conderent, cùm iiſdem fundamentis, quæ majores ipſorum reliquerant, civitates & regna ſua munirent. Quid porrò ex juris civilis rudimentis exploratius eſt, quã eo genere rem quamq; diſſolvi, quo prius colligata fuerit? Sed quid contra illi, qui aſſertum & vindicatum iſta omnia poſtliminii jure eunt? Prodeãt & in aciẽ argumenta & rationes ſuas conferant: ſummum & univerſale neſcio quod imperiũ nobis objiciunt, jura & vim ejuſdẽ in omnia alia inferiora regna magnificè efferunt? Quis verò illud generale & ſupremum imperiũ in omnia excogitavit, quis cõſtituit? natura? Minime quid n. libertati, quæ ab ipſa natura originem ſuã trahit, & bonorũ omnium ſummũ & præſtãtiſſimum putatur, atq; adeo vitæ ipſi anteponitur, magis adverſatur & repugnat, quàm alterius imperio ſubeſſe? quid eſt, à quo magna illa

rorum omnium parens natura in omnibus etiam brutis animantibus vehementius, quàm à jugo, à freno, à capiſtro, abhorrere videatur At quantò magis mortales, teſte Græcorum prudentiſſimo Xenophonte ab omni ſubjectione refugiunt? At Deus, inquis, ſummum inter homines ſibi proximũ imperiũ ordinavit. Quomodo? Audire illud cupio. Is enim eſt, qui regna & imperia non uni alicui homini attribuit, ſed quemadmodum variis terrarum partibus atq; plagis gentes ac populos varios, diverſisq; linguis & moribꝰ nationes inter ſe differre voluit, easq; altiſſimis jugis ac montibus fretisq; ſeparavit; ita & imperia & regna varia magnis locorum intervallis disiunxit, atq; ipſius naturæ ſepimentis ac interſtitiis diſtinxit: finesq; ac terminos cuiq; imperio & princcipatui in Alpibus ſuis, in Caucaſis, in Tauris, in Euphratis atque in *I*ndi littoribus præſcripſit. Quid enim? annon eius rei exemplum clariſſimum in ipſius Dei hereditaria gente nobis propoſitum eſt? Tametſi enim Abrahami poſteritatem omnibus populis in univerſo terrarum orbe prætuliſſet, illiq; perpetui regni dignitatẽ, ac ſolii æterni maieſtatẽ promiſiſſet, tamẽ tantũ abfuit, ut ſummũ & generale in cæteras gentes imperiũ eidẽ cõceſſerit, ut certis etiã terminis ac limitib, ab õnib. finitimis regnis, quæ multò latiora

erant,

erant, regionem Iſraeliticam diſcreverit. *Sed* neq; ille, quem regum omnium, qui fuerant, & qui futuri eſſent, ditiſſimum fore, Deus ipſe confirmaverat, ſuperatis majorum metis, ad potentiam illius imperii in cunctas gentes pervenit. Et quid ejuſmodi poteſtatem Deo auctori unquam conſtitutum eſſe dicemus, cùm ne regnum quidem iſtud ſui populi æquo animo comprobaſſe eum ſacræ literæ teſtentur? Quæ enim ejus dehortatio? quæ de libertate conſervanda commonefactio? quæ de regis jure ejusq; licentia cõminatio? At omniũ gentium, inquis, conſenſu, ſummum & univerſale imperium excitatum eſt. Quid ait? Nihil equidem magis nationes & populos fortiſſimos refugiſſe video, quam potentiorem unius dominatũ. Quæ enim cauſa fuit, quamobrem primi mortales ſuſceptis ex Aſia longiſſimis peregrinationibus, in ignotas regiones & in ſolitudines, in Scythiam, in *Sarmatiam*, aliasq; Europæ partes receſſerint? nulla profecto alia, quã ut jugum Aſſyrii imperii, quod primum inter quatuor ſuprema eſſe volunt, declinarent. Quid verò Trebatam, Treviris, antiquiſſimæ noſtræ urbis conditorem, & Semiramidis imperatricis privignum, cum numeroſiſſima hominum manu in Germaniã noſtram per vaſtiſſimum mare ad Moſellam uſq; profectum, patriis ſuis ſedibus ejecit? Imperii

perii Aſſyrii violentia. Quid cæteros Germanos, quos Herodotus auctor vetuſtiſſimus, primum Perſiam incoluiſſe tradit, in paludes Scythicas, & ex iis in has oras, quæ ab iis nomen conſecutæ ſunt, avitis regionibus longè uberrimis expulit? Perſici imperii dominatio. Quid veteres Phocenſes ex Græciæ abundantia in Gallia, ubi Maſſiliam concedidiſſe dicuntur, longiſſimis itineribus contendere coëgit? Macedonici imperii potentia. Nihil itaque gentium conſenſioni tam adverſum fuiſſe videtur, quàm omnium civitates & principatus in unius imperii magnitudinem confluere. Sed quid de eo imperio verba plura facimus quod neque nulla unquam ætate conſtitutum eſt, neq; conſtitui potuit. Non etenim humanæ conditioni datum eſſe videtur, quod ſolius divinæ majeſtatus eſt, ut omnium terrarum gubernationes, omnium nationum & gentiũ imperia unius poteſtatis faſtigio continerentur. Hæc enim univerſalis & ſummi imperii potentia, hæc celſitudo, hæc magnitudo eſſet, ſi qua inter homines ulla conſiſtere poſſet, ut univerſum terrarum orbem, tanquam unam urbem, unumq; domicilium compleċteretur. Quod quidem magnifica verborum jactatione de Romanorum imperio prædicaſſe Conſulem oratorem legimus; verùm ille tum ſibi pſe, tùm reip. ſuæ verba dediſſe videtur. Ubi
enim

nim inſolentis iſtius gloriationis termini? ubi fines ſunt? iiſdem, inquit, quibus ſolis curſu definitur, definitæ imperii Romani regiones ſunt. At quis contra ſolem ipſum non intelligit prolatum verbum eſſe, cui ſoli ipſius longitudo obloquitur. Nec enim ad aures Romanas, nedum in manus pervenerunt, quæ noſtra ætate latiſſimis multorum regnorum ſpatiis continentur. Trajani imperio omnium anguſtiſſima & florentiſſima Romanorum potentia fuiſſe prædicatur? At neque illa tum Euphratis & Rehni noſtri littora comprehendit: Perſarum verò regnum longè ampliſſimũ Romanam, Aquilam nunquam agnovit, quod etiam Honorius & Theodoſius Impp. in legũ libris non diſſimularunt. Germaniam porrò noſtram Romanorum faſces nunquam ſubjectam ſibi totam habuerunt: Albim enim noſtrum eorum metus nunquam attigit: atque ipſe Rhenus noſter, teſte Tacito, triumphatus potiùs, quàm ſuperatus unquam fuit. Quid de regnis Septentrionis dicimus? Daniam & Sueciam; omnemq; Sarmatiam Romani nunquã cognoverunt: ad quãta illa orbis pars eſt, quãta vaſtitas? Quid de Francia noſtra? Ejus quidẽ titulũ ſibi Juſtinianus Imperator ſũpſit, & Frãcicũ ſeſe à gente devicta appellavit. Sed ô inanẽ titulũ! vix unũ cũ natione formidiſſima prælijũ cõmiſſũ eſt, & ex eo triũphꝰ & victoriæ tantꝰ titulꝰ? atqui Frãcos tũ etiã, & reliquo tẽpore

pôſt, in libertate veteri permanſiſſe, ipſe Juſtinianus Imperator ad Belliarum perfectum prætori, quemadmodum in legum voluminibus legere eſt, ſcripſit: Caruit itaq; *R*omanum imperium univerſo ferè Europèo Septentrione, caruit ea parte, in qua nunc Romani nominis gloria tota conquieſcit. Quantum itaq; huic potentiæ terrarum, quantum regionum, quas ſolis curſus complectatur, defuerit, nemo tam hoſpes rerum communium eſt, qui non perſpiciat, nemo, univerſale imperium nullum fuiſſe, non intelligat. At multò minus ea; quæ anteceſſerant, id nominis & gloriæ ſibi vendicare regna potuerunt. Quid enim imperium Aſſyrium, quod ex Chaldæo aſſurrexit? quibus limitibus cercumſcriptum? quibus regionibus concluſum? Aſiæ partem complexum eſt: Europæum autem & Africanum nihil unquam continuit. At Perſia poteſtas quàm latè ſeſe extendit, quouſq; potentiæ ſuæ ac ditionis pomæria protulit? Vix Græcos finitimos contigit. Alexandri verò fulmina, licet per Aſiam univerſam ad Indiam uſq; detonuerint, non tamen ad Romanos Græciæ propinquos, qui tum quàm maximè florere incipiebant, pervenerunt: Occidentem autem nunquam, ne per nubem quidem terruerunt: Septentrionem omnem, quàm longiſsimè refugerunt. Quid enim tum Germani? cum miſ-

ſis le-

ſis legationibus interrogati forent quidnàm domi ſuæ potiſsimè extimeſcerent. Nihil omninò, inquiunt, ſe metuere, niſi ne fortè aliquando cœlum ſit ruiturum. Sed quid ad hæc Macedo? reſponſi gravitate perculſus, nihil aliud, quàm Germanos ſuperbos eſſe dixit, eosque domum remiſit. Vox profectò magnanima atque imperterrita nationis fortiſsimæ/ quæ hanc noſtram ſententiam teſtimonio ſuo vehementiſsimè confirmat, Imperium Alexandri neutiquam univerſale ſummumq; fuiſſe. Ubi igitur illa ſuprema Imperii majeſtas? ubi jura illa, quæ in omnia regna, vi univerſitatis eſſe dicuntur? ubi unquam poteſtas illa extitit? Summa qui regum Perſiæ inſolentia & incredibilis faſtus fuiſſe legitur, cùm aquã & terram ab omnibus regionibus poſtulatum legatos ſuos emitterent: ſed quomodo illi accepti? non ſolùm irriſi, & extremo ludibrio habiti, verùm etiam non ſine ſumma contumelia & ignominia ab Athenienſibus & lacedæmoniis populis Græciæ principibus in puteũ conjecti, ut ibi terram & aquam conjunctim quærerent. Quod certè, credam, prudentiſsimæ Græcorum civitates nunquam committere auſæ fuiſſent, ſi aquæ & terræ ſuæ petitionem Imperii univerſalis jure, à Perſarum rege rectè fieri cognoviſſent. Sed neque Xerxes ipſius filius & ſucceſſor jus illud aquam &

terram petendi impoſterum omiſiſſet, ſi jura Imperii ſui univerſalis per illud imminui perſpexiſſet. De quo quidem regio in omnes alios reges jure, ſi omnes toto terrarum orbe reges & principes interrogarentur quid ſentirent, quid exiſtimarent? reſpondebunt haud dubiè omnes illud, quod in verſu eſt: *Qui rex eſt, regem non habeat.* Sed videor mihi ipſe extra oleas, quod dicitur, longiùs evagari, remq; altius quàm initio conſtitueram, perſequi. *Q*uid enim pro exterorum regnorum libertate, quæ nunquã Imperii Romani ditioni ſubjecta fuerant, pluribus pugno? omnis noſtra de illis regnis controverſia eſt, quæ cùm olim imperio Romanorum ſubjecta, atq; tributaria fuiſſent, ipſa ſeſę in libertatem contra Imperii voluntatem receperint, De Francia, quæ ut olim, ita & nunc quoq; Gallia dicitur, in primis agitur: agitur de aliis ſimiliter regnis, quę Germanorum Imperium agnoverunt. *Q*uid ergò de Francia vobis videtur? Illa ſuum decus & libertatem, ſuum regnum & coronam, ſuum nomen & titulum à Germanorũ regibus ſuſcepiſſe dicitur. Illa veluti altera ſoror cum Italia imperio Germaniæ fuiſſe à Carolo Magno adjuncta & inſerta ſcribitur, Sed audiamus, quid ipſa Franco-Gallia nobis reſpondeat. Franciæ mihi (inquid) nomen à Francis aſſe non inficior. Gentem eã Germaniæ fuiſſe, & ad Salam olim habitaſſe non nego. Clodovæi regis antiquiſ-

ſimi feliciſſimis armis Syagrio Romanorum præſide à Sueſſionibus expulſo, reliquisq; potentiæ Imperii veteris extinctis, urbes & oppida mea occupata eſſe non diffiteor: Ab origine Germanorum tum Carolum meum, tum reliquos omnes ab Hugone Capeto derivatos, reges deſcendere notius eſt, quam ut cõtradicere quiſquam poſſit. Nam & Franciſcus meus Primus ſe ipſe Germanum in Germaniæ comitio per legatos confeſſus eſt. Sed quid illud ad imperium Germanorum? quid ad ſubjectionem mei regni? Eo videlicet conſilio veterum Francorum armis Romano Imperio erepta fui, ut peculiare & liberum regnum perpetuò eſſem. Sunt in ſinu meo etiamnum antiquiſſima pacta & fœdera, cum legionibus Romanis de æterna libertate regni mei ſancita. Teſtabuntur idem antiquiſſimi reges Pharamundus Merovveus, Hildericus, Clodovæus, Magnus Childebertus Dagobertus, Pipinus, qui nihil unquam imperio Romano in me juris permiſerunt: nunquam mei illi reges ulli *I*mperatori paruerunt, ac ne tum quidem, cum ampliſſimus rerum moderator meus Carolus Germaniam univerſam regno adjungeret, cùm Longobardorum dominatum in *I*talia everteret, cùm *I*mperium totius occidentis ſuſciperet, cùm deniq; tria regna inteſtamento ſuo inſtitueret, ne tum quidẽ, inquã, regnũ

meum

meum Germaniæ vel Italiæ ſubeſſe voluit, ſed proprium & ſeparatum ab aliis regnum, idemque exiſtere, quod per tot majorũ ætates fuerat. Verùm, eſto: Carolus ita extremam ſuam voluntatem de regno meo reliquerit, novo imperii Romani corpori Galliam meam inſeruerit: tria illa regna, Italiæ, Franciæ, Germaniæ, unam potentiam, in una mole eſſe juſſerit: idcircòne ſucceſſores ejus magis Caroli inſtitutio, quàm tot meorum maiorum moribus & legibus tenebantur? Sed tantum abeſt, ut hoc mens ille Carolus voluerit, ut etiam clariſsimis verbis prohibuerit, ne quicquam rerum Francicarum, ſive mobiles ſive immobiles fuerint, ad Germaniæ & Italiæ reges, tametſi fraterna neceſsitudine devinciantur, ullo unquam tempore transferretur, ſublatis omnibus etiam, quæ ex commerciis & contractibus gentium fieri poſsint, alienationibus, ut nihil venditione, nihil donatione, nihil permutatione regno meo detraheretur. Audiſtis ipſam regii Lilii antiquiſsimam parentem, pro libertate regni ſui firmiſsimis argumentis contendere. Cuius quidem ex ore reſpondebunt nobis ſimiliter cæteræ provinciæ. Quid enim veteris Imperii arx & unica ſedes Roma? Donationem Conſtantini Cæſaris tanquam validiſsimum alienatæ urbis propugnaculum obtendet potentifex: oſtendet literas: proferet

feret ſigilla: ſubſcriptiones promet. Sed& libertatem ſuam comprobabunt Veneti: emptiones conerctusq; ſuos, cum Rudolpho primo initos civitates exhibebunt Hetruriæ. quid prætereà: regna Septêtrionis, Dania Quid Polonia? jure gentium ſeſe, dicent priſtinâ ſuâ libertatem vindicaſſe, armorum jure quondâ amiſſa, eodem tandem recuperaſſe. Quid Hiſpania? Veteris Romani Imperii provinciâ ſe quidem fuiſſe affirmabit: Germanorum autē imperium ullo tempore ſe agnoviſſe negabit: Carolum Magnum altera Pyrenæos montes non eſſe egreſſum magnam in ſuis finibus à ſe cladem ibi perpeſſum: ibi Rolandum ejus ex ſorore nepotem, heroem fortiſſimum occubuiſſe, ibidem principes duodecim, duces bellicoſiſſimos Francicos ſtratos in acie interiiſſe: Remp. ſuam ex eo tempore liberam ſemper à Romano jugo manſiſſe Gothos eodem jure regnum ſuum intraſſe, ſolium novum eodem jure excitaſſe, quo olim Caro Romanus, quo Scipio, quo Sertorius, quo alii eâdem intraverint. De Anglis ſuis idem reſpondebit Anglia. Sed quid hanc contentionis ſerram reciprocamus longiùs? Incuſamus Francos: coarguimus Gothos: damnamus Longobardos: reprehendimus Alanos: deteſtamur Vandalos, quod Romani Imperii otium & tranquillitatem turbaverint, quòd regna ejus & provin-

cias, dilaceraverint, ipſi quod à fide deſciverint, contra fœdera & pacta ditiones irruperint, principatus & Regna in Romanorum terris conſtituerint. Sed quid agimus? annon in ſinum noſtrum ipſi deſpuimus? An non è Germania populi illi omnes egreſſi ſunt, qui nunc & Franciam, & Hiſpaniam, & Angliã, & cætera armis occupa regna tenent? At illud Germaniæ noſtræ tantæ laudi & gloriæ vertitur, ut neſciam utrum majoris fortitudinis & virtutis eſſe dicam, eam per gentes ſuas fortiſſimos populos in Romanorũ provinciis manu bellica viciſſe, ſedibus & domiciliis eos ejeciſſe, quàm imperii dignitatem felicitate Caroli acquiſiſſe. Ac certe ſi rem ipſam pauló accuratori judicio ſubjicere velimus, non video, quid amplitudini imperii Germanici detractum ſit, aut quid rei amiſsũ. Tametſi enim unius nomini & poteſtati ſubjecta omnia non ſint; neque provinciæ jure, ut olim, regna teneantur, ea tamen omnium erga Romanam majeſtatem obſervantia eſt, ut ipſam quàm maximè colere, ſummaq; amicitia & ſocietate complecti, ac deniq; quod veteres omnium honorificentiſſimum eſſe ducebant, comiter conſervare videãtur. Qua quidem ratione antiqui imperii celſitudo multo magis, quam ditionum ſuarum latitudine ſeſe efferebat, cũ potentiſſimos reges nõ

quidem

quidem ſubjectionis jure, ſed ut ſeſe comiter conſervarent, pactis & fœderibus aſtrictos, devinctosq; haberet. Nec verò alia de cauſa diademata & faſciæ regales multis imponebantur, victisq́; ſceptra & regna reſtituebantur, quam ut ſocietate & amicitia eorum reſpubl. ad conſervationem ſui uteretur, atq; omnibus aliorum regnis & principatibus ſuperior dignitate, loco, ac exiſtimatione haberetur. Hanc autem auctoritatem prudentiſſimi rerum maximarũ adminiſtratores tanti faciebant, ut in ea ſummũ majeſtatis faſtigium initi cenſerent. Si quod autem ullum unquã imperium iſtius amplitudinis gloria jactare ſeſe potuit, profectò Germania eſt, quæ adhæc uſq; tempora tanta dignitate cumulatiſſima eſſe videtur. Quod enim ferè regnum exterarum gentium univerſo Chriſtianæ reip. orbe eſt, quod coronam ſuam & imperii altitudinem Germanorum majeſtati non acceptam ferat? quodq; propterea ad comem obſervantiam & conſervationem ejus ſeſe æternæ gratitudinis nexu obligatum eſſe non fateatur? aut ſi ſponte nolit, tandẽ tamẽ, veritate rerũ convictũ, non fateri cogatur? Quæ autẽ propterea ex omnibus iſtis principatib. tãti ſupercilii dominatio extitit, quæ Germãorũ imperio ſeſe unquã anteponere fuerit conata? Ipſe etiã barbarꝰ Moſcovitarũ magnꝰ dux, qui ſeſe ti-

diculo quodã faſtu Cæſarem appellare ſolet, etſi cætera inſolentiſsimus, attamen nõ auſus eſt eo arrogantiæ progredi, ut ſe ſublimiorem Germanorum Imperatorum majeſtate diceret. Ipſe magnitudinẽ ejus agnovit, omnium aliorũ regnorum auctoritati præferendũ eſſe cenſuit. Nam cum reliquas fere omnes toto orbe terrarum poteſtates deſpiceret ſolũ Romanorum Auguſtũ in Germania Rudolphum ſecundũ Imperatorem invictiſsimum etiã noſtra memoria digniſsimũ eſſe judicavit, à quo faſtigium regiæ dignitatis, regniq; coronam enixè flagitaret. Perſpexit ſcilicet in extremis illis barbariæ nubibus ſuperbiſsimus dominator, ſublimiorũ honorũ & dignitatũ fontem in nullo alio, quam in Romano Germanorum imperio eſſe quærendũ, intellexit idem regia celſitudine oportere multo auguſtiorem eſſe majeſtatẽ, à qua diadematis regalis ornamentum peteretur. Exiſtimavit pręterea ſibi nomẽ & titulũ novum regis eo honorificentiorẽ fore, quod ab ejus Imperii capite eſſet accerſitus, à quo nõ modo vicina Polonia, ſed & Bohemia & Dania, pluraq; alia regna apicẽ ſuum culmenq; regium olim eſſent cõſecuta. Quid vero ex omniũ ſupremarum dignitatũ honorumq; cumulo ſublimius haberi poſsit? quid eſſe altitudini Cæſareæ Majeſtatis glorioſius, quã regum Celſiſsimorum infulas à Germanorum imperio promanare. Numquid illud

minoris gloriæ eſſe exiſtimabimus quàm cùm olim Tigrani, qui ſeſe regum regem proclamaverat, tribusque faſciis regalibus caput ſuũ inſignierant, Pompejus reip. veteris princeps, quæ armis victo abſtulerat, diademata in conſpectu & oculis univerſi populi reddiſſet? Quantoperè autem ſibi ipſi Nero complacuiſſe dicitur, cùm, uti Tacitus nobis proditum reliquit, Parthorum legati in urbem ad eum veniſſent, & Phraatis regis filium Venonem, qui longo tempore obſes ibidem fuerat, ad regni gubernationem à Romano imperatore petiiſſent? Sed multò majoris ſplendoris eſt regnis ſuum nomen & decus omne attribuere, & ſolium eorum conſtituere, ipſisque regibus purpuram & trabeam ſuam largiri, quàm regnis jam ante conſtitutis obſidem principem à ſe flagitatum dare. Quo verò gloriæ loco cenſemus illud ponendum eſſe, quòd cuncta ferè totius Europæ florentiſsima regna, ſibi datos ex illuſtriſsimo Germaniæ ſanguine reges ac principes ad hunc uſque diem habeant? Quis enim Franciæ ſtirpem, quæ à Capeto uſque per tot ætatum curricula Gallicum imperium gubernavit, a Saxonico germine veteris Witekindi emanaſſe neſcit? Quid ſuperioris ſeculi reges hac origine non audivit ſeſe jactaſſe, & ad Germanorum neceſsitudines ſeſe retuliſſe? Quæ verò natio, quæ gens potentiſ-

ſimis

ſimis Hiſpaniarum regnis, quorum potentia extra ſolis noſtri vias in orbem Antracticum incredibili longitudine extenditur, per centũ huc uſq; amplius annos, principes dedit? An non Germania, & quidem ex eadem celſiſſima domo, quæ à Rudolpho primo inviɛtiſsimo imperatore Romani nominis gloriam ſumma virtute ſuſtinuit? Eadem ſereniſsima familia regnum Siciliæ & Neapolitanum: eadem Mediolanenſe imperium in Italia: eadem Chriſtiani orbis propugnaculum, Hungariam: eadem vetuſtiſsimæ laudis Bohemiam fortiſsimam tuetur. Sed & præterea totus Septentrio luce Germaniæ refulget. Unde enim Daniæ, unde Norvegiæ, unde ultimæ Thuli ſui reges ſunt? Ex Germania. Eos illuſtriſsima ducum Holſatiæ domus dedit: dedit eadem ſuperioribus annis longiſsima per itinera accerſitum maximæ ſpei & indolis principem magnum Moſcoviæ, quem niſi fata immatura, proh dolor, interveniſſent, etiamnum ſumma cum felicitate haberet. In manibus noſtris eſt clariſsimi viri Tabotii, Poloniæ regis legati, quam in Germania ſuperioribus annis habuit, oratio, in qua hodiernum regem Sigiſmundum, latiſsime per veterum Sarmatarum provincias potentem, ex perilluſtri Germanici ſanguinis origine profectum eſſe cognoſcimus. Exemplis pluribus immorari nolim: hæc enim demonſtrandæ imperii celſitudini, ſummæque

Germanorum gloriæ ſufficiunt. Quid enim ex omnium annalium antiquitate proferri poterit magnificentius? quid ex omnium nationum & gentium præſtantiſsimarum claritudine celebrari, quod cum tantæ gloriæ ſplendore comparari queat? Quid ergo deſideratur ad tantam amplitudinem augendam, quid ad majeſtatem extollendam ulterius? Nihil omnino. Cedunt Germanico imperio terrarum omnium faſtigia. Conticeſcant itaq; turbulenti iſta de repetendis poſtliminio exterorum regnis ſermones; non audiantur ad rixas, ad bella, ad ſeditionem natæ voces. Maneant, quæ per tot ſecula populis integra fuerunt jura: relinquatur gentibus tot ætatibus ante quæſita libertas: Contra vero Germania noſtra eo omnem curam & ſtudium ſuum conferat, ut non tam de amplificandis, quam de retinendis, quæ ampliſsima ſunt, bonis fortunisq; ſuis inexoptatiſsima pace & otio quam optime perfruendis, cunctas cogitationes, operas & labores ſuſcipiat, veteremque illam Scipionis ſapientiã imitetur, qui non amplius pro finibus augendis, ſed pro conſervandis opibus Romanæ reip. Deum precandũ eſſe prudentiſsime judicabat,

FINIS.

HERMANNI KIRCHNE-RI, J.U.D. HIST. & Orat. Acad. Marp.

ORATIONUM PANEGYRICARUM

VOLUMEN II.

ERPHORDIÆ,
Impenſis Johannis Epiſcopi Bibliop.

M. DC. XXI

Illuſtribus & Generoſis Adoleſcentibus,

Dn. CAROLO, & Dn. MAXIMILIANO, germanis fratribus, Baronibus de Kaunitz in Auſteritz, &c. nunc temporis ſtudiorum gratia in Academia Marpurgenſi commorantibus

S.

MUltis, illuſtres & generoſi juvenes, voluptati atq; jucunditati ſummæ eſſe ſolet, ſi qui fortè rariſſimi uniones & gemmæ pretioſæ eis ſaltem per tranſennã oſtendantur; mihi verò multò gratiores illæ literæ fuerunt, quas ſuperioris anni Kalendis Octobribus, nobiliſsimus & ampliſ-

ſimus vir Georgius Remus, Noricæ reip. Conſiliarius, ad me his verbis dedit: Tibi nunc commendo, inquit, Illuſtre & & generoſum par fratrum, antiquiſsimo genere, nec non laudatiſsima heroicaq; virtute prognatorum, Dn. Carolum, & Dn. Maximilianũ, Barones à Kaunitz in Auſteritz, &c. Moravos, quos apud rerum ſummæ præeſt illuſt. & omni encomio major, Dn. Carolus à Zerotina Promarchio. Veniunt autem ad vos hæc tua pectora generoſa Hiſtoriæ ac Politices diſcende potiſsimum cauſâ. Admittes veró hos Barones

cum

cum ephoro Dn. Richtero eo promptius proniusq;, quo ſtudioſiores tui nominis deprehendes. Nihil illi degenerant â virtute, pietate & natura illuſtris parentis, quem ante 27. annos σύσσιτον haubui apud Reverendum & clariſs. virum D. Jacobum Grynæum Theologum Baſileæ, &c. Hæc ille, qui, quibus ego unice duci & oblectari ſoleo, veras & genuinas gēmas & ſmaragdos mihi perſuaſiſsimas literas demonſtrabat, virtutem ſcilicet, pietatem, & omnem nobiliſsimi animi elegantiam in illuſtri & vere generoſa veſtra adoleſcentia ſitā.

Ut autem ipſæ literæ veluti indices, pergratæ fuerūt: Ita multò jucundior poſtea demōſtrati ipſius theſauri aſpectus, quē etiam omni præconio majorem in vobis comperi. Pietatis enim, diligentiæ, morumq; veſtro genere digniſsimæ convenientiæ, omnis deniq; heroici ſtudii vitæq; ad virtutis iter cō citatiſsimo gradu converſæ teſtē habetis univerſam noſtrā Academiam. Pergite verò, illuſtre & generoſum par fratrum, ad ea faſtigia, quo cæpiſtis ſtudio & induſtria eniti, neq; dubitate, quin olim longè ampliſſimus ejus rei fructus vobis ſit

obventurus. Eloquentiæ autẽ ſtudium in Suetoniani mei Julii explicatione audiſtis, quanopere nobili juventuti ad reſpubl. munera aſpiranti neceſſarium ſit: Idem nunc etiam atque etiam vobis commendatum velim, eaq; remiſſas haſce meas panegyricas orationes, ut ultrò ad facundiæ laudem properantibus, mea etiam remigia & vela adderem. Valete, & ceptum ſtudiorum ſtadium feliciter decurrite.

V. Ill. Generoſ.

ſtudiis paratiſsimus

HERM. KIRCHNERUS. D.

INDEX ORATIONUM
II. Voluminis.

1. *De luctuoſiſſimo obitu Principis Mauritii Iunioris, Haſſiæ Landgravii, &c. 11. Auguſti, Anno* 1612. *defuncti. folio* 1.
2. *De fatalibus Academiarum diſsipationibus & ruinis. fol.* 24.
3. *De illuſtriſsimæ familiæ Ducibus & Principibus, de Comitibus ac Baronibus, de Nobilibus, &c. in Academiis, ſuperioribus ſeculis, Magiſtris ac Doctoribus promotis. fol.* 59.
4. *De eloquentia veterum Germanorum. folio* 86.
5. *De ſtudio Hiſtorico. fol.* 104.
6. *De Poeticæ diſciplinæ laudibus. fol.* 130.
7. *Oratio conſolatoria ad Hermannum Vulteium, Juris Conſultum. fol.* 126.
8. *Principem literatum in electione præferendum eſſe illiterato. fol.* 182.

ORA-

HERM. KIRCHNERI.

De luctuoſiſsimo obitu Princi-
[p]is Mauritii Junioris, Haſsiæ Land-
gravii, &c. 11. Auguſti Anno 1612.
defuncti.

Oratio I.

*QUæ ab ineunte hujus anni æ-
ſtate huc uſque in agris, in
hortulis, in campis de planta-
rum, herbarumq́; & florum
interitu hinc inde verſata ho-
minum quærimonia ſint, quæ
â de re tanquam de buſtis, & funere amicorum
[n]ænia audita; iis vocibus aures noſtræ fere etiam
[n]um calere videntur. Sed ô immiſsi floribus Auſtri,
[u]t verbo Maronis noſtri exclamem! ô herbarum
& ſtirpium gemmæ! ô germina! Quid languor
[i]ſte, & præcox graminum ariditas portendiſſe,
quid olerum, & fruticum præmaturus, & in ipſo
[c]alice emorientium floſculorum occaſus ſignificaſ-
ſe videatur, nunc tandem ipſi maximo cum animi
dolore, ſummoq́; patriæ univerſæ mœrore ac luctu
omnes, eheu, cognoſcimus. Quid enim? an non ex*

agris in urbem, ex pratulis in tecta & domos noſtras, ex horto & area in arcem reip. triſtiſsima iſta querela commigravit? Exaruit, proh dolor, exaruit pulcherrimi plantarii noſtri floſculos: decidit, nimis heu, immaturâ meſſe ſuccisum agri noſtri florentiſſimum lilium: jacet lætiſſima ſeminarii noſtri talea & ſurculus: juventutis noſtræ ſuavitas extincta, indolis gratia amiſſa: omnis deniq; quaſi veris univerſi noſtri voluptas, omnis venuſtas ſublata. O fruſtra animis ſuſceptas noſtris ſpes longè maximas: O vota, & deſideria inania! Florem oleæ amœniſsimum vidimus baccam quoq; & fructum videre uberrimum olim ſperavimus! Sed ô vanum vitæ adeò fluxæ ſomnium. Quàm ſolidi nihil in mortalis ævi fiducia? defluunt omnia tanquam floſculi. Ipſa adeo juventus quaſi agemone, quam venti herbam in officinis dicunt, quòd cùm florem ſpirante vento aperiat pulcherrimum, facilimo Euri afflatu tactuq; diſſolvatur. Quid verò de floribus & foliis conquerimur, quorum, ut Græcorm vates cecinit, aura Zephyri modò alia gignit, modò alia concoquit, & exurit? Quid virentem Narciſſum, quid Hyacinthum, quid Adonitem, cum Ægyptiis mulierculis, quarum divinum oraculum meminit, vaniſſimâ voce lamentamur? Nos ipſos potiùs tanquam flores, & gramina exiſtere, vitamq; noſtrã inſtar fœni ſubitò, & quam citiſsimè exareſcere aſſiduâ cogitatione recolamus. Quibus verò lachrymis,

chrymis, quibus fleribus ac doloribus triſtiſſimam iſtam publici noſtri viridarij cladem proſequeremur: Quemadmodum enim in ſtirpibus & plantulis ſi qua calamitas primis è vagina atq; è gemmâ protuberantibus germinibus afferatur, eò gravior detrimenti ratio majorq; agruolarum miſeratio eſſe ſolet, quà lætior herbeſcentis viriditatis ſpes, atq; exſpectatio ubertatis futuræ apparebat: Ita profectò in hominum ætate tantò acerbiòr pueritiæ, orientisq; adoleſcentiæ jactura accidit, quantò plus frugis primæ indolis hilaritas maturitati polliceri ſua videbatur. Quamobrem ſapientiſſimos etiam homines, tametſi illi omnia in ſe ſua poſita eſſe ducebant, rerumq; omnium humanarum caſus virtute ſua inferiores cenſebant, tamen in liberorũ immaturio re obitu, accepimus non eſſe nõ vehemẽtiſſimè commotos, tulisſe ſaepiùs eorum diſceſſus ac funera gravius, quã vel doctrina, vel profeſſio tantorum virorum poſtulare videretur. Quis enim ut è multis unum & alterum dundaxat vobis neminem, ex veterum monumentis non cognovit ea, quæ Solon, qui unus è ſeptem Græciæ ſapientibus uſurpatur, in ſapientis Thaletis domo, cùm apud eundem fortè hoſpes per ſubornarum nuncium de filii morte allato inani & ficto ſermone perterritus eſſet, animi prorſus: impotens ſui egerit, quæ tanquã extra ſe paterni in mœroris violentia raptus dixerit. Cædebat infelix pater caput ſuum; capillos evellebat: pe-

ctus

ctus utraq; manu pulſabat: totum: deniq; hoſpitii rectum clamore, & miſerrimo ejulatu complebat. Quæ cùm ſapientum alter ad eum modum fieri vidiſſet, ſe felicem atq; beatum præ hoſpite Attico prædicabat, quod propterea cœlebs eſſe, & liberorum educandorum ſtudio abſtinere voluiſſet ne tum admittendorum metu, cum ſimili amiſſorum filiorum mœrore atq; ægritudine afficeretur. Nec verò alius in ejuſmodi acerbitate affectus etiam eorum fuiſſe hominum perſpicitur, qui inter ſanctiſſimos veri Dei amicos certiſſimã vitæ ſempiternæ ſpem & fiduciam tenuerunt. Quid enim ille tot filiorum parens, vates divinus, ac Pſaltes regius? Quantum propter unius puſionis mortem ſuſcepiſſe doloris ac mæſtitiæ legitur? humi ille ſe totum abjicit: humeros & pectus in pulvere & ſordibus verſat, ora inedia & fame, oculos profuſiſſima vi lacbrymarum conficit. Nec aliter, imò longè acerbius, decem ille natorum parens, qui omnium fidelium patris nepos erat, tractaſſe ſeſe videtur. Quo enim ille mœrore, quo planctu minimum natu puerum, quo in ſolitudine devoratus à beſtiis falsò ferebatur, proſequitur? miſerrimus miſeri ſenis habitus! Quem etiam tum in ſacris literis legimus, animus noſter communi dolore, & commiſeratione maxima capitur. Quem enim iſte mœſtiſſimi ſenis ſqualor in cilicio & ſacco tot annos, quem extinctum ſuſpicabatur, acerbiſsimè lugentis non commoveat, cum neque

ulla

lla domeſtica ſolatia auribus ille admittere, neque diutiùs inter homines ſupereſſe. ſed una cum lio ſublatus è medio eſſe, eanosq; ſepulchro, & ſoeacum ſuſpiriis & gemitibus extremis inferre erquàm enixè efflagitaret. Atqui illud quàm maximè optimis quibusq; mortalium ex eo evenire erſpicuum eſt, quod quò plus quisq; humanitais, plus bonitatis ingenio, & natura ſuàpte contieat, eò vehementius in humanis ejusmodi eventius mœrori & dolori indulgere videatur. Quod uidem altiſsimi animi & rerum omnium viciſtudini ſuſtinendæ accommodati, eruditionis præterea, & ſapientiæ ferè incomparabilis viro, mano illi Julio Scaligero patrum noſtrorum memoiâ contigiſſe animadvertimus, ut cùm omni aliâ erum adverſarum fortuna ſuperior foret, in uius tamen Audecti filioli ſui obitú, tametſi plures osq; minimè degeneres natos haberet, à ſeipſe tois propemodum deflexiſſe, & in lacrymas cum Nibe iſtâ fabulosa diffluxiſſe videretur. Verſatur manibus longè graviſsima ipſius parentis de eo ratio. Quæ, Deum immortalem, paterni doloris ices? quæ flammæ? qui mœroris ac luctus ardor, uæ lacrymarum acrimonia? Cujus quidem rei agnitudinem ne cogitatione quidem ulla comrehendere ii poterunt, qui liberorum dulciſsimoum amplexu per ætatem omnem caruerunt, qui, uemadmodum Germaniæ præceptor Melanchon dicere ſolebat, neque intellectu, neque ſenſu

ullo aſſequi eam ſententiam queunt, quam graviſsmos Aeneidos auctor uno verſu complexam reliquit, cùm cecinit: Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis. Minus itaq; mirum videri debet, ſi tanta virtute, & fortitudine, rerumq; divinarū & humanarum ſcientia longè maxima principem illuſtriſsimum & clementiſsimum noſtrum Dn. & Evergeten beneficentiſſimum, ex tam inopinato dilectiſſimi filii ejusq; celſitudini cognominis diſceſſu graviſſimum animi dolorem ſuſcepiſſe audiamus, tantumq; mæroris celſiſsimæ menti obſervatum, ut ſibi ipſe triſtiſsimus parens in filii funere propemodum efferri; atque in dulciſſimâ animæ parte exhalare viſus fuerit. Quis enim, quis modus finisq; tam chari capitis elugendi eſſe poſsit? Tametſi enim juvenilis floris, expectataq; indolis caſus, & funera ejuſmodi in principum ſuorum generoſiſsimo ſanguine, illuſtriſsima Haſſiæ domus ab antiquis huc uſq; majorum temporibus, graviſsimo ſæpè cum reip. luctu, complura deploraverit: neſcio tamen, an ullius unquam excitatiſsimæ ſpei, & expectationis jactura gravior, acerbiorem dolorem, & deſiderium ardentius poſt ſe reliquerit. Nam ut veterum mærorum, qui tanquam ex dolio iſto Homerico, quod in ſiniſtro cæli limine poſitum eſſe canitur, in auguſtam hanc domum profluxêre, paucis recordemur, eos duntaxat illuſtriſsimorum patriæ noſtræ principum liberos memoria recolemus, qui cùm ad ſpem imperii

naxima cum lætitia & gratulatione felicißimè
iati eſſe videbātur, in primo ætatis flore fatis ob-
uti præclariſsimam ſui expectationem cum præ-
oce & immatura morte commutarunt. Vix au-
em ex omnibus antiquis doloribus reperiri poterit
uicquam acerbius aut luctuoſius, quàm cùm
Pannonia regina Eliſabetha, quam propter admi-
abilem pietatem & munificentiam erga egentes
livorum numero vetuſtas aſcripſit, unigena filius
Hermannus ex principe Thuringiæ, & Haſſiæ
Landgravio Ludovico, quem à vitæ ſanctimonia
anctum appellarunt, natus, ſpes unica utriusq;
ationis, unicum ſanctiſsimè viduæ matris ſolati-
m, cum incredibili populorum mæſtitia, hæredi-
arii regni auſpiciis eriperetur. Cujus quidem il-
uſtriſsimi adoleſcentis principis fatum eó miſera-
ilius, quò innocentius pulcherrima pubes violen-
a morte per venenum illata occidit. Ac ſanè eodē
ui principis vulnere tota ſimul hæc provincia con-
idiſſet, niſi divino quodam conſilio, & ductu ejuſ-
em reginæ, ex filia Sophia nepos Henricus, Johan-
e Brabantino per illuſtri Duce natus, heroica in-
ole vix trimus puer, ante annos tamen, ut de A-
anio canitur, mentem, animumq́; gerens, curasq;
iriles, in avitam hanc ſedem & ditionem perve-
iſſet. Ab illo enim illuſtriſsima familia Haſsiaca
ux & ſplendor ad hæc uſq; tempora prorogatione
eneris feliciſsima dimanavit. Ejus enim deinceps
ucceſſor, fratre priore patri cognomine præmor-
tuo,

tuo, princeps laudatiſſimus filius ex Adelheide Brunſvicenſi Otto fuit, qui hoc nomen primus in hanc domum, à ſuo materno avo Ottone, Brunſuigę & Luniburgę Duce, quem unicum id ætatis Saxenici germinis decus appellavit Crantius, auſpiciatiſsimè acceptum feliciſsimè tranſtulit. Sed neq; eundem non idem graviſſimus luctus per immaturam dilectiſsimi filii amiſsionem excepit. Cùm enim ſumma indole natos quatuor haberet, minimum illorum natu Hermannum, maximas delitias, in ipſa vita quaſi autora amiſit. Idem verò poſtea fatum, tanquam malus hoſpes, in hæreditate apud filium ſucceſſorem, eademq; in domo permanſit. Nam cùm, patre defuncto, natu maximus filius Henricus, qui ab incredibili robore, lacertorumq; & manuum nervo Ferreus dicebatur, in adminiſtratione univerſa ſucceſſiſſet, binosq; ex matrimonio heredes ſuſcepiſſet, natu majorem itidem ſibi cognominem, maxima exſpectatione adoleſcentem, quem jam animo ſucceſſorem deſignaverat, ſubita febre extinctũ perdidit. Vos antiq; patriæ ſedes vos Haſsiæ montes & arces mihi teſtes eſtis, vix dici poſſe, quantũ mœrorum, triſtitiaq; fluctibus patris ſenis altiſsima domus tum temporis inundaverit, quæ jam ſpe omni orbata, fulcro deſtituta, præſidio omni privata eſſe videbatur. Filiorum enim alter triſtiſſimo funere erat elatus, alter, qui Ottonis nomine celebratur, ad quas nationes, & gentes delatus, in quas oris

& re-

ſ regiones profectus, quo hominum perveniſſet, rorſus ignorabatur, & propterea ſimiliter pro de-functo habebatur. Ubi verò interea ille? Florebat d temporis nomine & auctoritate, opumq; maxi-narum celebritate ante alios Adolphus, ejus no-ninis primus, Comes Cliviæ & Marchiæ, cujus fa-nilia paulò poſt ad Principum & Ducum faſtigi-m ac dignitatem fuit evecta. In ejus familiam ſe-clam patre princeps Otto juvenis contulerat, & ccultata natalis loci cõditione, ut ſecundum pru-entum conſilium, Platonisq; præceptum, antè aliis ſe ſervire & miniſtrare, quàm imperare condi-eret, equitis aulici nobile officium ſuſceperat, & jaculandi peritia Sagittarii cognomen meruer-t. Quid verò fit? Tandem à Comite hero ſuo a-nitus, præſtantiſsimam corporis animiq; dote vir-inem, ejus filiam, tanquam pulcherrimum aulicæ ilitiæ honoratium, exoptatiſsimam conjugem ac-pit, eamq; ſummo cum applauſu, & gratulatione atriæ, domum in hanc provinciam duxit. Sed ô fu-aciſsima vitæ gaudia! Idem in florentiſsimo ætæ-s ſtatu, cum iam militaris virtutis gloria primaq; Martis felicitate ſummoperè affluere videretur, ræcipite fato præventus, non ſine gravi veneni ſpicione, ante parentem ſenem ſine omni poſteri-tis ſemine exſpiravit! ô inane rerum humana-um ludibrium! Quid exſpectatiſsimi iſti reditus? uid deſideratiſsimi amplexus? quid lætitia, & pplauſus? quid genialis lecti hilaritas? quid

auſpicatiſſima in patriam domum deductio? quid tantarum ditionum hereditas? quid pompa, & apparatus tantus? Momento iacent omnia. Incredibilis tum patriæ tum patris luctus, & deſiderium? Quod enim triſtiſſimum omnium eſſe ſolet, natura ordine turbato, ut ipſa legum vox hoc verbo ingemiſcit, ſenex pater ſpem omnem in juventute filiorum ſuorum ſepelivit. cùm ipſe contra multò longiorem quàm videre in miſera orbitate volebat, ſenectutem, etiam ultra veteris Maſaviſſe annos conſequeretur. Nam *& interea non modò frater ejus Ludovicus, qui prærogativa ætatis jus omne ditionis ceſſerat, diem ſuum ubierat; ſed & ejuſdem filius natu major Otto, antequam adoleſcentiæ metam ingreſſus eſſet, è florido corporis tabernaculo emigraverat! ô domus antiqua quorſum collaberis! quàm ad regulam veniſſe extremam videris? Itáne cum radice ſtirps generoſiſſima evelleris? Nõ verò ita! Supereſt unicus familiæ illuſtriſſimæ ſurculus. Quisnam ille? Defuncti, quem diximus, Ottonis natu minor frater, principis Ferrei ex Ludovico germano nepos Hermannus: Arminium verè alterum hujus orationis dixeris, qui quàm ad- admirabili divinæ opis præſidio, contrà tot inimicorum potentiſſimorum invidiam, tot contra validiſſimorum hoſtium millia, ad avitæ ſucceſſionis fortunam virtute incredibili eniſus fuerit, nec loci, neq; temporis hujus eſt oratione perſequi. Non tamen poſſum, quin te, non modò fortiſſimorum*

ar-

armorum, verùm etiam literarum, artiumq́; omnium optimarum prædicatiſſimum columen, ſempiterna animi laude, & gloria nunquam interituri nominis perpetuum macte eſſe jubeam: Tu enim invicte heros, vindex, & liberator patriæ: tu ſanguinis illuſtriſſimi auctor, & propagator: tu generis hujus conſervator extitiſti. Tametſi enim ut omnia rerum illuſtriorum principia, antequàm ad arduum perveniant, lentiore progreſſu eſſe conſueverunt, ita potentiſſime hujus poſteritatis ſpes in unica illa ſtirpe, non ſine difficultate maxima diutius ſuſpenſa hærere videretur, cùm prioris conjugii nullus omninò fructus ſeſe oſtenderet: poſterioris tamen matrimonii fortuna facem longè clariſſimam familiæ extuliſſe videbatur. Nati ſiquidem ex Noricâ *illuſtriſſimâ viragine Margreta tribus ordine latiſſimis nixibus, tres elegantiſſimi corporis ac indolis filioli, quorum natu maximus Fridericus, medius Hermannus, tertius Henricus, omnem majornm gloriam reparare exiſtimabantur. Sed ô nominis umbra! Nam quod de Marcello adoleſcente, qui in Auguſti Imperatoris familia effloruit, ceciniſſe Poëtam legimus, illud de trino iſto generoſiſſimi ſanguinis partu uſurpare veriſſimè poſſumus: Oſtendunt terris hos tantùm fata, necultra eſſe ſinunt. Vos ipſi animo veſtro vobiſcum, auditores, cogitate, quanta dolorum ac luctus acerbitas in illuſtriſſima Haſſia domo tum temporis fuerit verſata.*

Ad lineam ultimam rerum ſumma videbatur cunɫa perveniſſe: ſpectabant forâs omnia: cùm præter ſpem & exſpectationem omnium, in media rerum perturbatione, quarto matris nixu, felicioribus vitæ auſpiciis, in lucem editur filius Ludovicus, quem cognomento poſtea Mitem, propter placidiſſimam animi indolem, & bonitatem, appellarunt. Sed & ille, tametſi per omnem ætatem fortunatus fuerit, amplificatis maxima multarum arcium & civitatum, ditionumq́ acceſsione provinciæ finibus, tanta præterea auctoritate, ut Romani imperii diademate, quod ultrò Suffragioribus, remiſit, digniſsimus judicaretur: tamen eundem luctum ac mœrorem in præmatura liberorum morte effugere non potuit. Eſt enim eidem ex quatuor pulcherrimæ ſpei filiolis tertius Fridericus ereptus: ereptus ſimiliter in primo ætatis limine. Advertite verò auditores, advertite, quemadmodum cum ſucceſſoribus in eadem domo cum ſucceſſerit, idem mœror, viſumq́ fuerit tanquam vectigalia & reditus locatos in generis illuſtriſsimi incremento habere fatum, quos nunquam non a florentiore liberorum numero exegerit. Sunt in conſpectu veterum principum monumenta, & ſepulchra; in quibus plura hujus rei, de qua agimus, exempla oſtenduntur. Nec enim illa, quam in proximo jugo urbi imminentem conſpicitis pervetuſta ſedes, & arx principum, hujus acerbitatis olim infrequens, nec luctus, & doloris hujus paterni inſolens fuit. Nam

&

& Henrico principi, Ludovici, quem Mitem cognoviſtis, filio, è quatuor natis vix unus reſiduus, & ſuperſtes manſit, reliqui in ipſo adoleſcentiæ vere, tanquam in herba prima abrepti. Quid enim de Ludovico natu maximo dicam? Flos ipſe erat, tum pulcherrimum lanuginis adoleſcens, exoptatiſſimum pubertatis annum decimum octavum ingreſſus, qui primam gubernationis januam aperire adoleſcentiæ principum ſolet, ſubito mortis impetu obrueretur. Duo autem inferioris ætatis adoleſcentuli, Fridericus alter, alter Henricus nomine tantum ſpatii vivendo uterque non compleverunt: Nec quartus, qui Wilhelmus appellatus, etſi de mortuo parente ſucceſſerat, multo tempore ſupervixit. Ille enim, quod quam plurimis olim tum imperatoribus, tum regibus, tum principibus obſervatum eſt, malè & infeliciter eveniſſe, intervenandum acrius, equo lapſus, in mortis retia incidit. Tum verò ſpes omnis patriæ in duobus Wilhelmis principibus fratribus, Ludovico patre, qui ſuperioris Henrici principis germanus fuerat, natis collocata erat: at alter hæredem maſculũ nullum genuit: minor verò ferè in cunabulis & vita ingreſſu ex Jolanda regina Calabriæ, uxore ſuſceptum filiolum ſibi quoq; cognominem ſummo cum mœrore & luctu totius provinciæ amiſit. Tum verò eadem rurſus, quæ toties in illuſtri domo antea ſolitudo! eadem fati neceſſitas! orbitas ad eundẽ orbem rediiſſe videbatur. At tu interea maximam

generis illuſtriſsimi incrementum ex ſecundo patris matrimonio (ô verè ſecundum) Philippe bellicoſiſſime heros naſceris, cujus etſi divina rerum geſtarum præconia,cœlum attigerint, tamen mortalis ævi fugacitatem ſimiliter in liberorum tuorũ flore luxiſti, cum ex quinq; florentiſſimis natis,tibiq; quam ſimilimis, ſecundo loco genitus Philippus Ludovicus, non ſine maximo venuſtæ indolis & ſuavitatis deſiderio in faſciis ferè dulciſſimã animã efflarit. Quid verò illud fati eſſe cenſeamus, quod ab avita huc uſq; ſtirpe per filii & nepotis progeniem,quaſi idem præmaturæ mortis telum in loco ſecundum editum filium nunc tertio caſu fuerit contortum. Nam & tu beatiſſime patriæ pater Wilhelme, eundem quem victurioſus princeps Philippus,parens tuus, mœrorem in ſecundo geniti filii Chriſtiani immaturis exequiis pertuliſti. Et nunc eadem triſtiſſimæ vices in ſecundo geniti hujus longè chariſſimi adoleſcentuli,principis Mauritii acerbiſſimo caſu,tanquã aliquod naturæ debitũ,repetuntur,idq; præterea inquinario fratrũ numero,qui,quaſi fatalis ſit,eodem modo neq; Philippo avo,neq; ulli majorum ad longiores annos integer permanſiſſe annotatur. At tu illuſtriſſimi ſanguinis adoleſcens,nulli eorum omnium,quos ex majorum linea in endem ætatis flore tecum defletos recenſuimus,tum animi, tum corporis indole ſecundus fuiſti; diſciplina certè, & educatione,ve-

raq;

tq; pietatis ac doctrinæ inſtitutione omnibus ſuperior, eoq; deſideratior, eò luctuôſior tui amiſsio, quo ſimilior illuſtriſsimi principis Parentis omnium ætatum gloria majoris, eſſe videbaris. Quid autem veterum annorum tenebras cum tui avi luce conferemus? Quid ſuperiorem inſcitiam & ruditatem cum divinæ adoleſcentia tuæ captu, & intellectu comparabimus? quæ tu ab in cunabulis cũ lacte primo hauſeras, quæ inter nutriculæ ubera dediceras; quæ inter amplexus, & oſcula illuſtriſſimorum Parentum videras, quæ audieras, quæ cognoveras, illa etiam priſci temporis canitiem fugiebant; pueritiæ tuæ rudimenta, adultiorum, ſenumq; documenta quondam fuiſſent. Vos mihi ipſi, clariſsimi viri collegæ, fidem eorum, quæ dico, teſtimonio graviſsimo veſtro confirmabitis. Quæ enim ſæpenumerò veſtra admiratio fuit, cùm generoſiſsimum puerum, tanquam Xenophontæum Cyrum alterum, ea ex vobis de graviſsimis rerum nomentis ſciſcitati, ea intercænandum quærere, ea reſpondere vobis audiretis, quæ non niſi maturioris conſilii, & exercitatæ prudentiæ eſſe videbantur. Recordamini mecum ejus menſæ, quam illuſtriſsimus princeps, Pater, in aulâ duobus dilectiſsimis filiis, Mauritio & Wilhelmo, cum ſtudiorum gratia apud nos trienniũ ferè commorarentur, haud alia ratione, & apparatu, diſcubituq; quam olim imperator Antoninus, quem à ſummo philoſophiæ ſtudio Philoſophum, & φιλοσοφώτατον

Juſtinianus, in authēticis appellavit, ſuis liberis ad ſpem imperii educatis, inſtituerat, ut doctrina clariſsimi undequaq; accidi viri, cum iis aſſiduè victum caperent. Muſarumq; ſcitamentis cibum eorum quàm ſuaviſſimè condirent. Erat itaq; cœna illorum inſtar domeſticæ Academiæ, cum abſq; doctoribus & Profeſſoribus, qui de diſciplinis ex ſtudiis quibusq; diſſertabant, nunquam accubare conſpicerentur. Erat præterea inſtar multorum optimorum magiſtrorum, vitæ & morum præfectus tanquam Leonidas ille Alexandri, aut Achillis Phœnix, nobiliſſimus vir Georgius Schvverzelius, cujus omnia dicta & facta quaſi viva quædam ſchola & inſtitutio heroica eſſe videbantur. Memini equidem multoties mihi in illuſtri illo diſcubitu evenire, quod Politianus ſcribit ad Picum Mirandulam Comitem, id ætatis omnium doctrinarum Phœnicem, ſibi contigiſſe cùm ad epulas Pauli Urſini Italiæ principis eſſet invitatus, ejusq; filium undecim natum annos, Fabium nomine, ingenioſiſsimè, & perquàm facundè de variis doctrinis & quæſtionibus reſpondentem audiſſet. Quid verò illud? Suaviſſima quadam voce, inquit ille, ſic in aures noſtras, imò verò in præcordia pueri illapſus ingenui ſermo eſt, ut me quidem penè extra me rapuerit, certè ſenſu tacito divinæ prorſus cujusdam voluptatis affecerit. Et tibi, ampliſſime Procancellarie Vultei, in hoc ſuggeſto prægaudio lacrymæ viſæ ſunt fluxiſſe, cum illuſtriſſima indoles,

eo tem-

eo tempore, cùm tu illius vices in Academiæ Rectoratu ſuſciperes, tantâ elegantiâ, & puritate Latini ſermonis orationi tuæ breviter, & concinnè reſponderet, ut omnium in gratioſiſſimâ loquentis adoleſcentuli ſuavitate, oculi & ora defixa hærerent. In quo quidem ardentioris animi tui affectu, Philippi regis Macedoniæ recordabar, qui ſimiliter, cùm in puero ſuo Alexandro præmaturam animi regii magnitudinem perſpiceret, illumq́; ea tum facere, tùm dicere animadverteret, quæ vix ulterioris ævi quiſquam ingenio aſſequi poſſet, incredibiles animi paterni motus, ac lætitiam ſuã in lacrymas, & fletum effudiſſe prædicatur. Quàm verò jucundum nobis foret, ſi ex te ipſo, Juris antecesſor cõſultiſsime, cognoſceremus, quæ in illo munere, quod tanquam rudimentum majoris, ad quod natus erat generoſiſſimus adoleſcens, imperii, ger quàm alacri atq; læto animo ſuſceperat, tecum quàm ſæpiſſimè collocutus fuerit, quæ, ut ipſe etiam nonnulla audivi, de diſciplina, de moribus, de ſtudiis, de diligentia, de tota deniq; ſcholaſticæ rei gubernatione ingenioſè percontatus fuerit, quæq; ipſe acutè viciſſim reſponderit. Nemo verò noſtrûm omnium plura nobis exactiùs referret quàm tu, magnifice Domine Rector, Reverende & clariſſime Theologiæ Doctor Georgi Schonfelde; ex te univerſam hujus noſtri Cyri pædiam cognoſcere queamus: tu etenim dilectiſſimum caput ſalutaribus Chriſtiani baptiſmi undis primum imbuiſti: tu

 prima

prima cæleſtis doctrinæ alimenta puerili animo inſervîſti: tu primo veræ pietatis cultu mentẽ informaſti: prima fundamenta fidei & religionis docuiſti: in omnibus articulis fideliſsimè inſtituiſti, inſtitutum Eccleſiæ primùm exhibuiſti: exhibitum ſacua manuum impoſitione, & Spiritus ſancti ſignaculo confirmaſti, confirmatum ad Sacramentum Chriſtianæ communicationis deduxiſti: lectione, & interpretatione ſacræ ſcripturæ aſsiduum exercuiſti: totius deniq; interioris vitæ inſtitutionem, quàm optimè gubernâſti. Tu nobis generoſiſsimi ingenii in divinâ pietate admirabiles progreſſus: in orationibus & precibus ardorem & diligentiam: in ſtudio religionis amorem & intellectum: in fide fructus: erga Dei præcepta obſervantiam, & timorem: erga illuſtriſsimos Parentes obſequium: erga præceptores obedientiam; omnes deniq; Chriſtianæ educationis virtutes, quæ tanquam cæleſtes Pleiades in illuſtri anima ſcintillabant, longiſsimo ordine, cunctorum ad admirationem commemorare poſſes. Sed quid ulterius animũ tuum tanquam novis ſtimulis commoviam, cùm te nondum ab illis doloribus & lacrymis, quas ipſe in triſtiſsimo funere præſens profudiſti, reſpiraſſe videamus? Quo enim te dicemus ore potuiſſe præmœſtitia in exequiali concione verba facere? cùm, quẽ paulò antè inſtar pulcherrimæ roſæ floreſcere, & animo, & corpore conſpexeras, quem tecum & cum aliis doctrina clariſsimis viris hilarè cœnantem

facundèe

facundos ſermones de rebus plurimis habere audiebas, cùm tam brevi interjectu temporis luctuoſiſſima pompa efferri, tellureq́ obrui, & in avitos cineres, ac monumenta condi videres? An verò non credam in hæc verba dolorem tuum erupiſſe? ô nihili hominum avum! ô curas noſtras! ô excubias! ô vigilias omnes inanes! una hora tot optimorum ſtudiorum dies, tot noctes, tot diligentiſſimæ educationis tempora perimit? Quò ſpes illa, quam ſæpius eccleſia, quam reip. quam Academia quam univerſa patria de te pollicebat: Quò dignitates, & honores, quos tibi ſæpiſsimè aſsidens de literarum cultura longè celſiſsimos, promittebam? quo ingenium tot laboribus excultum? quo induſtria tot examinibus explorata? quo oculi illi, quò ſenſus, quò acies illa quæ tam defixa in ſtudiis erant? quo aures illæ, quæ tam cupidæ omnis honeſtæ diſciplinæ. quæ tam ſtudioſe divini verbi? quò memoria quò animus ille, quæ tam fervans optimarum præceptionum? Sed plura tua non dicam: vereor enim, ne tecum ipſi lacrymis impediti, ea quæ mater Academia nobis dictura eſt, parùm attentè advertamus. Quid autem illa?

Si qui unquam memoriam (inquit, ſui partus delere mater poterit, ſi ventris ipſa ſui oblivione capere: tu ſumma tamen voluptas, & delitiæ olim meæ, nunc cœli gaudium, nunquam ab animo meo diſcedes. Tu enim primus ex illuſtriſsimo principum ſanguine purpuram, & ſce-

& ſceptra mea geſtaſti; nec ſcholaſticum gubernaculum repudiaſti: tu cœtus, & ſubſellia mea ornaſti: honore & obſervantia patres & doctores meos affeciſti: doctrinas, & præcepta eorum diligenter conſervaſti; publicos actus meos illuſtraſti: literas & virtutes meas unicè amaſti! ô tempora, tanquã tempe, mea multò jucundiſsima cum clementiſsimum meum principem & Dominum Mauritium, in Mauritio filio, tanquam in divino naturæ ſpeculo, quotidie intuerer: cum alacres illos oculos; faciem illam liberalem: vultum ingenuum: ſtatũ illum elegantem: decorum illum habitum: cumas illas aureolas; lætam deniq; corporis illam pulchritudinem contemplarer, cùm præ lætitia multoties exclamarem!

Sic ille manus, ſic oculos, ſic ora ferebat.

Quorſum verò iſta oblectatio mea, quorſum lux, & vita mea receſſiſti? At ego te hujus ætatis tertium fore ſperavi, qui in univerſo terrarum orbe celebratiſſimum Mauritii nomen, continuatio gloriæ feliciſſimo curſu, propagaret. Ego te non alium è ſinu meo, ad temp. remittere cogitabam, quã olim juvenis ille regius è Nymphæo, & ſchola philoſophi mei ad maximam imperii gubernationem progreſſus erat. Videbam equidem eandem inſtitutionem, & diſciplinam, niſi quod illa profana, hæc divina, & Chriſtiana erat: videbam eandem indolis heroicæ præſtantiam, ſtudium, & alacritatem [illegible] videbam. Quorſum verò iſta omnia à nobis

inſta

inſtar nivis diffluxerunt? Quid autem? ſi ætatulæ tenerioris fratres tui apud me quærant te, ſi interrogent, ubi jam ſis, ubi commoreris, quò à nobis diſceſſeris? Quid reſpondeam? Dicam te ad cognatos, & neceſſarios, ad reges & principes præpotentes profectum? Dicam ad regem adoleſcentem in Galliam*, quò paulo poſt ire cupiebas? dicam ad regiam juventutem in Angliam, quò jam antè illuſtriſſimum fratrem principem Ottonem comitati mirificè ardebas; dicam ad patruelem juvenem florentiſſimum, exſpectatione ſumma Electorem* Palatinum*: dicam in fraternam Saxoniæ domum, quæ jam principum conſanguineorum elegantiſſima juventute ornatiſſima videtur: dicam ulteriùs in Marchiam agnatam, aut quò te dicam aliorſum à nobis emigraſſe? Dicam videlicet id, quod res eſt: dicam, ad reges, & ad principes, ad majores ſuos, frater Mauritius veſter, exceſſit: ad proavum Heroëm Philippum abiit: ad avum Wilhelmum ſe recepit: ad Chriſtianam proaviam: ad Sabinam aviam: & ô ſempiterni amoris ſuavitatem! ad deſideratiſſimum matris principis Agnetis Deæ Solmicæ ſinum, & amplexum, ad latiſſimam angelorum ſocietatem & perpetuæ gloriæ regnum contentiſſimo gradu properavit. Huc illum cultæ pietatis vehiculum: huc fidei flagrantiſſimæ ala: huc ſpes, & fiducia certiſſima: huc filii Dei merita, in quibus altiſſimus cœli turris, illum extulerunt. Salve ſuaviſſime paradiſi floſcule, æter-*

ternumq́; vale, inter cœleſtes amaranthos, æternasq́; roſas, & lilia pulcherrimum delitium vale. Hæc illa! ô omni nectare & melle dulciora ſolatia! Nam ſi hæc ita ſunt, ut certiſſima ſunt, ſi quam nos mortem dicimus, porta vitæ, & portus tranquillitatis eſt: ſi diſceſſus, ſeceſſus ad Deum, ſi obitus, abitus ad immortalitatem, ſi amiſſio, præmiſſio in veram patriam eſt: quid fruſtra lugemus? quid plangimus? quid tanquam in ſtadio nobiſcũ currentibus invidemus, ſi qui citiùs ad præfixam metam celeritate ſua contenderint. Sunt profectò ea hodiernæ ætatis tempora, ii mores, ut præclariſſimè cum iis actum eſſe videatur, qui quam velociſſimè ex mortali vitâ, tanquam ex contagioſo, & peſtilente diverſorio fuerint divino nutu & voluntate revocari. Quòd etiam priſcis ſeculis, quæ tamen aurea præ noſtra rubigine fuiſſe prædicantur, ne qui(dem) gentilia oracula non conſultiſſimum juventuti eſſe judicarunt. Quid verò eſt, quod hac tempeſtate, in tanto rerum omnium præcipitio, quemquam etiam altioris loci ad diutius vivendum magnoperè invitare poſſet? quæ res? quæ ſpes? quod fortunæ ſolatium? quod certè cùm in ſummis imperii dignitatibus, in honoribus & fortunis, quæ in hoc ævo maximæ eſſe poſſunt, verſaretur, ſereniſſimus princeps Chriſtianus, Elector, & Dux Saxoniæ eo nomine primus, qui noſtra ſuperioris ſeculi memoria in optimo vitæ ſtatu, itidẽ ſatis immaturè deceſſit, lõgè prudentiſſimo,

atq; adeò divino animo vidiſſe, & anoviſſe videtur. Quomodo illud verò? Memoratur ille, quemadmodum in elogio funebri ejus ſcriptum eſt, multis ante diebus quàm cum morbo iſto, cujus poſtea vi ſuperatus exſpiravit, conflictari cœpiſſet, crebro ſermone ad eos, qui à latere ipſius erant, uſurpaſſe hæc verba, cùm diceret, ſe non obſcure animadvertere, ſibi brevi eſſe diſcedendum: tantum autem abeſſe, ut mortis metu percellatur, ut etiam Deo evocanti ſeſe gratias maximas ſit acturus, & quidem eo majores, quò maturius à prava hujus vitæ conſortio liberetur: ô vocem Chriſtiano, verè Chriſtiano principe digniſsimã! Quam cùm audimus, cùm legimus, quem veterum Philoſophorum, qui te contemnenda morte ſcripſerunt, non contemnimus, Quo quidem divini animi robore adverſus omnem hujus ævi pompam & inanem potentiam ejuſdem avus maternus Chriſtianus, nunquam ſatis laudandus Daniæ rex, fuiſſe ſimiliter celebratur. Nam cùm illi in lectulo decumbenti precioſiſſima monilia cum gemmis & unionibus rariſsimis, proponerentur, appage, inquit, appage iſtud lutum: præ cœlo, ad quod proficiſci cogito, cœnum omnia ſunt, quæ in regnis, & imperiis terrarum omnibus ſplendidiſsima habentur.

Quid verò ad hæc? an non putabimus, ſi ex tot, & tantis potentiſsimi noſtri principis ditionibus, ſi ex tãtis fortunis ac facultatibus pulcherrima quæque depromantur, ſi præterea, quibus

rebus adoleſcentia aulica inprimis capi, ducique ſolet. ſpecioſiſſimos equos Neapolitanos, ſi auro, & margaritis expolitas phaleras, ſi Britannicos canes, Antarcticas aviculas, ſi pſittacos, ſi omnes denique, quæ fingi, & excogitari poſſunt, delitias, & oblectationes, ſi poſtremo omnes Crœſeos theſauros in medium proferamus, rerumque iſtarum omnium allectamento beatiſsimam animam adoleſcentis Heroici permovere, eumque in uſuram hujus lucis revocare ſtudeamus: Quid? an non putabimus in eandem ſententiam illum nobis reſponſurum? quid mihi vana mundi crepundia? quid floccos, & quiſquilias? Sinite in eo me regno commorari, quod parvulorum proprium eſſe Servator noſter ipſe confirmavit. Hic etenim noſtra vera bona: hic opes & fortunæ æternæ: hic Imperium, & principatus noſter: hic gaudium, hic voluptas noſtra perpetua.

Quid plura, auditores, poſtulamus? Quin ſancti regis vocem, inter divini Spiritus oracula, audimus? quid verò ille? Puer, inquit, nunquam ad nos, ſed nos ad illum iter noſtrum inſtruamus. Quocirca finem dicendi faciam, ubi prius, quod vos jam dudum deſiderare intelligo, per beatum finem ac exoptatam & tranquillam hujus noſtræ dilectiſſimæ animulæ ex hâc vita profectionem paucis expoſuero. Ex quo quidem clariſsimè perſpiciemus veriſſimum eſſe, quod Dei filius, cùm inter mortales degeret, juramento nobis confirmavit, forte, ut

mortis

mortis ſenſum nullum unquam percipiant, quotquot fructuoſiſſimæ ipſius carnis & ſanguinis ſeſe participes fecerint. Non autem ſine cauſa antea admirati ſumus, tam inſigni pulchritudine, & ut videbatur, optima valetudine, corporisq́ conſtitutione adoleſcentulum, tam repentè & ſubitò in morbum, & ex eo in mortem incidiſſe. Verùm ita fieri non rarò in eo morbi genere ſolet, quod complures ſæpè annos ſine ullo ſui indicio in viſceribus, fibrisq́ interioribus occultè hæret, quemadmodum medicorum omnium magiſtri, Hippocrates, & Galenus, memoriæ prodiderunt. Quemadmodum autem ab interdicto veteris illius pomi eſu, pravaq́ fatalis mali concoctione lethalia omnia mala provenerunt: Ita & illud mortiferi ulceris genus, quod Telephèum appellaſſe veteres videntur, etiam in optima natura & ſanguinis corporibus ut plurimùm deprehenditur. Quiq verò illud? vomica, vulgô apoſtema, & abſceſſus in ſchola medicorum appellatur, quæ nunc intimas jecoris partes, nunc pulmonis, nunc alia viſcera cum maximo vitæ periculo obſeſſa tenet. Quo quidem ulcere antiquitas prodidit Jaſonem Theſſalum veteris Græciæ principem laboraſſe, cùm deſertus ab animi domeſtico remedio, & propterea forâs in prælium profectus, lanceaq́ hoſtili perfoſſus, fortuitam ſalutem, vomica aperta, ab eo qui mortem inferre cogitaverat, memorabili caſu reſceperit. Verùm generoſiſſimi noſtri adoleſcentis

morbus eò conjunctior cum mortis diſcrimine fuiſſe videtur, quò malum iſtud abſtruſius, & intra venas meſaraicas, quas vocant, altiùs ſeſe abdiderat: Nam neque tactui id genus, ut alia, quemadmodum Foreſtus Medicus inſignis de re iſta loquitur, ſubjacet, tum minoris gravitatis, & minoris febris eſt, eò autem difficilius ſanatu, quò medicamentorum via ad eum locum impeditior. Nihil ergò hîc Achille herba: nihil Machaonis ac Podalirii artes profuiſtis. Antequàm enim ferè animadverſum lethale ulcus fuit, hoſtis inteſtinus ex diuturnis inſidiis vitæ arcem viſus fuit expugnaſſe. Jā enim Heroici animi adoleſcens, quanquam non nihil doloris, & punctionis, tāquam leves quoſdam inſultus, per aliquot dies ſenſerat, tamen pectoris generoſi firmitudinem corporis infirmitati opponere conatus, in vires ipſe ſe ſuas erigit, jam lectulum ultrò deſerit, jam ſoleas, & veſtimenta poſcit, jam ad iter, & comitatum illuſtriſſimi principis parentis, ſeſe accingit. Quid verò accidit? Inter iſtas corporis motiunculas rupto ex improviſo abſceſſu, tanquam decumanus quidam fluctus vi ſubita inveteratum malum ex gutture effuſum erumpit. Atqui ille ſe tum demum doloris laxamentum manifeſtum in præcordiis ſentire, morbiq; ex eo omnis fugam ſperare prædicabat, cùm in lectulum ad quietem repoſitus, quàm primùm certiſſima ſupremæ neceſſitatis ſigna aſtantibus exhibere. Nondum autem illuſtriſſimi parentes, nondum generoſiſſimi fra-

tres

tres, & ſorores, etſi in eadem domo verſarentur, de ullius morbi vehementia certiores facti erant: tum deniq; primum periculum nunciabatur. Accurrunt, ſuccurrunt, in repentina perturbatione omnes: ſuprema imminere vident: mœrore, & lachrymari inopinatum caſum tota aula: illuſtriſſimus verò princeps, ſuppreſſa celſiſſimo animo tanta vi dolorum, cũ Dei miniſtris, qui acciti aderant, omniq; corona aſtantium, præſentiſſimam medicinam in ſanctiſſimis ad Deum precibus reſiduam eſſe maximè confiſus, & ingenua ſupplex prolapſus, omnipotentem vitæ humanæ arbitrum ardentiſſima oratione, regis Davidis exemplo, rogat, & obteſtatur: Si inquit, æterne pater, hæc tua divina voluntas eſt, ut quem ego mortalem munere tuo in hanc vitam accepi, filius dilectiſſimus hic meus Mauritius diutius ſoſpes, & incolumis hanc ætatem nobiſcum exigat, idq; tum Eccleſiæ, tum reip. ejuſq; inprimis ſaluti & conſervationi æternæ profuerit, exiguum hunc ſcintillantem lychnum miſericordiæ tuæ oleo diutius alas, foveas, tuearis: ſi verò ex mortali immortalem reddere, & in cœleſte regnum avocare eum malis; jus tuum, & poteſtas eſt paterna manu repetendi, quem mihi gratuitò dederas, quemq; in noviſſimo expectatiſſimæ reſurrectionis die certiſſima fide reſtitues. Nomen ſit tuum, Domine, in omnibus operibus tuum benedictum. Nondum ſatis finita erat, cùm finem oratio exaudita ſuum con-

ſequeretur. Ecce enim inter verba iſta, ſine ulla doloris ſignificatione, ſine ullo gemitu, aut ſuſpirio, ſine ulla totius corporis commotione, nedum convulſione, beatiſſima dilectiſſimi adoleſcentis anima ad Deum creatorem ſuum in ſedem aetheream, ex qua venerat, ſomno placidiſſimo lumina occupante, pie, & tranquille emigravit. Ad illud autem in ſempiternum patriam exoptatiſſimum iter propeijem faciendum, jam diu omnes illius heroici animi cogitationes, omnes curas, & ſenſus praeparatos fuiſſe, argumento nobis & indicio certiſſimo eſſe poteſt illud, quod ſuperiore anno, datis ad me literis die vigeſimo primo Decembris, nobiliſſimum juris. conſultum Eberhartum de Weibe, Cancellarium Schaumburgenſem ſcribere memini. Quid vero illud? Cum paulo ante ejuſdem menſis Kalendis ad principalis puerperii ſolennitatē Caſſellas ablegatus eſſet, auctorem ſibi principē Mauritium Juniorem fuiſſe ſcribit ut meditationē de vita aeterna ſuſciperet, eamq́ literis publicis mandaret, idq́ ſe, quamprimum domum reveniſſet, in ejus gratiam feciſſe. Quodnam, quaeſo, certius vitae aeternae praeſagium? Quod flagrantius beatitudinis deſiderium eſſe potuit? Cujus quidem incredibilem gloriam, & ſuavitatem, quatenus ea deſcribi, & adumprari literarum monumentis poſſit, etiam in hac caligine cognoſcere, atq́ videre beatiſſima anima concupivit. Quam quidem ego poſtremum Magni illius Imperatoris carmi-

ne, è

e, è cujus regio ſanguine, & antiquiſſima origine familia hæc illuſtriſſima principum Haſſiæ proficiſcitur, tanquam ſuprema voce affabor.

Tu patriam repetis, triſtis nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.

ccciderunt hæc menſis hujus Auguſti proximè elapſo die undecimo, qui nunc intra unum & triginta annos tertium luctum huic illuſtriſſimæ domui, mœroremq́; triſtiſſimi fati excitavit. Eodem enim Auguſto illuſtriſſima princeps Haſſiæ, Heroina nctæ pietatis, & virtutis divinæ imago, deſideratiſſima mater patriæ avia generoſiſſimi hujus adoleſcentuli: anno ſuperioris ſeculi octogeſimo primo terris ad cœleſtes nurus exceſſit. Quam ſuam dilectiſſimam Auguſtam & conjugem illuſtriſſimus incep's VVilhelmus, æternum bonitatis & ſapientiæ exemplum, avus hujus noſtri defuncti, undeannis poſt, eodem menſe. Quintilis ſecutus, eum credibili tam exterorum, quàm ſuorum populorum deſiderio; mortalitatem exuit. At tu auguſſime omnium imperiorum Domine, vera luxi & ta noſtra, Deus, exue nos hoc, & omni deinceps io luctu, ac mœrore: nubes omnes à domo noſtra, erenitate vultus tui abige: mortes, & funera pa ia acerba cohibe: annos & menſes noſtros omnes rè auguſtos, & ſecundiſſimos effice: domum hanc guſtam Haſsiæ per omnes ætates florentem vatemq́; illuſtriſsimi generis incremento, optimaq́; erorum indole ad continuam ſucceſsionis felici-

 tatem

tatem tuere: inprimis verò, & ante omnia, omnium noſtrum maximum columen, & præſidium hujus temporis, illuſtriſſimum principem, Dominum noſtrum clementiſſimum Mauritium, murum reipub. noſtræ firmiſsimum, cum omnibus dilectiſsimis ſuis corculis, cum illuſtriſsima conjuge, cum liberis, totaq; familia, omnibus divinæ benedictionis muneribus copioſè affluentem, quàm diutiſsimè nobis conſerva: ſtatum Eccleſiæ, & Academiæ noſtræ ſub fortiſsimo patriæ Patris clypeo muni: cœtus, & ſocietates reip. firma: inimicitias, & bella omnia diſsipa: peſtilentiam, febres, morbosq;, & calamitates, omnia deniq; detrimenta, & incommoda tũ publica, tum privata, à foro & foribus noſtris, totaq; regione quam longiſsimè arce: poſtremò nos omnes in amore & timore tui, in vera pietate, in fide, in concordia, in dilectione, in obſequio, in pace, & tranquillitate, ſtudio, in diligentia, in obedientia, in officio, & munere deniq; ſuo quemq;, paterna clementia rege, defende, cuſtodi,

Fiat, omnipotens pater, fiat.

ORATIO

ORATIO II,
habita
XVI. Octob. 1609.

De fatalibus Academiarum diſſipationibus & ruinis.

QUOD adverſa maris tempeſtate nautis evenire atq; accidere ſolet, ut ſi ventorum injuriis multum diuq; jactati, tandemq; non fluctibus obruti in aliquem fortuitò oblatum portum pervenerint, priusquam inde progreſsi ulteriùs navigationis curſum incitent, funemq; ora ſolvant, navim conquaſſatam reficere, ſciſſa vela reſarcire, ſentinam exhaurire fractum clavum, remoſq; inſtaurare, malum inciſum reparare neceſſe habeant. Idem nobis, in Academia noſtra functionis curriculo, tanquam in procelloſa aliqua velificatione contingere video his temporibus, quæ veluta repentino quodam turbine noſtram hanc navim, Academiam, ingruente ſuperioribus duobus menſibus lethalis morbi periculo, qui etiam nonnullos pulcherrimæ indolis, ac ſummæ exſpectationis floſculos, non ſine acerbo dolore hauſit, nobisq; abripuit, non mediocriter diſsiparunt.

neris atq; officii mei fore cenſui, præſertim cùm Philoſophici navigii nauclerus, & facultatis Decanus hoc tempore conſtitutus ſim, ut poſtquam ſingulari ſummi gubernatoris clementia, lues illa, quæ more vehementiſſimæ alicujus procellæ celerrimè excitata, celerrimè iterum reſedit, atque, ut certò ſperamus, penitùs nunc refrixit, antequam ad penſum publici ſtudii reverterer, ſublata rurſum, tanquam è portu lampade, præmiſsaq; aliqua oratione, de rebus iis dicerem atq; præmonerem, quæ tùm ad diſſipatam naviculam recolligendum, curſumq; ſtudiorum feliciùs pertexendum, tum ad univerſã, omnium Univerſitatum, Academiarum, Gymnaſiorum, ſcholarumq; uberrimum fructum ac ſalutem maximè pertinere viderentur. Dicam etenim de fatalibus florentiſſimarum olim Academiarum diſſipationibus, dicam de earundem ruinis & everſionibus, dicam de ejuſdem rei cauſis, mentemq; totius orationis eò convertam, ut oculis & animis in præſentia tempora defixis, eam quæ præ foribus noſtris, & ante limina videtur eſſe literarum ac artium omnium, diſciplinarumq; optimarum ruina ac interitus, diligentiùs animadvertamus, iramq; Dei ardentiſſimam adverſus Academias, Gymnaſia ſcholasq; agnoſcamus, cauſas inſtantis præcipitii intelligamus, vitamq; ac mores noſtros, medicina cognita, ita inſtruamus, ut maturè caſui tanto ſuccurrere, damni infecti coram æquo judice agere, ruinam fulcire ac maximo impetu irruentem turbinem

binem à cervicibus noſtris profligare, quantumq́; opis humana eſt, interitum quam longiſsimè amoliri poſsimus. Juvate quæſo, viri Clariſs. ſuſceptam tam gravis negotii cauſam æquitate judicii veſtri, favoreq́; ac benevolentia curſum hujus noſtræ orationis ſublevate. Vos verò, Illuſtres ac Generoſi, atque Nobiliſs. & lectiſs. juvenes Studioſi, meum hoc ſalutis veſtræ quærendæ conſervandæq; flagrandiſſimum ſtudium animo cupidiſsimo complectimini. Veſtra enim, quæ omnium maxima queunt eſſe ornamenta, veſtra vita omnis præſidia, veſtræ ſpes & opes, fortunæq́; omnes in periculum commune hic vocantur. Quid ita verò, quæritis? Num Hannibal ante portas? Imò longè pejor hoſtis, quàm ullius truculentiſsimi Martis iniquitas eſſe poſsit. Eò *enim recidere temporum aleam videmus, ut metus maximus ſit, ne hominum vitam, uti in Metamorphoſi Ovidiana pictum & fictum intuemur, in belluas, in truncos, in lapides, in frutices, monſtroſa ævi hujus infelicitas transformet. Quid enim deſtituta literis ac artibus, deſertaq́; à bonis omnibus moribus & diſciplina, mortalium vita aliud, quam pecudum, &, ut ſapientiſsimus veterum Regum Alphonſus dixit, immane aliquod ferarum luſtrum, Centaurorumq́; ſtabulum? Quod in caligine gentilis ſuperſtitionis, qui à veri Dei cognitione longiſsimè aberrarunt, etiam naturæ lumine veteres, tum Græci, tum Romani perviderunt. Quid enim illi? Ante Promethei divinitùs acceptam fa-*

cem, nihil niſi hominum facem in omnibus ferè nationibus & gentibus fuiſſe, neq; verè homines, ſed pecudes ac beſtias nuncupant, qui ritu ferarum, ſine legibus, ſine moribus, ſine ſtudiis ac literis vagabundi in ſylvis ac nemoribus vitam ſuam exegerint. Nihil iidem præclarius, nihil illuſtrius, nihil divinius bonis illis æternis animi, mortalium generi datum, ac nihil tributum eſſe rectiſſimè judicarunt. Nec verò quenquam hujus ævi fore exiſtimo, qui non maximè barbaros, & ab omni humanitate alienos eos populos cenſeat, qui literas & artes bonas aſpernentur, ab inſtitutione & diſciplina omni refugiant, Gymnaſia & Academias averſentur, animiq; culturam omnem execrentur. Et quis eſt, qui cùm Tartarum aliquem, cùm Turcam, cùm Ruſſum & Moſchum audiat, non illicò cum ipſo nomine barbariæ imaginem abhorreat, quòd nihil ingenuum, nihil liberale, nihil quod verum hominem commendare poſſit, in ea gente exploratum habeatur, ſine inſtitutione, ſine literis & ſtudiis, ſine ſcholis & diſciplina, in ſolius corporis immanitatem adolevit. Quæ verò pœna gravior nationibus & gentibus divinitùs infligi, quod ſupplicium atrociùs inferri, quæ peſtis, quod exitium, quæ calamitas major immitti, quàm ſi divina illa rationis ac animi lux mortalium menti detrahatur? At illud tum maximè accidit cùm Gymnaſia & Scholæ diſſipantur, fontes bonarum artium extirpantur, morum & diſciplinæ

nervi

nervi debilitantur, Reip. & Eccleſiæ ſeminaria bello, fame, peſte, igne, aliiſq; calamitatibus vaſtatur. Nec enim illæ ſine his præſidiis ſtare, nedum florere ullo modo poſſunt. Quod non ignoravit ille callidiſſimus Imperatorum apoſtata, qui cùm inſenſiſſimo animo adverſus Chriſtianorum cœtus eſſet, non exiſtimavit conpendioſorem viam, ad eorum vires non modò infringendas, ſed ſtirpitùs eoſdem delendos, atq; è finibus naturæ exterminandos haberi, quàm ſi ſcholarum limina obſtruerentur, literarum & artium commercia tollerentur, Gymnaſia & Academiæ verterentur. Eandem autem pœnam ſummum illum omnium gentium dictatorem adverſus ingratas gentes ac populos omnibus huçuſq; a ſeculis exercuiſſe, celeberrimarum, quæ in præcipuis orbis nationibus fuerunt, Univerſitatum, Academiarum & Gymnaſiorum exemplis oſtendam.

Unde verò exordiar? ab ea, quæ primum Academiæ nomen, per tot ætatum ſecula omnibus illuſtrioribus Scholis reliquit, à qua, quicunque his parietibus cõtinemur, honorificentiſſimũ nomẽ uſurpamus, Academici Doctores, & Studioſi appellemur. Quæ verò illa? Antiquiſſima literarũ mater, Academia Attica, quã divinus ille, ut à veteribus nominatur, Plato, ſuæ domi prius inſtituit. Ille enim ex Ægypto, ubi à Patribus, qui à Deo inſtituti & edocti erant, accepta optimæ artis & diſciplinæ in ſacerdo-

ſerdotum collegiis florebant, in patriam reverſus, propè ab urbe, tribus drachmarum millibus empto Academi cujuſdam divitis coloni prædio, domicilium Muſarum extruxit, in quo ipſe divinas animi ſui dotes, uberrimo fonte ſapientiæ patefacto, juventuti primus explicavit. Incredibile Dei optimi, erga Græcorum gentes beneficium! Quis enim non quaſi è cælo hunc hominem datum & oblatum, quis non divinitùs ad hoc negotium excitatum eſſe dixerit, ut iis myſteriis, quæ veræ humanitatis initia, quæq; principia optimæ vitæ continerent, non modò Atticam, ſed univerſas omnium gentium regiones, erudiret, atque ejus ſapientiæ vi, quam humani ingenii comprehendere ſagacitas maximam poſſit, tanquam ſole aliquo illuſtraret? Quis enim hanc animis hominum infuſam lucem æthereo illo ſidere, ex quo vitæ omnis calorem ducimus, minorem cenſeat? aquæ omnis vivendi lætitia, omnis humanitatis cultus, vitæq; ſplendor, omnis legum ac morum honeſtas, omne rationis ac ingenii melioris lumen in cunctas nationes emanavit. Quapropter admiratione tantæ rei factum, ut Athenæ Platonis ingenia primùm illuſtratæ, univerſæ Græciæ ἔρεισμα: Athenæ ἑλλὰς ἑλλάδος: Athenæ mundi oculus: Athenæ ipſius univerſitatis univerſitas: Athenæ unicum omnis ſapientiæ domicilium: Athenæ ſummum inter plurima naturæ miraculum, ab exteris populis appellarentur. Tanta præterea urbis auctoritas, tanta exiſtimatio & reverentia

toto terrarum orbe ex nomine & celebritate Academiæ oborta, ut, ſi Straboni fidem adhibemus, rubori maximo etiam Romanis & opprobrio haberetur, Athenas non vidiſſe. Agnoſcite mecum cupidiſsimi bonarum artium juvenes, incredibilem illam primæ omnium ſcholarum matris Atticæ Academiæ majeſtatem, perpendite quantum ex unius Philoſophi domicilio ſplendoris, quantum lucis, non modò in omnem Græciam, ſed in univerſum terrarum orbem redundaverit. Ex eo enim omnium poſtea ſcholarum fundamenta petita, ex eo Peripatus, ex eò Stoa, per ſucceſſorum æmulationem nata: ex eo in omnem in Græciam, inſulasq; etiam remotiores, quàm plurimæ artium & ſtudiorũ coloniæ deductæ. Ex Græcia verò etiam in Romanorum urbem ac Imperium, mare tranſgreſſæ, literæ pervenerunt; Inde Alpes transvolarunt, in Galliam emigrarunt: in Hiſpanias & in Scotiam navigarunt. Quorſum præterea? ô mirabilem doni divini peregrinationem! annis abhinc propè ſeptingentis, primùm in Germaniam noſtram, in qua, ut Cornelius teſtatur, ab antiquis ætatum temporibus, viri pariter ac mulieres literarum arcana ignorabant, feliciſsimis auſpiciis introierunt, totumq; deinde Septentrionem ad Balthen, & extremam uſque Thulen, ultraq; Boryſthonis glaciem omnes ferè Arcticas oras accenderunt. Hæc Platonicæ inſtitutionis incrementa, hi artium & ſtudiorum progreſſus, hæc literarum curricula, hæc feliciſsima ſcientiarum propagatio

gatio fuit: Sed quàm brevis tantorum bonorum, fructuumq́ in plerisq́ nationibus ac gentibus, in regionibus ac civitatibus perfruitio, quàmq́ ſubitò florentiſſimarum rerum interitio & amiſſio evenerit, quàm graves atq́ horribiles ruina ac caſus, pulcherrimarum Academiarum faſtigia iterum dejecerint, eruerint, proſtraverint, verterint, mecum ex veterum ætatum mœmoria, attentis, ut cœpiſtis, animis percipite. Quid enim de Attico rerum beatiſſimo fonte dicam, cujus ut in exhauſta divitiarum profunditas, ita immortalitati coæva petennitas quædam eſſe videbatur. At illa optima artium & ſtudiorum mater, Platonica Academia, ipſo etiamnum vivente & vidente divino magiſtro, à diſcipulis vexata, à diſcipulis miſerè exagitata, à diſcipulis deſerta & diſſipata fuit. Peperit, ut jam ante dixi, contentionis & æmulationis uterus, Academiam novam, peperit mediam, peperit Peripatum, peperit quàmplurimas alias turpiſſimas filias ſpurias, quæ, ut fieri ſolet, matris ſenectuti inſultabant. Inde perpetuæ altercantium rixæ, jurgia, odia, inde plurimæ abſurdarũ opinionũ nubes, inde quam ſanctus ille gentium doctor, Athenas cùm inviſiſſet, in publico reprehendit, verborum inanitas, & frivola de rebus omnibus contentiosè diſputandi vanitas. O peſtem, peſtem Academiarum ſtudiorum omnium certiſſimam! Illa veritatem omnẽ in dubitationis fumum, & in funus trahit. Illa, ubi clariſſima rerum lux eſt, nebulas & caliginem

ultrò

ultrò offundit: illa, ubi controverſia nulla, nulla contentio, adverſitas nulla, ſponte ſua litium favillas ferit, bellorum ſemina ſpargit. Hac flamma Academiarum nobiliſſima mater Attica deflagravit, hac peſte periit. Utinam verò eandem labem, tanquam hereditariam, non etiam cum maxima calamitate ad filias ſuas derivaſſet. Quid enim omnibus humani ingenij præclariſſimis muneribus affluenti Athenienſium ſcholæ defuiſſe dicendum, cùm jam ſummum etiam divinæ gratiæ benignitate ad Platonicæ ſcientiæ præſtantiſſimos theſauros, ignoti quem colebant Dei, veriſſima interpretatio & cognitio, luxq; æternæ ſapientiæ acceſſiſſet? Quod ſi ſolem illum, & reliqua cœli lumina interrogemus, nihil tum temporis reſponderent, toto terrarum orbe illuſtrius, nihil diviniùs, quàm Athenas; conſpectum fuiſſe, cùm ducentis amplius annis (ô verè aurea Græciæ ſecula!) Chriſtianæ doctrinæ lumen; celeberrimam illam gentilis eruditionis ſedem illuſtraret, quæ, cùm toties pravis ſuarum ipſius opinionum exhalationibus in extremũ interitum, ſchola erat vocata, quæ toties à ſeipſa diſturbata, toties quaſi in exiliũ quoddã extra ſe rapta, Evãgelij illati ſuaviſsima pace reſpiraret, ſanctiq; Spiritus vinculo viciſsim colligaretur, ac perpetua firmitudine roboraretur. Sive malimus ex Chriſtianis doctoribus felicitatẽ iſtorũ temporũ cognoſcere, audiamus clariſsimos Eccleſiæ antiſtites, qui in Attica Academia

ſtudiò

ſtudioſiſsimi commilitones, non ut noctuam Athenas portarent, ſed ut Chriſtianæ Philoſophiæ operam navarent, easq; doctrinæ facultates, quibus futuræ ætati præluxerunt, ſibi compararent, diutiùs ſeſe in ſtudiis Atticis commaratos eſſe fatentur. Verùm quàm auguſtis temporum ſpatiis florentiſsimæ illius felicitatis ſtudium decurſum, quamq; citò ſtatus ille mutatus? Inter Nazianzeni & Syneſii celebris ſcriptoris ætatem quantùm intervalli? paucorum interjectus annorum eſt. Quid tum verò? Illius quæ temporibus tantoperè Athenis floruerant, quæ ad cœlum uſq; caput ſuum extulerant, hujus jam adventu omnia dilapſa, diſturbata, everſa, perdita omnia erant. Quid enim Syneſius ad fratrem ſuum Epiſtola ultima? Nihil, *ait,* Athenis, *ſuo tempore, niſi nomen Academiæ fuiſſe. Dei immortalis gloriã! gloriàne adeò præclari nominis, adeò celebrati ſtudii dignitas tã repentè defluxit, exaruit, evanuit? Quæ Charybdis tam ſu.. ito hiatu tantum ſplendorem abſumpſit? quæ Scylla tantum faſtigium devoravit? quod fretum tantum altitudinem merſit? At nomen, inquis, reſtat: Reſtat & Troja nomen, quæ tamen nihil niſi campos, ubi Ilium olim ſteterat, habet. Sed ô & miſera illa Troja miſeriores Athenæ, quae ne hodie quidem veteres veſtras ſedes, vetera Acedemiæ tecta, veteres illos beatos Platonis hortulos monſtrare poteſtis! Nihil verò, infeliciſsima mater, adverſus hoc tam indignum fatum, te tui loci feliciſsimus genius cuſtodire, cœli & terrae*

tuae

tua bonitas ſervare, aëris optimi temperies integritatem tuam tueri: ubertas ac amœnitas florem tuum retinere, vetuſtatis gloria ſtatum tuum potuit defendere? Sed quid hæc inania rerum præſidia nomino, quæ in aliis multò majora exſtiterunt? Etſi enim, ut Tullius noſter aſſerit, eam ob cauſam Attici eſſent acutiores, quòd cœlum eorum haberetur tenuius, aërq; moderatior, atq; eadem naturæ benignitas etiam hodie in Turcica barbarie ejus loci homines comitari prædicetur, ut quemadmodum Busbequius Imperatorius orator nobis proditum reliquit, ex nulla alia totius Orientis regione ſuavioris vocis muſici, cantoresq; venuſtiores, qui voluptati aurium Principis Conſtantinopolitani inſerviunt, quàm ex Attico agro, in aula Tyrannica habeantur: Tamen ſingulari conſilio & ratione aſperiorem durioremq; Academiæ locum ideo prudentiſſimus Plato elegiſſe fertur, ne, quemadmodum Ludovicus Vives lib. 7. de trad. diſc. tradidit, nimis vernans amœnitas ad voluptates diſcipulos pelliceret, ne à ſtudiorum aſſiduitate avocaret, ne, ut fieri ſolet, ad prodeundum ſæpiùs ſollicitaret. Quod accidiſſe in pulcherrimis duabus veterum Academiis, Tarſenſi & Neapolitana accepimus, quarum altera, in qua Apoſtolorum Princeps natus, in qua educatus, in qua admirabili illo eloquentiæ ornatu indutus, ad amœniſſimam Cydni ripam condita, omnibus naturæ delitiis, omni jucunditate & copia cunctarum rerum affluebat, longeq; tum

Atticam, tum Alexandrinam ſcholam, quæ ad Nili oſtia in populoſiſſimis mœnibus conſtituta erat, iis rebus ſuperabat: Altera verò in ipſius quaſi naturæ luxuriantis ſinu ædificata, tum ſalubritatatē, cum loci voluptatem, tum maris oportunitem omnium maximam, Strabone teſte, habuiſſe prædicatur. Verùm quod Platonem noſtrum de Adonis hortis dicere ſolitum, legimus, quemadmodum illud Stobæus memoriæ reliquit, eos quidem voluptatis, & amœnitatis refertiſſimos citiſſimè naſci, multò verò citiùs, ſimul ac vento aliquo tacti ſint, iterum defluere ac interire: Idē de his duabus elegantiſſimis gratiarum & ſtudiorum ſedibus uſurpare poſſumus. Temporis enim illa non admodum longi injuria ita diſturbata, ita oppreſſa, ac obruta ſunt, ut niſi Strabo earum mentionem conſervaſſet, ne quidem ipſis literis ac ſtudiis quicquam de earum nomine conſtaret. Quorſum verò etiam illa, quem modò nominatam audiſtis, Alexandrina? Illa omnium Academiarum, ut olim florentiſſima, ita etiam feliciſſima jure celebratur. Quid ita? Illa prima omnium Academiarum cæleſtis doctrinæ lucem, Evangeliiq́; ſalutarem doctrinam, publicis ſuis ſuggeſtis ac auditoriis excepit; prima Theologiæ ſtudium in Academiæ lucem deduxit: prima verbum Dei publicis lectionibus illuſtravit: Quis enim ignorat Pantenum celeberrimum ejus Academiæ Philoſophum, primum Theologiæ Doctorem & antiſtitē,

Profeſ-

Profeſſoremq́; Academicum, divi Pauli ſcripta itidem primum omnium inaudito exemplo, publicis prælectionibus explicaſſe, veritatem divinam diſputationibus logicis demonſtraſſe, quantúmq́; Philoſophia ancillari inſervireq́; ſacro ſtudio poſsit, oſtendiſſe. Cujus exemplum poſtea præclariſſimi Doctores ſecuti, incredibilem amorem ſanctæ profeſſionis, celebritatemq́; ſcholæ Theologicæ *accenderunt. Quid audimus, Clariſſ. viri? primúmne Theologiæ Profeſſor Philoſophus extitit? At quæ hodie contra Philoſophus in quorundam Theologorum ſcholis odia, quæ jurgia, quæ certamina? Philoſophus volunt ab adytis ac miſteriis ſuis rejectos, volunt exterminatos, volunt in exilium actos,* Logicam *omnem oculis refugiunt, auribus reſpuũt, animis aſpernantur, recordationeq́; denique Syllogiſmi logici perhorreſcunt. At illa primi illim Alexandrini Magiſtri palmaria tela: illi diſſertationum cunei: illæ primæ victoriæ erant. Ex illa docendi, diſcentiq́; ratione celebritas tanta emerſit, tanta auctoritas & exiſtimatio, ut, quemadmodũ Ammianus Marcellinus refert, apud exteras omnes ſcholas ſummam eruditionis & acuminis opinionem etiam ii haberent, qui ſaltem Alexandrinæ Academiæ limina ſalutaſſent. Sed quàm diuturna iſta felicitas? aurum brevi in ſcoriam converſum: lilia in Jolium degenerarunt: inter ſegetes zizania! brevi prodierunt. Nata eſt peſtilentiſſima Artii lerna: infectæ exitiali*

veneno omnes ferè pulcherrimi corporis partes: Panteni florentiſſima ſchola, velut illa in fabulis Penthei membra, miſerrimè dilacerata.

Triſte admodnm ac dolendum vehementer vetuſtiſsimæ Chriſtianorum Academiæ fatum, cujus olim toto orbe celebrata claritudo nunc temporis in teterrimas Mahometici carceris tenebras cum univerſæ Græciæ veteris luce commutata? Illam olim Reges colebant, Imperatores Romani obſervabant, tantumq́ amabant, ut unius Profeſſoris interceſsio ab Auguſti victoris ira & excidio urbem totam conſervaverit: in illa cum profeſſoribus & Doctoribus, Reges & Cæſares auditi publicè diſputaſſe: viſi in ſubſelliis conſediſſe, quæſtiones propoſuiſſe, propoſitas diſſolviſſe. Quis enim ex Athenæo Severi literis inſtructiſsimi Imperatoris doctiſſimas diſſertationes ibidem habitas non cognovit? quis ex eodem Muſæum Alexandrinæ Academiæ nonpercipit, inquo ex toto terrarum orbe doctiſsimi quiq; homines acciti, liberaliſsimis ſtipendiis, lautoq́ victu & amictu ſuſtentabantur, ut curis omnibus vacui, totis animi viribus cultui artium diligentiſsimè excolendo incumberent? Quis itidem Hadriani imperatoris in inſtaurandis hujus Scholæ ſtudiis diligentiam non legit? Quantis ille muneribus Dionyſium celebrem Philoſophum, quantis Pancratem optimum id ætatis Poëtam cumulaſſe prædicatur, ut eoſdem ad celebritatem

Academiæ augendam, ad ſtudia literarum amplificanda, frequentiam alendam, alacriores redderet? Deum æternum! quæ conſervandæ æternitati adminicula majora, quæ meliora adjumenta & præſidia haberi potuerunt? Sed multò luctuoſior, & omni poſteritati terribilior Pulcherrimæ, ut à Juſtiniano appellatur, Berytienſium & civitatis & Academiæ caſus eſt. Quemadmodum enim illa ſulphurea Sodomes & Gemorrhæ flamma, piceæq; voragines ſempiternum divinæ ultionis monumentum, non ſine maximo animi horrore in ſacris hiſtoriis perleguntur: ita profectò celeberrimæ hujus Academiæ miſerrimus interitus, ipſis etiam literis, quibus præſcripta ruina eſt, æternum horrorem & tremorem inflixit. Nemini autē veſtrûm, juris ſtudioſiſsimi juvenes, hujus ſplendidiſsimæ ſcholæ nomen & dignitas, vel ex veſtibulo Juſtinianei Codicis incognita eſſe poteſt. Erat illa totius Phœniciæ lumen, luculentiſsima civilium legum ſchola, quam ſingulari gratia & privilegio Romani Imperatores extruxerunt, ut una ex illis tribus eſſet, in quibus jura civilia docere, oracula Imperatorum interpretari, reſponſa prudentum explicare licebat, quod præter hanc & Romanam & Conſtantinopolitanam, nullibi locorum, ne quidē in Alexandrina florentiſsima permittebatur. Incredibile autem dictu, quantus ad hanc Berytienſium, legum nutricem, ut ab Imperatore

honorificentiſſimè inſignitur, ex omnibus auguſtiſſimi imperii nationibus ac gentibus concurſus quanta frequentatio fuerit. Quicunq; ſpem aliquam dignitatum, honorum, ac præmiorum eorũ ſibi propoſitam habebant, quæ à Juſtiniano cupidæ legum juventuti, in proœmio inſtitutionum Imperium promittuntur, fore nimirum, ut legitimo peracto ſtudio Romanam Remp. in partibus ſibi credendis, gubernarent, illi omnes ſumma contentioneq́; feſtinabãt, eò curſitabant, eò anhelabãt: ibi præfecturas ampliſſimas, ibi præturas honoratiſſimas; ibi faſces & ſecures: ibi ipſam Imperii purpuram & diadema quærebant. Sed quid fit? Licentia, quemadmodũ ille in comico ſocco loquitur, licentia fieri ſolemus omnes deteriores. Maximus fiebat, maximarum immunitatum & privilegiorum, quæ ab Imperatoribus nimio ſcholæ florentiſſimæ amori indulta erant, abuſus. Quæ virtutis, quæ juſtitiæ, quæ honeſtatis laudatiſſima officina eſſe debebat, in omnem juſtitiam, in nequitiam, in petulantiam, in laſciviam degenerabat: Aurea illa libertatis Academicæ aura & gratia in extremam morum pravitatem, in terrimum libidinis profligatiſſimæ cœnum, in turpiſſimam omnium vitiorum ſervitutem abibat: omnis diſciplina jacebat: legum & juris nulla ratio valebat. Profeſſores irridebantur: præceptores ſpernebantur: monitores injuriis & contumeliis

afficie

afficiebantur. Quarum rerum atrocitate etiam optimus ille, & ſtudioſorum amantiſſimus Imperator Iuſtinianus, adeò commotus & perturbatus eſſe animadvertitur, ut ad Salaminum virum diſertiſſimum, his graviſſimis verbis ac comminationibus uſus, ſcripſerit: Illud verò ſatis, inquit, neceſſarium conſtitutum, cum ſumma interminatione edicimus, ut nemo audeat, neq; in hac ſplendidiſſima civitate, neq; in Berytienſium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt ſtudia, indignos & peſſimos, imò magis ſerviles, & quorum effectus injuria eſt, ludos exercere, & alia crimina vel in ipſos Profeſſores, vel in ſocios, & maximè in eos, qui rudes ad recitationem legum pervenerint perpetrare. Quis enim ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur? Hoc fieri nullo modo patimur, ſed optimo ordini in noſtris temporibus, & hanc partem tradimus, & toti noſtro poſtero trãſmittimus ſeculo, cùm oporteat priùs animas, & poſtea linguas fieri eruditas. Egregia & verè regia Imperatoris optimi ſententia, quam utinam illi omnes qui Inſtinianeas leges amplexãtur, quiq; ex illis dignitates ac honores conſectantur, imò cuncti, qui in literarum ſtudiis & honeſtatis officina verſantur, non modô aureis literis in pariete deſcriptam, ſed animo altiſsimo inſixam, ſenſibus impreſſam, cogitationibusq; aſsiduis inculptam haberent: Spes longè tum nobis maxima foret, non modò Academias, Scholas, &

Gymnaſia, ſed etiam omnes Reipubl. partes fore feliciores, neq; expectandas timendasq; eſſe a Deo pœnas, quas in Berytienſium ſede evertenda contigiſſe legimus. Audite enim triſtiſſimum ſcholæ frequentiſſimæ exitum. Cùm neque patriæ parentis ſeveriſsimæ prohibitiones, graviſſimaq; comminationes, nedum profeſſorum ac præceptorum fideliſſimæ admonitiones, quicquam loci invenirent: Deus, Deus, ipſe vindex omnis iniquitatis certiſſimus, qui tarditatem & moram pœnarū, ſupplicij gravitate compenſare ſolet, ſubitò intempeſtate nocte, cùm gurguſtia belluationibus fumarent, ganea & luſtra libidinibus ferverent, Cyclopicis clamoribus omnes angiportus civitatis arderent, terræ motu terribili immiſſo, fundamenta urbis evertit, mœnia proſtravit, tecta diruit, domos disjecit, tanta hominum ſtrage edita, ut teſtante nobili auctore Agathia, tria amplius millia ſtudentium, vulgi numero præterito, una illa miſerrima nocte interierint. Quid, quæſo auditores, omnibus faſtis & annalibus funeſtiùs, quid miſerabilius, quid horribilius, literis & ſtudiis occurrit? Ejuſmodi profectò hoc exemplum eſt, ut non ſolùm, quemadmodum JCtus Viglius ad Carolum noſtrum V. Imperatorem ſcripſiſſe legitur, omnibus juridicis ſcholis, omnibus tribunalibus, omnibus curiis & conſiſtoriis ſit appingendum, hoc Virgilii verſu ſubſcripto:

Diſcite

Diſcite juſtitiã moniti & non temnere divos.
Verùm etiam in cunctis Academiis & Gymnaſiis ſæpiſſimè iterandum, & in veſtibulis ac porticibus proponendum, Servatorisq́ vox illa, quam Siloæ turris ruinam ſtragemq́ memorantibus referebat, addenda. Quæ vero illa? Niſi ad frugem reverſi pœnitentiam vitæ egeritis, eodem fato cuncti pe‐ribitis Sed *ne longiùs orationem, quàm temporis anguſtia ferat, extraham, reliquas etiam easq́ præcipuas duntaxat (quis enim omnis poſſit?) lite‐rarum ſedes, percutram. Antiochenam pluribus non attigam, quod ejus & veterem florem, & cele‐rẽ diſſipationem omnibus noviſſimam eſſe arbitrer, qui vel initium orationis elegantiſſimæ pro Archia habitæ perlegerint. Quid enim ibi de ea orator? Archiã in ea urbe na tũ eſſe dicit, celebri & copioſa quõdã, atq́ erud tiſſimis hominibus liberaliſſimis q́ ſtudiis affluente. Fato verò tam miſerabili ſcho‐la Juridica, florentiſſimum medicorum emporium, totius Aſiæ oculum, Pergamum ſubjiciam: ex quo fons ille ſaluberrimus ex ploratiſſimæ ſanitatis, Ga‐lenus, humano generi datus. Naturam dixiſſes i‐bidem omnes theſauros ſuos, opesq́ collocaſſe: Scholæ huic celeberrimæ, Regis Eumenis munifi‐centia, ſumptuoſiſſima, ad Ægyptiorũ æmulationẽ bibliotheca adjecta erat. Ducenta millia lectiſſimo‐rũ librorũ, teſte Strabone, ibidẽ cõtinebantur Ve‐rùm quod maximoperè deplorãdũ eſt, divina illa*

ſalu-

ſalutaris medicinæ profeſſio quæ ſua indole ad ſuperſtitiones proclivis, teſte Plinio, habetur, ita brevi obſcurata, & magicis vanitatibus, fraudulentiſſimisq́ue, ut idem loquitur, artibus dementata eſt; ut ſua ætate Apoſtolorum vivaciſſimus, Satanæ ſcholam Pergami dominari, ex revelatione cœleſtis angeli ſcripſerit. Vera profectò Vajoris ſchola, quæ univerſum ferè orbem Tartareis ſomnijs, quæ in Æſculapii fano, de reſtitutione valetudinis capiebantur, in horrendas tenebras, fraudesq́ue horribiles ab duxit, etiam cum temporis, quod vehementiùs dolendum, cùm luce Evangelii Aſia illuſtrata, cùm ſeptem illa candelabra, ſeptem ſcilicet Eccleſiæ conſtitutæ, cùm Epiſcopi undiquaq́ue ordinati eſſent. Sed & ipſa paulò poſt divina ultione diſſipata, bibliotheca, precioſiſſima ſtudiorum ſuppellex, à triumviro Antonio, tanquam amorum & libidinis turpiſſimum autboramentum, Cleopatræ pellici donata, & in Ægyptum tranſportata. Non tranſilienda hoc loco per ſaltum Rhodium, ſchola Rhodia, *cujus celebritas etiamnum in proverbiis verſatur. Quod enim Tullii ætate eloquentiæ florentius domiciliũ, quæ ſchola celebrior, cùm Rhetorum diſſertiſsimus Mòlo, mirifica dicendi copia, docendique felicitate eandem tantoperè excoleret atque amplificaret ut etiam Cicero, etſi jam plures annos, non modò Romanæ, verùm etiam Athenis, & in omnibus ferè Aſiæ Gymnaſiis vocis & actionis formãdæ gratia attifices quàm plurimos audiviſſet,*

Rhodium ſeſe fama Molonis contulerit, ibiq; commoratus, inchoatam Eloquentiæ molem exædificaverit, extremamq; manum, planè, ut ipſe fatetur, à priore mutatus, ſtudio, impoſuerit. Vide quid unius hominis celebrata eloquentia, eruditio & ingenium, afferre ſplendoris ac exiſtimationis Academiæ poſſit: Quæ longo tempore deſerta, contempta faſtidita jacuerat; unius oratoris nomine priſtinum decus eſt faſtigium rediit. Quis enim de hujus ſcholæ fortuna fabulam iſtam tota Græcia decantatam non audivit? Palladi dicebantur Rhodii ſacrificium obtuliſſe: Sacrificiis verò nihil ſalis ex imprudentia adhibuiſſe, deam ideò iratam, aras illorum & urbem reliquiſſe, & Athenas iterum commigraſſe. Quo hominum naſutorum figmento Rhodii irridebantur, quòd in Athenienſium æmulationem novam & ipſi Academiam excitaſſent, eam verò tam ineptè ordinaſſent, ut quod ſal & condimentum omnis doctrinæ ac eruditionis habetur, de eloquentiæ ſtudio inſtituendo, ne quidem cogitationem ullam ſuſcepiſſent. Unde factum, ut reliquarum facultatum cathedris, tanquam exuccis & aridis pratulis, deſertis, ad flores Atticos, juventutis examina revolarint, donec hujus Molonis opera, gloria & exiſtimatio ſcholæ Rhodiæ, quaſi poſtliminiò revocaretur. Quæ ſanè Molonis in duſtria veriſsimũ comprobat verbũ illud eſſe, quod Hugo Donellus *JCtus ad Leidenſes conſules & ſenatores ſcrpſiſſe*

legitur

legitur: Eos, qui juvandis publicis ſtudiis dent operam, & neceſſario quodam ac utili munere in Academia rectè fungantur, quovis honore dignos videri, ipſuq́ſ ſæpè plus Academias, quàm ipſos Academiis debere. Verùm neque ille flos Rhodius diuturnus, ſed revera roſeus & caducus extitit. Ceſſere poteſta artes & literæ armis: Muſam Mars expulit. Tandemq́ milites, qui Rhodienſes dicti, amœniſſimam omnium inſularum ſedem occuparunt, quos patrum memoria Orientis Tyrannus ſæviſſimis bellis, non ſine maxima clade Chriſtianæ Reip. expugnavit, expulit, ejecit. Quod quidem luctuoſiſſimi fati genus, majorum noſtrorum memoria, tot annos florentiſſimæ, non modò Imperii, ſed etiam literarum Græcarum, artiumq́ arci Conſtantinopoli ab eodem hoſte accidiſſe novimus, cum barbarorum immanitate non modò in vivos, ſed etiam in mortuos conſiliarios, ut Alphonſus liberos appellare ſolebat, crudeliſſimè ſævitum, ut quæ tot regum & principum curis & impendiis congeſta, incredibili numero volumina, uno die ferè omnia interierint. Omnium ætatum damnatum irreparabile: tantaq́ literariæ civitatis clades, ut neque cogitatione quidem ulla, nedum verbis comprehendi & exprimi poſſit. Sed ne curſum orationis diutiùs hîc teneam; ex Oriente in occidentem ſtudiorum profectiones comitabimur. Romã autẽ non viſam, cujus ruina in conſpectu & oculis omniũ verſatur. Quid enim illa

virtu-

virtutis, quid priſca gloria & artis, quid antiquæ laudis & honoris, quid facundiæ, quid floris illius habet, quem in monumentis authorum tantoperè admiramur? de qua uſurpari veriſſimum illud poterit, quod Paulus in legibus ſcripſit: Purpura in lutum cecidit. Nulla enim ibi ſcientia, nulla doctrina, quemadmodum Angelottus Cardinalis ingenuè fateri cogitur, in pretio ullo Romæ habetur. Bononiam autem, quæ ſe etiamnum matrem ſtudiorum in publica moneta jactitat, præterire non poſſum. Nec verò tot rugas annoſiſsima annicula, quod illa cicatrices & vulnera; quot diſsipationes, quod ruinas & everſiones numerare poteſt? A Theodoſio juniore maxima cum expectatione primùm illa erat inſtituta, ornamentis, quæ poſſunt eſſe maxima, inſtructa, inſignibus regiis quã plurimis honorata: at exiguo rurſus intervallo ita dilapſa, & quaſi fatorũ adverſantiũ manibus deſtructa ac diſperſa, ut ſpe melioris auſpicii, illa, quam audiſtis, Berytienſis in ejus locũ fuerit, cũ Romana & Conſtantinopolitana, excitata.

Jacuit itaq; illa ſitu & tenebris ſuis obruta, uſq; ad Carolũ noſtrũ Magnũ, qui antiq; matris miſertus, fũdamẽtis prioribus reſuſcitatis, novam lucem & fulgorem inſtauratæ denuò ſcholæ intulit. Sed ô infelicem felicitatis retinendæ! Fortuna ad priores circulos citò revolvitur: celebritas modò accenſa, citò iterum extinguitur: obſcuritas veterum tempourm revertitur. Perſtitit

ſtitit ille ſqualor, ad Lotharium uſque noſtrum Saxonem, feliciſſimum non modò bellicæ rei adminiſtratorem; ſed etiam amiſſarum legum civilium repertorem. Ille enim revocatis in lucem juris civilis ſtudiis quæ Gothicis inundationibus oppreſſa prorſus erant, Bonienſem matrem rurſus exornavit, cathedras & ſuggeſta publica reparavit Academiam novis privilegiis excitavit, Irnerium regendis literarum curriculis præpoſitum, Anteceſſorem primarius ordinavit. Cœpit illius induſtria, poſtquam ex buſto Apuciæ leges revocatæ fuerant, plurimum Juriſprudentiæ nomen ibidem florere, quem etiam Lucernam juris ob eam cauſam appellarunt, Magnus ex eo tempore concurſus Bononiam, magnus ibidem docendi diſcendiq; ardor, ut Accurſius non dubitaverit in rubric. C. de ſtudiis liberal. confidenter aſſerere, ſolam Bononienſem Academiam eſſe, quæ juris civilis monarchiam toto terrarum orbe obtineret. Verùm ô mutabilem & inconſtantem omnium monarchiarum & regnorum fortunam! Nec enim Euripi æſtus toties deflùere, toties eodem die refluere memoratur, quoties Bononia ſeditionum, ut eam Æneas Sylv. appellat, nutrix, tam Reipubl. quàm Academiæ ſtatum periculoſiſſimarum viciſſitudinum fluctibus implicavit.

Dies profectò narrationi non ſufficeret, ſi à Bulgari ætate, qui Irnerij diſcipulꝰ & ſucceſſor fuit uſque ad Greg. Pontificē, qui noſtra memoria ex Bo-

nonienſi Academia, in qua jura civilia docebat, profeſſoriſq; munere fungebatur, ad Romani ſolij fortunam evectus eſt rerum omnium ſeriem perſequi aggrederer. Nota illius Pontificis erga vetuſtam illam matrem liberalitas, notum illius in revocanda priſtina celebritate ſtudium, notæ immunitates & privilegia, nota merita, quibus ornatiſsimam reddere moliebatur. Sed ipſo vivente, & coràm vidente, quæ diſsipatio, quæ deſertio, quæ ſolitudo contigit? Eodem fato jactata ſæpenumerò Patavina, quæ nunc Venetorum imperio reſpirare aliquot ab annis viſa: ſi reſpirare eſt, variis nationum & gentium turbis, diſsidiis, cædibus, libidinibus, ſtupris, omniq; vitiorum genere vexari, agitari quotidie? Ille enim Italicorum ſtudiorum flos, ille vigor, ille celebritas ferè omnium hodie prædicatur. Nec in aliis exterorum Gymnaſiis diverſe virtutes, diverſa inſtitutio. Quid enim Lutetiana? quam idem Magnus ille noſter principem in Gallia plantavit; quam primogenitam regis filiam nuncupavit. Floruit illa vetuſtis ſeculis tanta laude & gloria, ut nemo quicquam ſcire, nemo quicquam ſapere crederetur, niſi qui Pariſiis aliquandiu in ſtudiorũ caſtris meruiſſet.

Omnibus itaque eò olim ex omnibus nationibus confluebat juventus, inventiq; ex Germania Principibus ſunt, 20. annos ibidem conſumpſerint, inventi regum nepotes, ducum & principum liberi, literarum honores & gradus,

doctos

doctorum magiſtrorumq́ʒ ibidem aſſumſerit. Extat etiamnum Principis Ludovici, Landgravii Haſsiæ & Thuringiæ ad regem Galliæ, Latinè exarata epiſtola, qua filios ſuos ſtudiis Academiæ Gallicæ erudiendos quàm optimè regi commendavit. Sed ut veteres, quæ ferè innumeræ ſunt, hujus ſcholæ Carolinæ vaſtationes, deſertiones, diſsipationes, minasq́ʒ præteream (nec enim temporis ratio longiorem rei commemorationem permittit) quæ calamitas anni ſuperioris memoria noſtra, ſeptuageſimi ſecundi, quàm inaudita immanitas, quæ lanienа fuerit, quæ doctiſsimorum hominum, inter quos aut eum illud philoſophiæ lumen, Petrus Ramus fuit, trucidatio, nemo noſtrûm ſine ſuſpiriis & gemitibus non recordatur. Indigniſsima profectò, omni divinarum literarum & ſtudiorum immaniſſima terra, quæ tot innocentium capitum cruore incaluit: indigniſsimus Sequana, qui unquam poſthac lætas optimarum Muſarum lætitias, cantus & verſus amabiles audiat, cujus littora eruditiſsimorum Academiæ dictorum cæde fœtata, fluctus ſanguine rubefacti, fluminis curſus cadaverum ſtrage retardatus. Territus, auditores, ipſe recordatione tam horrendi ſceleris, in germaniam noſtram confugio, in qua nihil unquam ejuſmodi auditum, nihil unquam viſum perpetrari. Quid verò ibi? Veteris patriæ faciem ſi intuear longiſsimo quidem tempore, per tot Imperatorum bellicoſiſsimorum feliciſsimas

victo-

victorias, per tot triumphos, nulla literarũ, nulla artiũ liberal. publica ſedes, nulla Academia. Clauſtris duntaxat monachorum ac clericorum ergaſtulis, ſi quid erat doctrinæ & eruditionis, continebatur; maximis laboribus ac impendiis ex ſcholis exteris omne ingenium noſtrarium petebatur. Primam omnium in Germania Academiam Auſtriacorum Archiducum, qui etiamnum imperii culmen, & , ut legatus Polonorum Varſevicius in oratione ad Rudol. II. hodiernũ Caſ. rem habita, ſcripſit, altera manu Orientem, altera occidentem tenent, feliciſſima fortuna annis ab hinc trecentis ſexaginta quinq; Vienna collocavit. Ejus Cathedram qui primus texit, ex gente noſtra ortus eſſe prædicatur, unde Henricus de Haſſia cognominatus fuit, qui ex Lutetiana eò accitus, ſummã expectationem ſui excitavit, cùm jam ante plurima volumina lectu non indigna in lucem emiſiſſet. Illi initium hujus Gymnaſii magno numero ex Vngaria & ſuperiore Germania fama nominis pellecto lætiſſimum effecit. Sed ea celebritas & frequentia ultra ejuſdem mortem non perſeveravit Succeſſerat enim noſtro Haſſo Thomus Haſelbachius, natione Suevus, qui etſi profeſſione Theologus erat, aliis tamen ſtudiis animum & operam implicatam habebat, ut teſte Sylvio, duos & viginti annos in primo Eſaiæ capitulo prælegendo & interpretãdo confecerit, neq; ad calcem, præventus

EE morte.

morte, pervenerit. Ex eodem verò Sylvio univerſam principis & matris Germanicorum Academiarum ſtatum quæſo mecum paucis cognoſcite. Maximi, inquit, Gymnaſii vitium eſt, quòd nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumq́; temporis in re non magni fructus terunt. Qui magiſterii artium titulo decorantur, hac una in arte maximè examinantur. Cæterùm neq; Muſicæ, neq; Rhetoricæ, neq; Arithmeticæ curam ullam gerunt: quamvis metra quædam & epiſtolas ab aliis editas imperitè exhibentem, magiſtrandum appellent. Oratoria & poetica apud eos penitùs incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt, vanisq́; cavillationibus, ſolidi haud quaquam multum. Qui libros Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum habeat, raros invenies, commentariis plerunq; utuntur. Cæterùm ſtudentes ipſi voluptati operam præbent, vini cibiq́; avidi: pauci emergunt docti, neq; ſub cenſura teventur, die noctuq́; vagantur, magnasq́; civibus moleſtius inferunt. Ad hoc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Hæc, quem nominavi, Sylvius. Egregia profectò virtutis & eruditionis officina! egregia literis ſtudendi ratio! egregia vita Academica inſtitutio! Hæc prima ſcholarum publicarum exempla: hæc literarum & artium in Germania incunabula: hæc ſtudiorum incremēta: hi progreſſus fuerunt. At illa ab primis radicibus inſita & indita vitia, nulla ſubſequentium ætatum cura, nulla emendatione rurſum evelli &

li & ſanari potuerunt. Quid enim laboris & ſtudii Maximilianus I. Imperator, in inſtauranda hujus Academiæ celebritate, fulciendaq; ruina, non ſuſtepit? novum quod Sylvium audiſtis maximè in ea deſideraſſe, oratorum & poetarum collegium regiis ſumtibus eo collatis inſtituit, & Cunradum Celtem, qui primus Germanorum lauream poeticam à Friderico Cæſare III. imperavit, gubernatorem præfecit, hac dignitate & honore indulto, ut, quò majore ardore jacentes literas inflammaret, novi collegii Rector, Comitis, ut vocant, Palatini poteſtate frueretur, laureiſq; poeticis, quas inter regalia majora ſibi Imperatores ſemper huc uſq; reſervarunt, ſi quos dignos haberent, ſtudioſorum præmiis exornarent. Quo privilegio, etiamnum ejus Academia oratorum ac poetarum collegium gaudere præ omnibus aliis Univerſitatibus Germaniæ videmus, de cujus hodierna celebritate atque ſtatu, cùm nemini ille non cognitus & explaratus eſſe poſſit nihil attinet pluribus dicere Viennenſem verò Pragienſis, Bohemorum Academia, quadriennii paſſu ſubſecuta, cujus ut illuſtriſſimus auctor & conditor Imperator Carolus IV. ita ſplendidiſſima etiam principia condita Academiæ fuerunt, cum Imperatorium paludamentum inter ſcholaſtica ſubſellia relucceret. cùm Carolus ipſe cũ doctorib. in Academia diſputaret cùm docentes Profeſſores ipſe audiret, cùm cœnis & prandiis regalibus auditiones eruditorum

virorum anteferret, cùm viri principes magiſtrorum apices & titulos in ea aſſumerent. Sed quamdiu illa tantarum rerum gloria? At filios fundatoris non pervenit. Nata enim illicò poſt Caroli diſceſſum, inter Germanæ & Bohemæ nationis homines de gubernatione ſcholæ, quæ multos annos penes Germanos fuerat, vehementiſſimæ contentiones, natæ cædes & exilia, ſubſecuta Huſſiticæ doctrinæ oppugnatiò; ortâ cruentiſſima certamina, quibus literarum optimarum arx ita depreſſa, ut adhuc uſq; tempora, caput rurſum attollere priſtinamq; celebritatem & laudem acquirere non potuerit. Sed, ô mirabilem fatorum viciſſitudinē! quæ tot per annorum ſpatia, quaſi buſto quodam ſopita, ac propemodum deſperata jacuit, jam quaſi vere novo caput emortuum viciſſim erigere, lucem aſpicere, ſiorem indu ere, priſtinā ſalutem reſumere cognoſcitur: Reſurge, reſurge, antiqua parens, vires recipe: poſtliminio tuo, omnes gratulamur: novis auſpiciis applaudimus: novam felicitatem votis novis proſequimur. Prodeat, prodeat his temporibus, quæ tot aliorum veterum ſcholarum ruinas celebritate ac luce clariore ſua rependat. Quid enim vobis, aut cæterarum Academiarum, quarum plures hodie quàm viginti in Germania numerantur, vultum & formam, quæ in luce & conſpectu omnium eſt, pluribus detegam? Vereor equidem, ne, quod Beatus Rhenanus *etiam jā longè antè ſuperiore ſeculo, tùm nondum ille numerus eſſe*

rus eſſet, ſcripſiſſe legitur, verius eſſe deprehendatur, quam pleriq; cenſeant. At quid illud? Romanæ urbis potentiam prudentes dicere ſolebant, nulla re alia, quam mole ſua laboraſſe, mole ſua peſſum tandem iiſſe. Idem ille de multitudine ſcholarum, Gymnaſiorum & Academiarum uſurpavit; eamq; ſcripſit impedimento ac remora eſſe literarum & ſtudiorum progreſſui. Et *quis neget? Quid enim? an non idem hodierno artium curſui contingere animadvertimus, quod Chryſoſtomus aurea eloquenentia doctor, de animalculo, quod à multitudine pedum, Latini millepedam, Græci verò, teſte Plinio, ὀϊυλον dixere, memoria proditum reliquit? Quid verò illud? Omnium inſertorum, etſi mille pedes habeat, tardiſſimè progreditur: Ita certè, quò major univerſitatum, gymnaſiorum, ſcholarumq; numerus, eò minor ſolidè doctorum hominum copia videri videtur. Imò verò pleriq; in illo numero numeri evadunt, de quibus Horatius noſter:*

Nos numeri ſumus, & fruges conſumere nati.

Interroges patriam ipſam Germaniam: interrogata rem ita ſeſe omnem habere clariſſima voce reſpondebit, Illa etenim veteres ſuos Imperatores & principes affata, quid, inquit, Sigiſmunde Cæſar, quid Maximiliane prime, conſilia veſtra, quid admonitiones, quid orationes, quas olim in Comitiis ad Electores, quibus, ut ſinguli in ſuis provinciis Academiam conderent perſuaſiſtis, quid,

inquam, emolumenti, quid fructus pererunt, quid Remp. meam, quid Eccleſiam juverunt? Memini uno ferè anno tres Electorales Academias veſtra autboritate conſtitutas: memini maximis privilegiis veſtris eaſdem decoratas: memini octodecim alias ex illo tempore ſubſecutas: Provincia mea omnes catbedris & ſubſelliis completa, urbes & vici Magiſtris ac doctoribus referti: ſtudentium caterva ex omnibus nationibus collecta: librorum nundinis omnes regiones occupata: Nihilominus tamen omnibus tum Reip. tum Eccleſia, tum ſcholæ functionibus, idonei viri deſiderantur: gubernatores anxiè quaruntur: ſucceſſores undiquaq; fruſtrà petuntur: munera publica diutiùs ſucceſſione deſtituuntur: adminiſtrationes vacua deſeruntur: litera ex urbe in urbem, ex gente in gentem ſine fructu mittuntur. Quis veſtrum, auditores, hanc patria vocem non veriſſimam agnoſcit? Ipſa univerſitates, inter tot literarum catbedras tot inter artium officinas, artes & literas exulare, fatentur eas inter medios fontes & flumina, tanquam Tantalum in aquis, ſitire. Dixeris fortè portenti genus eſſe: Imò verò ſingulare divina ira argumentum eſt, bonas artes & literas, in tanta ſcholarũ multitudine, in tãta ſtudiorũ luce, velut i ſalamandrã in mediis ignibus, algere: in tanta librorum utiliſſimorum abundantia, tanquam Ereſicbtonem aliquem, inter medias menſuram omnium delitias, famẽ ac macie interire. At eam

cæleſtis

cœleſtis indignationis flammam jam pridem ipſa cœli ſidera ſignificaſſe, atque longè antè portendiſſe nobis videntur. Recordmini enim *mecum, recordamini, viri clariſſimi, eas, quæ ſuperiore anno nonageſimo octavo, ab omnibus ferè Aſtrologis prædictiones, & prognoſtica vaticinia fuerunt toto imperio diſſeminata, cùm ſolis, quod tum fiebat deliquium, literarum & artium vaſtitatem, diuinasq; iras & pœnas adverſus omnem literatorum ordinem denunciare ſcriptis publicis teſtarentur. Illud autem eò portendi ſcribebant, quòd ſolare lumen propè ad meridianum delatum beſſe ſui corporis obfuſcaretur, uimq; lunatem quinta cœli ſede ſuſtineret: interea loci improbus Saturnus in peſſimo angulo latitans, affectum inimicum venenatis radiis, quos Arcturi conjunctio incitatiores efficiebat, in virorum doctorum vertices effunderet. Memini equidem ab eruditis rem iſtam tanquam ſuperſtitioſam irriſam, & antiquis Stiffelii Euſtathii Poſſelii vanitatibus ac ſomniis eſſe annumeratam, quorum ille finem rerum omnium, clauſulamq; mundi in præterito octuageſimo octavo, hic verò in proximò feliciter elapſo ſexto collocavit. Etſi autem in aſtrorum curſu & recurſu nihil fatalis neceſſitatis ponendum eſſe arbitremur: tamen eam, quæ id temporis prædicta fuit, non inanem fuiſſe ſolaris deliqui ſignificationem, rerũ ſubſecutus eventus demonſtravit.*

Quis enim negabit, intra hoc decennium eam factam eſſe ſtudiorum ruinam, ut oculis pœnè coram videri, auribus percipi, atq; adeo ipſo fragore quodammodo ſuo ſentiri potuerit? Quanta hominum ſolida eruditione celeberrimorum interea temporis accidit jactura? Quæ ſolitudo & raritas tum in omnibus Academiis, tum in Reip. adminiſtrationibus ex eo tempore animadverſa? Reip. cladem Imperator, reges, duces, principes, omnesq; imperii ſtatus in conſiliis, in deliberationibus, in comitiis, in curiis, in cancellis, in foro, in dicaſteriis, in præfecturis, in omnibus deniq; muneribus propè manu palpant. Homines autem de ſchola, ut appellari ſolent, ubi nunc gentiam? Quæ tot Hermolaos, tot Politianos, tot Sadoletos, tot Bembos, tot Muretos, tot eloquentiæ & Suadæ filios oſtendavit olim Italia, ne unum quidem, quem veteris laudis ac ingenii novimus, nunc fortaſſe oſtendere, poterit. Sed & eadem, quæ tot Bartolos, tot Jaſones, tot Baldos, tot Alciatos habuit, ne unum quidem demortuo Menochio ſimilem hodie dabit. Ubi verò, heu Gallia, tui nunc illi doctores ſunt, quibus ſuperiore ſeculo abundabas, quorum claritudine ferè omnib. aliis nationib. prælucebas? ubi Coraſii, ubi Duareni, ubi Cujacii, ubi Hottomanni, ubi Donelli, æterna Juriſprudentiæ lumina? Mortui omnes, & cum illis omnis ille ævi flos, omnis ingenii Gallici admiratio. Nunc certè intelligimus, huic ſeculo verè illud prædixiſſe

(Cujac.

Cujacium, qui ad Lomelinum ſcripſit, vix ſingulas ætates ſingulos JCtos bonos deinceps daturas. Sed quid de regnis externis ſolliciti ſumus? Si num ipſi noſtrum excutiamus, per Germaniam oculos noſtros circumferamus: Quæ raritas Atlantum eſt, qui literarum & artium, facultatumq; ſuperiorũ orbem ſuſtinere poſſint? quanta eorum, qui cum priſcis ſeculis conferri, nedum illis præferri queant, paucitas? Ubi vero illa ſuperioris ævi ingenia? Witeberga Jubileum ſuum centenarium annis ab hinc ſeptem egit? centum & octuaginta duas promotiones à fundationis ſuæ anno, qui fuit ſuperioris ſeculi ſecundus, uſq; ad nonageſimum ſextum, centum, inquam, & octuaginta duas promotiones in philoſophorum ſtudiis celebravit: Promoti in illis interea temporis quatuormille quadringenti triginta quinq; magiſtri, quemadmodum nobis hunc numerum Wolffgangus Franzius Decanus publicata oratione expreſſit. At ne unus quidem magiſter Melanchthon in tanta magiſtrorum multitudine Germaniæ revixit. Si verò percontemur Academias reliquas, de eadem infelicitate omnes conquerentur, neque quicquam ſibi tam deceſſe dicet, quàm veterum, quæ amiſerunt luminum reparatam in ſucceſſoribus imaginem. Quam verò cauſam hujus rei aliam, quàm Dei indignationem nominabimus? Ille etiam optimo agro ſuccum & bonitatem ſubducit: ille quod ſatum eſt, etiam

in fœcundiſſimo ſulco enecat: ille eam quoque terram, quæ lactis ac mellis rivos alebat, ſæpenumerò extrema paupertie ac fame exhauſit: ille fontes totius Paleſtinæ regionis, Eliæ ætate, exſiccavit: imbres ac pluvias cælo ferreo, tanquam carcere aliquo trienn ali conclufit. Idē ingeniorū arva nūc emollit, nunc induūt, nunc fœcūdat, nūc exaſperat: idem theſauros doctrinarum, veluti auri venas, nunc promit, nunc recondit: huic ſeculo omnium artium lucem: illi tenebras Gothicas remittit. Fruſtrà itaq; Deo *minùs propitio, vigiliis & lucubrationibus noctes conficiunt: fruſtrà omnes urbes, vicig; ſcholis & gymnaſiis complentur: fruſtrà à ſtudiorum laboribus omnia etiam, quod dicitur, alia rumpuntur: fruſtrà chartis & literis omnes temporum articuli, ex præſcriptio Plinii, impendantur, Qui verò juſtiſſimus ille rerum arbiter, eorum temporum ſtudia, non adverſo vultu intueri, qui iraſci & vehementiſſimè ſtomachari, qui non flammas ac ignes moliri, qui non peſtem, famem ferrum, vaſtitatem, qui interitum meditari non poſſit? Quo fremitu exarîiſſe plebem Erphordenſem, ſuperioris ſeculi anno vigeſimo octavo, ex ſenioribus audivimus, cùm petulantiùs Academiæ juventus, quæ tum temporis frequentiſſima ibidem erat, adverſus cives ſeſe geſsiſſet, cùm tumultibus nocturnis urbem laceſsiſſent, cùm lapidibus domos & recta obruiſſent cùm feneſtras & fores hoſpitum fregiſſent? Quid verò tum factū?*

Excitus

Excitus magno agmine populus, collegiorum domos, admotis etiam tormentis bellicis, obſedit, expugnavit, ac ut quemq; juvenum ſtudiorum, velut hoſtem, arripuit, vulneravit, trucidavit, neq; priùs conquievit, quàm vitulantium adoleſcentum multitudo mœnibus eſſet urbis profligata. Jacet ex illo die etiamnum, olim florentiſſima Academia, quæ tanta auctoritate & exiſtimatione eruditionis erat ut numero literatorum majoris pretii ac nominis haberetur, quàm qui Erphordenſis *Academia inſignibus eſſet ornatus. Tanta verò frequentia itidem florabat, ut etiam Eobanus qui poſtea in hanc noſtram ſcholam ſeſe contulit, poëtarum interpres, mille & quingentos auditores habuerit. Tanta præterea regni ſcholaſtici gloria, tantus publicorum actuum ſplendor, tantum universitatis lumen fuiſſe prædicatur, ut earum rerũ teſtis locupletiſſimus Lutherus, quẽ primas doctrinæ aureolas in eadem conſecutũ eſſe cognovimus, Germaniæ paradiſum id ætatis Academiam iſtam fuiſſe affirmaſſe ſcribatur. Quid ergo? cum ea quoque hominum ira ac vindicta adverſus hominum injurias exiſtat, putabimúsne vindicem cœleſtem, qui Deus adverſũ iniquitatẽ omnẽ eſſe flammeas dicitur, metiore animo cõtra mores iſtos hodierni ævi, qui longè pejores, quàm ullis unquã majorum ſeculis auditi ſunt, futurum. Neronem quidem bipedum nequiſſimum legimus, ut* Dion *prodit, cùm univerſam Græciam peragraret, vete-*

resq;

rèsq; urbes ac inſulas luſtraret; Athenas conviſet re, eam ob cauſam recuſaſſe, quòd ibidem Erynnidas ac furias habitare diceret. At nos fortaſſe exiſtimabimus, Deum optimum in iis locis & caſtris verſari poſſe, in quæ multò veriùs affirmare poſſis, omnes Eumenidas ac furores ex infernis ſedibus commigraſſe. De qua communi Academiarum peſte, quod vehementiſſimè dolendum eſt, omnes boni undiquaque viri conqueruntur, calamitant doctores, indignantur Mecœnates: nutritios ſcholarum, principes illuſtriſſimos, ſumptuum, ornamentorum, privilegiorum, beneficiorum malè collatorum pœnitet, maluntq; ideo diſſipatas, quàm diſſolutas Academias videre. Quid verò? Nonnè ſummum illum rerum optimarum largitorem arbitrabimur, munerum ſuorum maximoperè pœnitere, cùm cœleſtes illos animi theſauros tanta ingratitudine deformari, pedibusq; protervis paſſim conculcari animadvertat. Scitum illud de veteri Epidamno, Græciæ urbe, quæ poſtea Dyrachii nomen ſortita fuit, comici verbum atq; alluſio habetur. cùm Epidamnum ex eo dici Plautinus ſervulus argumentetur, quòd nemo peregrinorum, propter perverſiſſimam civitatis diſciplinam, ſine damno eò divertat, ſine damno nemo inde redeat. Quam vellem profectò, ſtudioſi auditores, ne de quamplurimis etiam ſcholis atque Academiis, quæ cuncta ſalutis ſeminantia, fontesq; tum publicæ, tum privatæ utilitatis eſſe debebant,

idem

idem prædicari poſſet; in quibus quemadmodum antiqui etiam Imperatores. Leo atq; Zeno, ad Euſebium magiſtrum officiorum ſcripſiſſe, deq; eadem te vehementer conqueſti fuiſſe leguntur. ut ex l. 2. C. de privil. ſchol. perſpicuum eſt, ſub prætextu conceſſi privilegii, & flagitiorum creſcit auctoritas, & publica vacillat utilitas, in quibus, non patris Ciceronis facundia; non eruditio, ſed filii Ciceronis temulentia, furor atq; helluatio, velut in Lapitharum Schytarumq; gurguſtiis, aut in Hippiæ, quas Tullius Antonio objicit, nuptiis, ſumma virium contentione exercetur: in quibus tanquam in Mithrydaticis compotationibus majori laudi ac gloriæ vertitur egregium potatorem, quam inſignem oratorem haberi. Quæ quidem ingeniorum labes non noſtri primùm ævi moribus increbuiſſe, ſed antiquo vitio Germaniæ Gymnaſijs ac Academiis inſediſſe, à Sylvio ſæpiùs vobis nominavi, perhibetur. Non enim hoc loco poſſum præterire illud. quod idem de quadam Saxoniæ noſtræ Univerſitate, quæ ex diſſipata Pragenſis ſcholæ ruderibus erat excitata, & quaſi colonia nova tũ temporis deducta, proditum memoriæ reliquit: feſtivum profectò acroama! Cùm enim Leonardus Filſecbius, equeſtri familia natus, in Paulò antè excitatam Academiam fortè appuliſſet, deq; ſobrini ſui ſtudiis ac moribus, qui eodem ut literis mereret, à parentibus miſſus erat, diligenter, ut fieri ſolet, perquiſiviſſet, homo, qui

tum;

homo qui eum, de quo quærebatur, utpote familiarem commilitionem noverat, interrogatus: optimè, inquit, illius tui propinqui res ſeſe habent: Inter mille enim ac quingentos, qui in hac urbe ſtudiorum gratia verſamur, adoleſcentes, ille unus potandi gloriam ac palmam obtinet. Quis verò egregiam hanc Academici hominis commendationem non agnoſcit? quis hodierni ævi judicium nō idem audivit? quis eoſdem triumphos in Academiis hodiernis, & quidem multò ſuperbiores non perſpicit? Ex illo autem tot malorum fonte cauſæ etiam reliquæ, quæ cauſam & ruinam ſtudiorum trahere, vaſtitatemq́ literis univerſalem inferre ſolent, proficiſcuntur, de quibus quoque pluribus hinc à ſeculis Æneas Garzeus, ſcriptor antiquus, qui imperio Zenonis floruit, ſuam ætatem paulatim in illas, quæ poſtea ſecutæ ſunt, tenebras illabentem admonuit. Quæ verò illæ? falſus amor literarum, & confuſa diſcendi methodus. Duæ profectò capitales ſtudiorum omnium peſtes, quæ omnibus ferè Univerſitatibus ac ſcholis erexiſſe vexilla ſua hodie videntur. Nec illud tamen admirandum: ubi enim vera doctrinæ cupiditas, ubi ſtimulus, ubi ardor, ubi animus, ubi ſolertia, ubi navitas ulla eſſe poterit, ſi principium omnis ſcientiæ, timor nimirum Dei ſubmoveatur? Quomodo verò vetus diſcendi amor & ſtudium cum pravitate morum, cum pro tervia conjungi ullo modo poteſt? Perpetuis ſiquidem illa, quaſi mutuis præliis, ſibi adver-

adverſantur. Ex illa enim parte animi quies & tranquillitas: hinc æſtus & furor pugnat: illinc diligentia & aſsiduitas: hinc deſidia & inertia: illinc ſtudium: hinc otium: illinc pudor & modeſtia: hinc petulantia ac libido: illinc obedientia ac gravitas: hinc rebellio & levitas: deniq; temperantia, continentia, prudentia, virtutes deniq; omnes, certant cum luxuria, laſcavia, temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremò bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia bona deniq; ſpes cum ſtudiorum omnium deſperatione confligit. Quid verò de præpoſtero diſcendi ordine dicant, in quo certiſsima fundi Academici calamitas, ac ſtudiorum exitium verſatur? Quis non ſingulare perturbationis divinitùs immiſsæ genus agnoſcit, in Sodomea illa cæcitate ac caligine, quam etiam Hebræi peculiari vocabulo, Baſanſerim vocant, cùm videntes apertis oculis nihil videant, quod manu apprehendunt, quod tenent, quod palpant, non ſentiant, non animadvertant? At, ejuſdem erroris tenebræ maximopere vereor, ne etiam in ſtudiorum liminibus, & in liberaliorum artium itineribus hodie inveniantur. Quotusquiſq; enim recta via in adeundis literiis utitur? quotuſquiſq; ex ipſis fontibus genuina doctrinæ metallam petit? per præcipitia per anfractus, per diſpendia plerique irruunt ac in quo certiſsimus lapſus ac ruina poſita eſt, quemadmodum etiam Gregorius Pontifex de re iſta

monuit

monuit, ad ſummum faſtigium per abrupta inferioribus gradibus poſthabitis, contendunt? Plerique etiam cum Icaro iſto fabuloſo, quod, ut in Plautina ſcena legitur omnium officilium eſt, ſine pennis volant. Quid enim hoc alind, quàm quod fieri vulgò videmus, perorant, antequam loqui didicerint? diſputant, antequam rem legerint, nedum intellexerint: concionantur, antequam Biblia viderint; in forum poegrediuntur, antequam cunabolam legitimi ſtudii attigerint: opium miſcent, antequam apium cognoverint. Sed quis vias omnes errorum: & tam prapoſteri ordinis rationes perſequatur? Si modò rationes, ſi avi ulla dicendæ ſunt, quæ à compendio in diſpendium, à luce in caliginem, à celebritate in vaſtitatem, ſcientia in ignorantiam, ab optima cultura, in ruditatem ſeducant.

Verum ne ipſa hæc oratio longiùs abripi, & à portu deflecti videatur, vela colligam, finemque dicendi faciam, cùm perſuaſiſſimum mihi habeam, neminem veſtrum, ſtudioſi lectiſſimi, fore, qui nõ ex ipſis, quæ dicta ſunt, abundè intellexerit, tum propter hominum ingratitudinem, inobedientiam ſuperbiam, petulantiam, laſciviam proterviam, aliaque vitia & ſcelera, florentiſſimas veterum gentium ſcholas divina animdverſione eſſe diſſipatas, verſas & everſas: eſſe ex natione alia in aliam, ex orbe in orbem, ex provincia in provinciam literas & artas tranſlatas, eſſe præſtantiſsimas ingenio cultu-

cultuq; terras, Scythica barbarie & ruditate mulctatas: Tum vero non videat, nõ cognoſcat, eandem optimorum ſtudiorum ruinam, idem artium & literarum exilium, eundem humanitatis interitum noſtris temporibus vi maxima imminere. Cauſam itaq; morbi, ut arbitror, cognitam habemus; medicinam ipſi nobis ſalutem piis votis & precibus, vitaq; ac morum emendatione adhiberi poſſumus. At illud faxit æternus omnis eruditionis & ſcientiæ fons, Deus, ut ad nos ipſi reverſi, reverti nobis omnem felicitatem, proſperitatem perpetuamq; ſalutem faciamus: cui immortales cunctis animi vocibus agimus gratias, quod paternæ miſericordiæ memor, exardeſcere gravius ſuam adverſus nos iram non fuerit paſſus, quod è medio curſu gladiũ ſuperioris pœne revocaverit, quòd caput hujus Academiæ noſtræ, juris & æquitatis admirandum omnibus etiam exteris verticem, à quo reliquorum membrorum ſalus dependet, ſoſpitem & incolumem, cum ſumma rerum futurarum certiſſima ſpe & expectatione nobis reſtituerit, quodq; totum hunc clariſſimorum virorum conſeſſum Senatum Academiæ, integrum, valentem, florentem, coram intueamur: quòd diſſipatam frequentiam magis magisq; recolligi, auditoria ſtudiis impleri, priſtina exercicia repeti, atque omnia in florem priorem reverti videamus, ut non immeritò octogenariam hanc matrem conferre cum

 illa

illa Venuſina ilice queamus, de qua Horatius noſter ita canit:

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigra feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes, animumq; ferro.

Cœleſtis ille rerum noſtrarum cuſtos & propagator, ab omni deinceps adverſa tempeſtate hanc noſtram naviculam protegat: illuſtriſſimum noſtrũ principem, patriæ patrem, benefactorem & nutritium Eccleſiæ ac Scholæ verè divinum, quàm diutiſſimè nobis conſervet: heroicam indolem junioris principis Mauritii, Rectoris noſtri Magnificentiſſimi, omnibus animi ac corporis donis cumulatiſſimum efficiat, cunctarumq; virtutum fragrantia pulcherrimum ætatis lilium compleat: illuſtriſſimamq; reliquam omnem propaginem ab omni adverſitate defendat: noſq; omnes & ſingulos ſuaviſſimo pacis & concordiæ oſculo devinctos, in feliciſſimo pietatis, virtutiſq; ſtadio, totiuſq; ævi ac ſtudiorum curriculo longiſſimè tueatur.

ORATIO

ORATIO III,

Habita 18. Decemb. 1606.

De Illuſtriſſima familia Ducibus & Principibus, de Comitibus ab Baronibus, de nobilibus, &c. in Academiis, ſuperioribus ſeculis, Magiſtris ac Doctoribus promotis,

CVm tam ſiniſtram de Academicis honoribus ac titulis opinionem non ſolùm inter homines aulicos, & ab artium & literarum ſtudiis alienos, verùm etiam inter eos, qui in mediis Muſarũ caſtris verſati, atq; eruditionis ſtipendium amplexi ſunt, invaleſcere hodiernis temporibus animadvertamus, aut literarias dignitates, infulasq; & apices bonorum, quos in publicis Academiis & univerſitatibus virtutis & eruditionis præmio conferendos, Romanorum Imperatorùm auguſtiſſima majeſtas divino conſilio conſtituit, tum generis nobilitatem, tum ſtirpis altitudinem, tum ſanguinis antiquitatẽ, tum majorum morem & inſtitutum minimè decere vulgo exiſtiment, falſoq; tùm ſibi, tum aliis perſuaſiſſimum faciant, veteris Germanorum nobilitatis exemplis graduum Scholaſticorum ſuſceptionem adverſari, neq; ex familiis illuſtrioribus quemque facilè nominari poſſe, qui vel Doctoris aut

Magiſtri dignitatem cum dignitate generis conjunxerit: hac mea oratione, clariſsimis ſexcentorum & plurium annorum curriculis in medium allatis, à primis literarum in Germania poſitis cunabulis, innumerabili exemplorum multitudine adducta evincam, & oſtendam veriſſimis argumẽtis, nihil tum Illuſtriſſimos Principes, tum generoſiſſimos comites, tum verò nobiliſsimos quoſq; Germanorum equites ac proceres imperii, magis ſibi expetendum, majoriq; ſtudio ac induſtria ambiendum, quam literaria virtutis ac eruditionis gloriam dignitatem ac titulum Magiſtrorum & Doctorum duxiſſe. Autem & auram benigniſſimæ voluntatis præbere, generoſ. Bar. nobiliſſima ſtudiorum pubes, omnesq; literariæ reip. cives, ac hoſpites, flos & cœtos ornatiſſime. Nomina vetuſtiſſimarum familiarum audietis, inter majorum exempla partim amicos, partim cognatos & propinquos, partim conſanguineos & neceſſarios cognoſcetis. Etſi autem operæ precium me facturum eſſe non ignorem, ſi falſiſſimæ iſtius, quam audiſtis, opinionis principia, rationum firmiſſimarum monumentis expugnata, primum omnium demoliar, & ex imo fundamento diruta evertam, contraq; ipſius natura validiſſimis argumentis ac rationibus aſtruam, nihil illuſtriſſ. Principibus illuſtrius, nihil à generoſiſſimis Comitibus & Baronibus generoſius, nihil nobiliſſimis hominibus nobilius, nihil clariſsimis viris præclarius haberi,

nihil

nihil divinius comparari, nihil firmius & conſtantius poſsidēri, bonarum artium ſtudiis & dignitatibus poſſe: malo tamen anguſtiæ temporis lociquе rationibus, cedere, eaq́; commodioribus ſpatiis reſervare, idq́; eò libentiùs, quòd in harum rerum tractationibus, plus auctoritatis & momenti illuſtrium exemplorum demonſtrationes, quæ viva documenta feruntur, quàm ex intimo veritatis ſinu depromptas præceptiones, omnesq́; ſapientiſsimi Senecæ ſententias ac regulas, habere intelligam. Vt itaque ab illius ævi felicitate feliciſsimè proficiſcatur oratio; cùm primum ruditatis ac inſcitiæ communis caligine tenebrisq́; depulſis (de qua re Romanorum *annalium graviſsimus ſcriptor Cornelius referens: Literarum, inquit ſecreta viri pariter ac fœminæ Germanorum ignorant) Caroli noſtri Magni auſpicatiſsimo imperio, tum Rhenus, tum Iſter, & artium humanarum ſtudiis & divinæ ſalutis agnitione florere cœperit, cùm literarum gymnaſia & in monaſteriis & in Eccleſiis metropolitanis hinc inde conſtituerentur, cùm magiſtri & præceptores celeberrimi ex Scotia & Anglia pererentur, Rabanus, Alcuinus, Maltoſius, aliiq́; in monaſteria & ſcholas mitterentur, ſeminaria tum Latinæ tum Græcæ linguæ inſtruerentur, cùm denique prima omnium Academia regia ad* Sequanam *in Gallia excitaretur. Hic utiq; animadvertendum diligentiſsimè nobis erit, qui Caroli Imperatoris de litera-*

rum & artium dignitatibus inſtituendũ, de honoribus elargiendis ſenſus, quæ mens, quod judicium, quæ ratio fuerit. At illud haud obſcurè ex eo colligere & perſpicere quiſque poſſumus, quòd tùm ſuos tum ſuorum principum, comitum ac primatum, nobiliumq; liberos potiſſimum inſtrui, informariq; in literarum officinis, artiumq; & facultatum gymnaſiis expetierit, atq; adeò ſeriis mandatis ac edictis juſſerit, cum in Academia Pariſienſis frequentiſſimo cœtu, publica voce teſtaretur, ſe neminem neque honeſtiſſimo conſiliariorum loco recepturum, neque ulli vel præfecturæ vel curiæ munus & functionem aſsignaturum, neq; Epiſcopalem dignitatem ulli conceſſurum, qui non nobilitatem ſui generis nobilitate animi, literarumq; gloria & ſcientiarum dignitate ornatiſsimam reddidiſſet. Teſtis ejus glorioſiſsimæ vocis Eginardus, qui ſe non ab aliis didiciſſe, ſed præſentibus auribus percepiſſe confirmat, Hoc verò Caroli Imperatoris auguſtiſsimum & ſapientiſsimum judicium quid aliud, quàm quod adverſus Gothicam vulgi opinionem prædicatur, literarum & artium gloriam ac honorem ad neminem magis, quam ad nobiliſsimum quemq; pertinere, validiſsimè aſſerit? Atque judicio illi imperatoria aſtipulati omnes ſit ætatis principes, omnes comites, omnisq; Germanorum præcipua nobilitas, cùm tanto numero, tamq; incitato curſu, ad animi culturam, bonarumq; artium diſciplinam percipiendam,

dam, ex omnibus provincias in novas literarum officinas, nobiliſſima juventus conflueret, ut in finitimo noſtris Fuldenſi cœnobio, quod paulò ante Pipinus potentiſſimus Francorum princeps, Bonifacii opera, ſtudiorum domicilium conſtituerat, ſexcenti equitum nobiliſsimorum liberi, nobiliſſimo viro Sturmo *Abbate, cum aliis triginta doctoribus, artes & linguas ibidem profitente, uno eodemq; anno liberaliſsimis ingenii exercitiis incubuerint. Ac ut aliarum monaſticarum ſcolarum florentiſsimos cœtus præteream, non omittere, poſſum cariſsimæ patriæ meæ Hersfeldiæ tum antiquiſsimam, tum nobiliſsimam, à nobiliſsimis hominibus literarum & diſciplinæ gratia frequentatam eadē ætate Eccleſiam, cum Rabanus & Alcuinus uberrimos Muſarum fontes per latiſsimas Haſsiæ & Thuringiæ oras pleniſſimis rivis effunderent, trecentorumq; nobiliſsimorum juvenum ſcholam ibidem moderarentur, ex quorū numero antiquiſsimæ & nobiliſsimæ ſtirpis Haymo, cujus familia ad hunc uſque diem ad Cheruſcorum ſaltus & nomen & ſedem ac domicilium vetuſtiſsimum retinet, perilluſtri eruditionis fama, ſcriptorumq;, quæ ad hac tempora reſervata ſunt, claritudine emicuit, univerſa ille Bibliorum volumina commentariis illuſtravit, hiſtoria Eccleſiaſtica epitomen concinnavit, Evangeliorum prælectiones concionibus, eruditis exornavit,*

 tantam

tantam nominis exiſtimationem & auctoritatem eruditionis conſecutus, ut Rabanus ex Abbate & Profeſſore monaſtico Archiepiſcopus Moguntiæ creatus, viginti duos libros, quos de univerſo ſcripſit, huic ſuo diſcipulo Haymoni, ex Hersfeldenſis Eccleſiæ gubernatione, ad Epiſcopatum Halberſtadenſem evecto, inſcripſerit & dedicaverit.

Nolo, reliquos ejuſdem condiſcipulos nobiliſsimos nominatim omnes proferre. Quis enim finis orationis futurus eſſet ſi omnium indicem eorum inſtituerem, qui ex nobiſsimis familiis progreſſi, literarum gloriam, veluti unicum nobilitatis ornamentum ſunt conſectati? illos dundaxat hoc loco honorifica mentione proſequar, qui ab iſtis principiis rei literariæ in Germania jactis, ex Principum ex Comitum nobiliumque ordine, non modo literas ac artes ingenuas ſummo ſtudio perscoluerunt, ſed etiam literarum inſignia ac titulos & honores Academicos, gradibus, ut vocant, aſſumptis, maxima cum voluptate & dignitate induerunt. Digniſsimi Siquidem illi heroës, cùm gloriæ literatæ acceptis muneribus, generis ſui faſtigio literarum dignitatem cohoneſtarint, ut viciſsim ſempiternis literarum recordationibus monumentisq́; immortalibus colantur.

Seriùs autem & rariùs primis iſtis ſeculis graduum apices & titulos Magiſtrorum Doctorumque inter Germanos inventos, non eſt quod

mire

mireris, ſi publicam Academiam, unde fontes iſtorum bonorum emanant, interjectâ inter Caroli Magni ætatem, & Caroli Quarti imperium, quadringentorum & quinquaginta annorum intercapedine, nullam in Germanorum provinciis exſtitiſſe cogitaveris. Miremur potiùs ex illis tẽporum intervallis quemquam nominari poſſe, qui vel ex Italiâ, aut Gallia, vel etiam Anglia, quæ antiquiſſimas ſtudiorum Univerſitates *longiſſimis temporibus ante prima Germaniæ gymnaſia habuerunt, literariam dignitatem ac ornamentum retulerit, quandoquidem non minoribus conſtitiſſe periculis ac impendiis non minoribus viarum & itinerum difficultatibus acquiſitionem ejus præmii exploratum habeatur, quàm vel aurei Equitis cingulum & calcaria, quæ ex Paleſtinis regionibus hodie petuntur, aut aurea iſta Colchorũ vellera, qui laborioſiſſimâ & ſumptuoſiſſima veterũ Græcorum navigatione olim quæſita Jure itaque admiremur magiſtrorum omnium primum, quem ex Germaniorum nobilitate annales noſtri nominatum expreſſum habent, Philippum, qui* Henrici *in Aucupis Imp. hiſtoria prædicatur, tum nobili genere, tum eruditione, tum judicio & conſilio ſingulari. Quid autem ille? cùm ab intimis Aucupis ſecretis eſſet, & utramq; conſiliorum imperialium paginã in manu haberet, princeps & auctor fuiſſe legitur, equeſtris virtutis & fortitudinis acuendæ*

gratia, ludos haſtarum ac torneamentorum, quēadmodum appellant, ſpectacula publica inſtituendi: ſuaſit ille, & feliciſſimè imperatori perſuaſit. Inſtitutum profectò nobilitatis virtuti ac gloria tum amplificandæ tum conſervandæ longè accommodatiſſimum, quod longiſſima temporum ſerie in Germania diligentiſſimo ſtudio cultum, & ſummo honore celebratum: inſtitutum, quo nihil equeſtri ordini illuſtrius, nihil fortitudini exercendæ fructuoſius, nihil honeſtari retinendæ firmius inveniri potuiſſe, graviſſimè [à prudentiſſimis hominibus in ſuperiorum annorum imperialibus comitiis publica voce diſſertatū eſſe memini. Maximè verò cùm memorabile, tum honorificum magiſtrorum nomini hoc quis exemplum non exiſtimet? Primum ferè omnium Magiſtrorum, quem ex hiſtoriis noſtris ſciamus, in Germania virum & nobilem, & ſummum ſummi Principis conſiliarium, & longè fortiſſimi ac laudatiſſimi conſilii, nobiliſſimiq́ ordinis & inſtituti principem ac auctorem nominari? Singularem verò orationem hæc unica hujus orationis ſententia poſtularet. Quid enim? ſi hujus loci ratio & temporis ferret, annòn dicerem hujus Magiſtri Philippi cōſilio ac inſtituto omnes imperatorum & principum, comitum, baronum, heorumq́ nobiliſſimorum laudes & victorias, omnia premia & dignitates ex iſtis equeſtribꝰ certaminibus olim relatas, acceptas eſſe referendas? dicerem univerſæ Germaniæ nobilitatem

Ma-

Magiſtri Philippi conſilio & inſtituto non modò fortiſſimam, verùm etiam laudatiſſimam, diſciplina equeſtris hujus exercitij præſcripta evaſiſſe: diceremus omnium ferè nobiliſſimarum familiarum ſcuta ac inſignia, arma & clypeos Magiſtri Philippi conſilio & inſtituto plurimum enituiſſe. Sed ad aliorum gradus oſtendos gradum orationis potiùs incitemus. Doctorum omnium primus, quem ex hiſtoriis habere Germanorum poſſim, nobiliſſimus antiquiſſimo genere prædicatur Burchardus de Mangefeld, Decretalium, ut appellant, inſignibus ornatus. At quis ille? Ottonis Secundi Imperatoris Conſiliarius, qui non multùm infra annum Chriſti 974. claruit, qui veterum Saxonum jura primus declarationibus ſuis illuſtravit, & cum Cæſareo Pontificioq; jure comparavit, alter Dorotheus, alter Tribonianus Saxonum meritò ob id nuncupandus.

Ac tanta quidem ille auctoritatis in aula Imperatoriâ fuiſſe cognoſcitur, ut cùm Cæſar Otto regem Bohemorum anno 978. ex comitiis Altſtedenſibus, in quibus imperio fidem juraverat, honorificentiſſimè domum reducere conſtituiſſet, huic nobiliſſimo Doctori regii comitatus honorem unà cum illuſtriſſimo Comite Brunone, antiquiſsimæ Querfurtenſis familiæ, quæ poſtea invictiſsimum Lotharium Imperatorem Germaniæ dedit, tanquā omnium digniſsimo tanti muneris adminiſtratione, detulerit. Quid verò utrique

& Magiſtrorum & Doctorum gradui illuſtrius? quid dignitati exornandæ præclarius? quid contrariæ vulgi opinioni non modò minuendæ, ſed ſtirpitùs evertendæ validiùs, quàm amborum honorum initia, & prima gradum exempla in Germania, non ad plebejos aliquos, ſed ad nobiliſſimos tum genere, tum eruditione homines referri? Tempus me ſubſiſtere diutius hîc non permittit, ad reliquos, qui horum laudatiſſima veſtigia ſecuti ſunt, progrediamur. Diviniſſimi ſtudii abicem, ſanctæq; Theologiæ titulum perſpiciamus. At hîc mihi primus ex veteri Germania noſtra regii & illuſtriſſimi ſanguinis occurrit Johannes Dux Megalopolitanus, Primislao ſupremo Vandalorum rege avo, patre verò potentiſſimo Duce Henrico, qui omnium primus Chriſtiano fonticulo nomẽ ex illa gente dedit, natus. Quid verò ille? tanto divinæ ſapientiæ humaniorumq; diſciplinarum amore captus fuiſſe legitur, ut Lutetiam ſtudiorum gratia profectus, annosq; viginti in Academia continuò verſatus, cum ſuaviſsimis condiſcipulis ſuis, Rege Cypri, & juniore Maſsiliæ Principe, regis Galliæ filio, quem Delfinatem appellant, & illuſtriſsimo Comite Henrico octavo, antiquiſsimæ Hennenbergenſis fimiliæ, ex veteribus Salicis Regibus & Ducibus oriunda, Popponis XIII. *filio omnium jucundiſsimè vixerit. Quomodo verò? Incredibilem amorem & gratiam, per omnes gratias quæſo*

cogno-

cognoſcite tanta cum illis tribus illuſtriſsimis adoleſcentibus inita familiaritas ac concordia, ut duobus prioribus binas ſuas ſorores in matrimonium collocandas princeps Johannes ſpoponderit, easq; poſtea iiſdem nuptum dederit, & ſibi viciſsim ab Henrico Comite Lurgardin ſororem promiſſam, cum ex Gallia per mediam Germaniam ſtudiis abſolutis domum ad gubernationem patrii Ducatus contendiſſet, & in itinere ad Hennebergicum commilitonem ſuum divertiſſet, illuſtriſsimam virginem ex monaſterio Weſſeravienſi, feliciſsime conſortem conjugii, ex qua poſtmodò quinq; illuſtriſsimi Principes nati, auſpicatiſsimè duxerit. Digniſsimum omnium ætatum memoria ſuaviſsimæ in literis & ſtudiis vitæ, Academicæq; converſationis & farternæ conjunctionis monumentum, cui neq; veteris illæ de Damonis & Pythiæ, de Pyladis & Oreſtis amicitiis, anteferri recordationes poſſunt. Nolite verò exiſtimare illos viginti ſtudiorum annos noſtri ſeculi more, inutiliter illuſtriſsimo illi adoleſcenti aleis & cyathis tranſmiſſos, aut in ephippiis magis, quam in Muſarum hemycicliis conſumptos, cujus eò omnes labores & diligentiſsimæ lucubrationes ibant, eò omnis ſtudii atq; animi contentio ſpectabat, ut non ante ad dulciſsimos patriæ lares, ad opes & fortunas avitas, ad feliciſsimæ ditionis gubernacula domum reverteretur, quàm exacto glorioſè ſtudiorum curriculo, ſanctiſsimæ Theologiæ nomen ſuum confe-

conſecraſſet, Doctorisq; titulum meritâ cum laude retuliſſet, Quod certè feliciſsimè ex animi ſententia ipſi contigit. Illuſtriſsimus enim Princeps Theologiæ Doctor in Academia Pariſienſi publicè renunciatus, domum glorioſiſsimè rediit, patriam laudatiſsimè rexit: ſuſceptaq; deinde contra Livones expeditione, dux fortiſsimus hoſtes vicit, victos Doctor ſanctiſsimus ad fidem Chriſtianam convertit. Amplectimini mecum, clariſſimi Theologi, in illuſtriſsimo ſanguine antiquiſsimum divinæ veſtræ ſcientiæ titulum. Non alios complures id ætatis exemplum hoc ſecutos eſſe, nemo mihi perſuaſerit, celebriorem tamen nullum fuiſſe, Alberto, quem ab ingenii magnitudine Magnum appellarunt mecum omnes facilè ſtatuetis. Natus ille generoſis parentibus, ex familiâ antiquiſsimâ de Bolſtat in Suevia, non procul ab urbe Lavingenſi, Varro Germanorum, imò & Carone & Varrone, quorum alterum omnium bonarum artium magiſtrum Plinius nuncupavit, multò doctior. Quid enim Ariſtotelis, quid Platonis ingenium comprehendit? quid acumen Carneadis excogitavit, quod ille non ſuperaverit? quam arcaniſsimam Philoſophiæ partem non excuſsit? hic certè omnium primus oſtendit, quò Germani ingenii alacriter eniti ſtudio & induſtria poſſit: ducentos & viginti libros ſcripſit: in omnibus ferè monaſteriis Germaniæ docuit, Lutetiam & paduam admiratione ſui complevit: Vir generoſiſsimæ nobilitatis

Academicum Doctoris titulum Pariſiis aſſumpſit: Thomæ Aquinatis, quem Doctorum omnium Doctorem & Magiſtrum totius orbis appellant, Germanus hic noſter Magiſter & præceptor exiſtit, Digniſsimus profectò generoſiſsima nobilitate Theologici tituli gradus! Quid enim & ſuperiorem tam illuſtris ac regii ſanguinis Ducem ac Principem Johannem? quid generoſiſsimum hunc Albertum (idem & princeps & Epiſcopus Ratisbonenſis fuit) quid nobiliſsimum virum magis exornare ac illuſtrare potuit, quàm diviniſsimi ſtudii ornamentum, ac cœleſtis ſcietiæ gloria? ſi enim ii, quibus Imperatorum ac Principum celſiſsimorum conſilia & legationes illuſtres committuntur, per tanti muneris ac officii dignitatem, nobiliſsimi habeantur, quid divinorum myſteriorum ſcientia, de nobilitate & excellentiâ ſtudii divini, de dignitate divinæ legationis judicemus? Celebrant itaque non immeritò annales Principem & Epiſcopum Meiſnenſem, Theologiæ Doctorem, *& Albertum alterum, nobiliſsima familia de Motſchen oriundũ, qui circa An. 1258. totâ Saxonia floruit. Celebrant Echſtedenſis Eccleſiæ monumenta vetera, nobiliſsimum Epiſcopum Philippum de Rathmanshauſen, diviniſsimæ itidem ſcientiæ Doctorẽ. Celebrant eorundem temporum conſignatores, Henricum de Clingenberg, Decretalium Doctorem, nobiliſsimum virum, & rerum politicarum,*

ſtudiiq;

ſtudiiq; hiſtorici peritiſsimum; quem eruditionis ac ingenii fama Imperatoris Rudolphi I. Cancellarium conſtituit. Extant illius induſtria conſcripta Chronica familia Habſpurgica, memoria perenni digniſsima. Sed ne prateream, quem ſingulari ſtudio notavit Aventinus lib. 8. Annal Bavar. Leopoltum de Bebenburg, nobiliſsimum Francum, Principem & Epiſcopum Papebergenſem. Quis ille? Primus Germanorum U. J. Doctor ab hiſtorico graviſsimo appellatur, qui cùm nondum Viennenſis Academia, omnium Germanicarum prima, reliquarumq; mater, ab Alberto & Rudolpho fratribus, Auſtria ducibus, anno 1356. inſtituta eſſet, non ſolùm glorioſo Doctoris titulo, ſed etiam doctrina monumentis, multorumq; inſignium librorum ſcriptionibus clariſsimus illuxit. Scripſit enim de juribus Imp. Rom. ſcripſit de trãſlatione imp. ſcripſit de zelo Chriſtiana Relig. Veterum princip. Germ. qui poſtremus liber Rudolpho Electori Saxonia, ex illuſtriſsima & antiquiſsima Aſcania domo oriundo dedicatus. Fuit hic primus J. U. in Germania Doctor, ut antiquiſsima, ita longè opulentiſsima familia, cujus majores ditiſsimum & florentiſsimum Schonthalenſe monaſterium in Otthonio ſaltu adificarunt. Attendite Germania Doctores, exemplumq; primum dignitatis veſtra nobiliſsimum cognoſcite: ſed longè illuſtrius, nulloq; modo cujus omnibus iſtis nominibus, qua hactenus audiſtis, conferendum,

dum, exemplum Magiſtri, Magiſtri percipite. Literarũ ac artium ver quaſi quoddam novum, Caroli Quarti, ſummi Muſarum patroni, imperio effloruerat, cum à Gymnaſii Viennenſis inchoatione quadriennio poſt, ſplẽdidiſsimis auſpiciis, Pragẽſis Academia in vicino Bohemiæ regno excitaretur, ad quam non tam novitatis celebritate, quam incredibili regis Caroli erga literas provehẽdas beneficentia, tum Regum, tum Principum, tum plurimum ex Germania primatum nobiliſſimorum liberi illecti, copioſiſſimo agmine, tanquam ab uberrimum virtutis & eruditionis omnis emporium confluebant. Contendit eòdem ex hac florentiſſimâ Imperii Provincia Haſſia, Princeps Hermannus, Ludovici principis Haſſiæ filius, qui, cum tam incredibili diſciplinarum amore, ac cupiditate ſtudiorum flagraret, ut, ſecundùm Alexandri Magni ſententiam, ad Ariſtotelem regio animo exaratã, mallet omni regno & gubernatione imperii, quam ſcientia literarũ carere, certiſſimo ſibi animo propoſuit ad ſumma faſtigia eruditionis, qua nihil viro principe dignius eſſe intelligebat, omnibus velis & remis feliciſſimi ingenii aſpirate. Invitabat vehementiſſimè ad literas natam heroica naturæ indolem, inter alia tum domeſtica, tum externa celſiſſima virtutis exempla. Imperatoris Caroli majeſtas, quem in ſubſelliis Magiſtrorum ſedentem multoties videbat, cum doctoribus publicè diſſerentem audiebat; de rebus naturalibus, de divinis

de civilibus ſtudiis facunde & perite diſputantem, obſtupebat. Quid fit? cùm non minùs honeſtum ac decorum principum liberis eſſe, eruditionis ac virtutis togatæ dignitates, quam militaris ordinis inſignia, & aurati equitis calcaria induere; rectiſſimè judicaret, progreſſus ſuorum non modò publicis teſtimoniis, doctorumq́ amplisſimis ſuffragiis comprobari, verùm etiam publico eruditionis titulo, gradu & nomine inſigniri voluit. Vidit itaq́ principem illuſtriſſimum ex Imperatorum, antiquiſſimorumq́ regum ſanguine natum, Academiæ Pragenſis ſumma cum voluptate, maximaq́ tum Cæſaris, tùm univerſi regni congratulatione & applauſu, Magiſtrum ſolenniter creati. Vidit univerſa Bohemia divæ Eliſabethæ, Rege Ungariæ Andrea potentiſſimo & victorioſiſſimo natæ, at nepotem, atavitæ ingenii & ſpiritus adoleſcentē, divinæ Philoſophiæ conoris & titulis, togatæ virtutis præſtantiſſimum heroem condecorari. Quid verò Magiſtrum principem divina felicitas admirabili rerum omnium ſucceſſu complexa eſt, adeò, ut paucis inde ab annis totius principatus Haſſiaci legitimus heres, ſucceſſorq́ fuerit, cœleſtis numinis ſingulari proviſu, ſolus conſtituus. Feliciſſimū & ſtyli & pili heroem! quæ duo ſe non potuiſſe conjugere Sfortia dicere ſolitus erat, Feliciſſimum non modò literarum ſed etiam armorum gloria, omnium hoſtium victorem! Quis enim tam ignarus rerum

noſtrarum

noſtrarum, qui neſciat bellicoſiſſimi Principis Hermãni Magiſtri laureas, triumphos, & fortunatiſſima prælia? quis non audivit tria millia in exercitu plurimorum Comitum & equitum nobilium, qui ſeſe inimiciſſimæ conſpirationis fœdere colligarant, fortiſſimè fuſa, ſuperata, deleta? quis ex noſtris annalibus cædes & ſtrages ad Lanum, ad Adernam, ad Viſurgim factas? quis acervum cadaverum non cognovit? Vide, quæſo, quid artes cum Marte conjunctæ efficiant: vide, quid Palladis clypeus in præliis valeat. Sed hoc unicum illuſtriſſimi ingenii exemplum, longiſſimum non modò orationem, ſed ingentem Iliadem poſtularet. De quo quidem exemplo illuſtriſsimus princeps Auguſtus junior, Brunſvicenſium & Luneburgenſium Dux in publicè edita oratione, quam in Academia Tubantum, cùm Rectoris purpura indutus eſſet, annis ab hinc decem habuiſſe prædicatur, honorificentiſſimè recordatus, cœlo uſq; præclariſſimum vetuſtatis teſtimonium extulit, quod potentiſsimi Germaniæ principes non modò principatibus ſuis florentiſsimis, verùm etiam ſibi ipſi & literas & literatos viros præferre voluerint.

Atque idem converſa ad patres Academiæ, cunctosq; profeſſores clariſsima voce, antiqua iſta laudatiſſimi principis Hermanni ſimiliumq; exempla debere omnibus hominibus literatis, ac eruditionis dignitate inſignitis, ipſo ære, æqua

re,aqua & igni antiquiora & ac potiora eſſe pru-dentiſſimè judicavit. Vidèo oculus & ora veſtra Canditati,dum hæc loquor,admiratione & ſtupore quodam occupati. Ipſi fortè magiſtrum tantum principem vix creditis? ſed ut facilius credatis,plura exempla neq; minora vobis proferam. Cattorum principem Hermannum imitatus illuſtriſſimus Dux Lotharingiæ Richvinus. Quid verò ille magiſterii venerandi gradum, nomen & titulum princeps idem aſſumpſit. Teſtantur illud argentoratenſium Epiſcoporum Annales,quorum in numero trigeſimus ſeptimus magiſter Riebvinus memoratur. At hic ſi urbium Rheni coronam Argentinam, quæ, quemadmodum de Maſſilia veteri Romani prædicaſſe ſcribuntur omnis bonæ diſciplinæ magiſtra, neque minus armorum, quàm artium inſtructiſſima officina habetur,interrogemus pluſve oblectamenti, plus decoris ex antiſtitis illuſtriſſimi gemmis auroq; inſignia infula, atque regali ejuſdem lituo,quàm ex divinæ philoſophiæ flore, quo eundem indutum videbat,perceperit? Quid ſumma prudentia & judicio rempublicam reſponſuram, nobis eſſe arbitremur? Nihil profectò aliud, quàm quod præclariſſima Mytilenorum civitas, conſilio Attici oratoris,perſuaſiſſimum ſibi habuit, in rerumpub. adminiſtratione nihil literarum & artium cognitione ſublimius,nihil viris eruditis præſtantius,nihil ingenii,ornamentis honoratius,nihil divinius haberi poſſe: & quod ſapientiſſimum imp.

Sigiſ-

Sigiſmundum graviſſimè judicaſſe ferunt, quod videlicet principes naſcantur, quòd creentur, illud ad fortunam, ad caſum & arbitrium, quod autem doctores & magiſtri fiant, illud ad ſolam virtutem & animi divinitatem referri. Quod certè perſpexiſſe illuſtr. Ducum Geldriæ domus, ex hujus rei perquam memorabili exemplo eô cognoſcitur. At quod illud? Duo in provincia ſuperioribus ſeculis fratres germani, Arnoldus & Wilhelmus, Egmondanæ familiæ Duces, avitam gubernationem tenuerunt, quorum natu major, cum doctrinarum admiratione apud potentiſſimos quoſque reges, ipſumq; pontificem Paulum ſecundum in maxima exiſtimatione haberetur; Wilhelmus, cum ſe ob ruditatem ac inſcitiam artium fratri poſtponi animadverteret, tanto rubore affectus eſſe ſcribitur, ut Lutetiam miſſos ſuos liberos non ante reverti domum voluerit, quàm publicis Academiæ teſtimoniis & inſignibus graduum acceptis, Magiſtri artium ibidem declarati eſſent, ne quod patri acciderat, idem filiis eveniret, quemadmodum illud Hadamarius lib. de inſt. princip. memoriæ proditum reliquit pulcherrimum rectiſſimi conſilii ac judicii exemplum: cujus intuitu & admiratione ne ſatiari quidem ingenuus animus unquam poteſt. Quid verò, ornatiſſimi magiſtri, vobis honorificentius, quid commendatius recitari, quid ſtimulos & faces in vobis majores excitare queat, quam tot illuſtriſſimi ſanguinis, potentiſſimaq; hæreditatis

principes, antiquiſſimos à majoribus acceptos titulos ſplendidiſſimas dignitates, ac nomina, literarum & artium gloria ſubmiſiſſe, laureas ſcholaſticas ſtudioſiſsimè quæſiſſe, gradus Academicos petiiſſe, ſupremamq́; nominis immortalis laudem in ſtudiorum inſignibus repoſuiſſe? Plus etenim profectò plus veræ laudis & gloriæ, exemplo proprio, cognoſcebat Geldricus ille, quem audiſtis, pater, in ornamentis immortalibus animi, ac in ſolidæ eruditionis, qua ſeſe carere vehemẽter dolebat, nominè, quàm in longiſsima majorum ſerie, cujus ab Ottone illuſtriſsimo Naſſoviæ Comite, per tot bellicoſiſsimos duces Reinboldos glorioſiſsimè deductæ, commendationem habebat, collatum eſſe. Sed & illud ipſum majorum ætatibus ante prudentiſsimè ſenſerat, Illuſtriſsimus Haſsiæ & Thuringiæ princeps Ludovicus 4. Landgravius, qui Imperatoris Conradi 3. gener. ac Henrici Brabantini ducis, Haſsiæ Landgravii, à quo illuſtriſsima ſtirps hodierna Cattorum principum deſcendit abavus fuit. Quid autem ille? Extat etiamnum ejus ad regem Franciæ Ludovicum ſcripta latinè epiſtola, qua ſeſe omnes velle ſuos filios, affirmat literarum ſcientia imbui, ac ſtudiis liberalioribus excoli, atque in iis, ſi quis feliciore ingenio & captu fuerit, perſeverare, miſitq́; regis favori commendatos ea de cauſa majores natu duos Lutetiam, ut quàm diligentiſsimè bonis artibus principe digniſsimis

operam navarent. Intellexit videlicet bellicoſiſſimus princeps (ille quippe eſt, qui, ut quantum, ſi velit, malo vicino, virtus & potentia armorum nocere poſſet, Archiepiſcopo Moguntino ſignificaret, Erphurdiæ mœnia, ſi fidem faſtis Thuringicis adhibeamus, una nocte deſtruxit) intellexit, inquam, veriſsimum eſſe, quod Vegetius rei militaris magiſter graviſsimè prodidit: Neminem plura, quam principem ſcire oportere. Quod cùm ſeriùs animo perpendiſſet Ludovicus Haſsiæ princeps, qui ob ſingularem manſuetudinem Mitis cognominatus fuit, ſuperioris principis Hermanni doctiſsimi filius, ideò oblatum imperii ſceptrum, Aquilaq; altitudinem, Sylvio teſte, repudiaſſe dicitur, quòd cùm à literis nudus eſſet, commode reip. Chriſtianæ gubernaculo præeſſe ſeſe non poſſe, cenſeret. Quid Deum immortalem, audimus? Ergò, ſi optimus ille princeps paternam ſcientiam cum hæreditate complexus eſſet, fortè Iovis ales etiamnum nidum ſuum ſub leonis Haſsiaci fortiſsimo præſidio haberet. Sed reliqua ætatum ſpacia percurramus: Occurrit nobis illico ex illuſtri familia Comitum Hohenbergenſium princeps Albertus, qui eruditione ſingulari celeberrimus, Doctorque, Herbipolitanam inſulam ingenii raritate conſecutus, Franciæ Orientalis ducatum, inſignemq; ſtola & gladio Eccleſiam, feliciſsimè gubernavit. Occurrit ex gene-

roſiſsima veſtra familia; illuſtres domini Barones, quorum præſentia bujus noſtri auditorii frequentia plurimum illuſtratur, Benedictus de Walſtein, qui in Pragenſi Academia Magiſtri titulum, præſentibus Ducibus *aliquot Bavariæ, glorioſiſsimè aſſumpſit. Occurrit in ejuſdem avi tramite Ludobertus de Wenden, quem Weſtphalia univerſa Doctorem admirata, principem & Epiſcopum Oſnabrugæ anno 1352. contemplata. Inclaruit iiſdem temporibus Ditbericus de Niem, S. Theol. & Decretalium Magiſter, nobiliſsimus hiſtoriarum ſcriptor, princeps & Epiſcopus Verdenſis, cujus coætaneum Ditbericum de Goëch Magiſtrum Medicinæ, principem & Epiſcopum Miſnenſem, vobis clariſsimi medicinæ Doctores, notiſsimum eſſe arbitramur. Adoleverant interea in Germaniâ Academiæ Heidelbergenſis, Colonienſis, & Erphordiana, fatali quadam felicitate uno eodemq; anno 1387, excitatæ. Creverunt inde Magiſtrorum, Doctorumq; per Germaniam tituli, creverunt nomina & dignitates in familiis nobiliſsimis. Optarem ipſe ſeculo vocem dari poſſe: Deum immortalem, quot centurias nobiliſsimorum virorum à quadringenteſimo ad quingenteſimum annum numerari poſſe arbitramini? Audiretis* Sebſtianum *de Hornbeim I. U. D. nobiliſsimũ: Audiretis Uldaricũ de Albach, nobilem Weſtphalum, Doctorem Decretalium, comitis Henrici Hojenſis in Epiſcopatu conſequendo Verdenſi competitorem: audiretis*

Johannem

Johannem de Wallerodt, nobiliſſima ad hunc uſq; diem familia, principem & Epiſcopum tum Rigenſem, tum Ultrajectinum, J U.D. cujus lepidiſſima apophthegmata notitiâ celebri etiamnum circum feruntur. Nominaretur Petrus de Hauvvitz, nobilitatis celeberrimæ, Decretalium Licentiatus, princeps & Epiſcopus Citienſis ac Naumburgenſis! Nominaretur illius Anteceſſor, Johannes de Schlenitz, celeberrimus Decratalium Doctor. Ejuſdem gradus nuncuparetur Johannes de Aſell. princeps & Epiſcopus Verdenſis, qui veterum literis magnæ ſcientiæ vir prædicatur, quo neminem tum ſtudioſiorem tum feliciorem Alcymiſticarum inventionum fuiſſe perhibent. Licentiatus non omitteretur U. J. Fridericus de Parsberg, princeps & Epiſcopus Ratisbonenſis. Laudaretur Theolog. Doctor & cancellarius Alberti Imperatoris, Joannes de Eich, Eichſtadenſis Epiſcopus, quem auream Germaniæ columnam Sylvii literatiſsimi pontificum epiſtolæ prædicarunt. Nec verò ultimo loco ponendus nobiliſſimus artium Baccularius Gerardus de Blintheim, Ulmenſium celeberrimus Præpoſitus Sed & eam ætatem ornarunt plurimum Ulricus de Rechberg, nobiliſs. J.U. Fridericus â Blanckenfels, Epiſcopus *Ratis b.* Decretal. & *inſigne ſeculi lumen, decusq; Weſtphaliæ, Arnoldus de Weſtphal, Decretalium Doctor, & civilis juris Licentiatus, nobiliſſima, omnibusq; notiſſima in*

 his oris

bis oris familiæ, quem non modò in plurimis Academiis ſtuduiſſe, verùm etiam publicè leges civiles docuiſſe accepimus, quemq́; eruditionis gloria ad Epiſcopalem Lubecenſis Eccleſiæ dignitatem evexit. Celeberrimi præterea fuerunt Melchior à Stambeim, nobiliſſimus juris Doctor & conſiliarius Ducum Bavariæ, Dietbericus à Buxdorff, ordinarius in Academia Lipſenſi Juris profeſſor, cujus Repertorium in Speculum Saxonicum, nemini Juris candidatorum puto incognitum, qui ex profeſſorio ordine ad Citienſem, & Naumburgenſe Epiſcopatum emerſit. Habetis ex illo ſeculo veſtri nominis ſingulare decus, ornatiſſimi Magiſtri, Johannem de Schonberg, Epiſcopum Miſnenſem, nobiliſſimum philoſopaiæ Magiſtrum: habetis, Licentiati, Bertholdum de Landsberg: habent Theologi Vincentium à Molsdorff, quem omnes Italiæ Cathedræ docentem admiratæ; habetis, Juriſperiti, Johannem de Breittenbach, Juris conſultum celeberrimum, & lipſenſis Academiæ ordinarium. Nolim hìc præteriri Johannem Nauclerum, hiſtoricorum anteſignanum, quem nobiliſſimæ & antiquiſſimæ familiæ virum prædicat graviſſimus teſtis Reuchlinus in ejuſd. Chron. præfat. J. U: Doctorem & Cancellarium Academiæ Tubing. Eberhardo Duci Wirtenbergico dilectiſsimum, & inter familiares familiariſsimum; teſte Philippo in Orat. de vit. Eberhard. Nolim omitti Cunradū Peutinge-

tingerum, ex antiquiſsima Suevicæ nobilitatis claritudine ortum J.U.D. trium q; Impp. Friderici III. Maximil. I. & Caroli Quinti Conſiliarium intimum, nec non Oratorem & Hiſtoricum celeberimum, cujus ſermones convivales de mirandis Germaniæ antiquit. circumferuntur, de q; gentium migrationibus eruditiſsima lucubrationes leguntur. Nolim ſileri nobiliſsimæ ſtirpis Chriſtophorum ab Hagen in Hadmarsleben, J.U.D. & equitem auratum clariſsimæ celebritatis, qui avitas opes & gloriam majorum virtutis & doctrinæ adjumento ſumopere amplificavit. Tranſeam vero Phœnicem ætatis ſuæ dictum Georgium ab Andelo, primum Baſilienſis Acad. Rectorem *nobiliſsimum, teſte Urſtiſio, juriſq; Canonici Doctorē? Tranſeam nobiliſsimum Georgium à Gemmingen, U J. Doct. &* Spirenſis *Eccleſiæ primarium, quem Philoſophum celebrem, Oratorem facundum, poëtam gravem, & ſingulare ſtudiorum præſidium, appellarunt. Summum mihi ætatis quingenteſimæ faſtigium ſupereſt: quis ille? Joannes à Dalburg, Rudolphi Agricolæ diſcipulus, juris Doctor & Profeſſor Heidelberg. ex profeſſore Epiſcopus Vormatienſis creatus, cujus facundiam Latinam Pontificis Innocentii octavi conſiſtorium obſtupuit, gravitatem & eloquentiam Rex Ludovicus Galliæ cum univerſa curia Pariſienſi admirari ſatis & deprædicare non potuit. Extant illius carminum libri; extant epiſtolarum & orationum*

volumina

volumina: extat de morte Rudolphi præceptoris panegyricon: extat Germamicorum vocabulorum ex Græcis originibus derivatorum bis mille collectio, cujus nobiliſſimi profeſſoris & principis eruditiſſimi obitus, in annum milleſimum quingenteſimum tertium incidit. Aggrediar curſum ſubſequentis ſeculi, in quo omnes qui in hoc circo verſamur, in lucem editi? Vereor, ne patientia veſtra, auditores nobiliſſimi, abutar: Sinite me, quaſo, quàm breviſſimè ea, quæ ſuperſunt, deliberare, omnium catalogum non inſtituam, quis enim poſſit, qui Homericorum militum numerum longè excedat? Ex infinita propemodum multitudine vix tertiam partem eorum attingam qui celebritatis majoris famâ feruntur, quorum nomina partim ex avis veſtris, partim ex parentibus ipſi fortaſſe cognoviſtis. Quis enim Urielem Electorem Moguntinum, ut ab illo poſtremi ſeculi laudem auſpicer, non audivit? quis nobiliſſimum virum ex familia de Gemmingen ortum, J.U. Doctorem non accepit? Quis eloquentiſſimum Phœnicem, quo nomine ille appellatus, Florentiũ à Vennigen, Doctorem & Profeſſorẽ Heidelbergenſem? Quis Sigiſmundũ Pflugiũ, Saxoniæ Ducis Alberti Cancellarium, Doctorẽ non percepit? Quis Auguſtanum Epiſcopum, Chriſtophorum de Stadion, & eruditorũ literis & genere nobilem, nobiliorem eruditione, nobiliſſimum virtute J. Doctorem non cognovit?

Vidit

Vidit Auguſta antiquiſſimam familiam de Lichtenau, in Henrico Epiſcopo, Doctore juris, honorificentiſſimè terminari. Vobis, ornatiſſimi Candidati, ne me cepiſſe oblivionem veſtri exiſtimetis, jucundiſsimæ recordationis gratiâ nomine nobiliſsimum Uldaricum ab Hutten, Equitem Francum qui anno 1506. inter eos, qui omnium primi primum promotionis Actum in recente Academia Francofurtenſi, urbis patriæ tuæ, canditate Carole Sachſe, ad Oderam, celebrarunt, honorem Magiſterii ſuſcepit, equesq; poſtea auratus factus, lauream poëticam â Maximiliano Imperatore impetravit. Nomino vobis Johannem ab Egloffſtein, Magiſtrum artium, Bacularium Decretorum, celeberrimæ famæ Abbatem Speinshardenſem: nomino Dietbericum à Dalburg, & Nicolaū à Carlovvitz, Epiſcopum Miſnenſem, utrumq; Magiſtros promotos philoſophiæ eruditiſsimos. Vobis verò, clariſſ. juris anteceſſores, in memoriam revoco, illuſtriſsimum Electorem Moguntinum, Sebaſtianum ab Heuſenſtam, generoſa nobilitate natum. Revoco ex imperialium Receſſuum mentione, Sebaſtianum de Rotenhan, alterum Germaniæ Ulyſſem, quem ex Beroaldi commendatione, quæ in præfatione Gellii legitur, ſummo ingenio & eruditione Doctorem cognoſcimus. Recordemini mecum ex noſtra Haſſia Sebaſtianum ab Harſtall, conſultiſsimum Decretalium Doctorem. Recordemini Georgium de Boineburg, & Equitem Auratū,

Auratum, & Doctorem inſignem. Recolatis digniſſimum perpetua memoria Ludovicũ Schwerzel, in Willingshauſen, cujus nobiliſſimi nepotes Haſſiam noſtram, veluti florentiſſima virtutis avitæ germina ſummoperè exornant. Quis enim noſtrûm nobiliſſimum virum Johannem Sverzelium, literata prudentia, rerumq́ maximarum experientia exteris etiam celebratiſſimum ignorat? Habuit præterea Haſſia nobiliſſimum Doctorem & Cancellarium Gerardum de Ganderodt. Vidit hæc civitas nobiliſſimum virum juris Licentiatũ, quo titulo monumentum ejus in Parochiali æde habetur inſcriptum Iohannem Keudelium, ſtrenuum hujus loci probrincipem, ſingularem parentis olim mei fautorem & amicum. Viderunt patres noſtri ejuſdem tituli Hermannum de Amelanxen. Viderunt I. U. Doctorem Georgium Ottonem de Schwalbach, nobiliſſimæ ejus familiæ, quæ nunc Eccleſiæ Euldenſi Principem & præſulem, Reverendiſſimum Iohannem Fridericum, ſummæ virtutis heroëm dedit. Sexcentos alios ex Academiis, ſi eas compellare tempus ferret, prolatos audiretis. Witeberga daret Iohannem Staubitium, cujus conſiliis ſchola ibidem primũ inſtituta, Theologiæ Doctorem, qui Lutherum & in Academiã, & in concionandi functionem Cathedramq́ Eccleſiaſticam, primus deduxit: daret Nicolaum ab Amsdorff, qui quartum promotionis actum, titulo

Magi-

Magiſterii accepto, anno milleſimo quingenteſimo quarto illuſtravit, paucis poſt annis Licentiatus Theologiæ ibidem creatus; daret eadem Hieronymum Vellerum de Molsdorff: daret Georgium Venetum, nobilem Boruſſum: daret Eraſmum de Minckvvitz, Rectorem quondam Patavinum I. U.D. & Electoris Saxoniæ Cancellarium. Sed & eſſe in hoc cœtu clariſs. viros exiſtimo, qui Ioachimum de Beuſt, IC. & Theologum celeberrimum viderint, qui Weſembecium nobiliſsimum Licentiatum I. & Profeſſorem verticem ICtorum Germaniæ audierint Nobiliſsimum Mynſingerum de Frondeck, familiari notitia complexum habuerint. Et quid de hac noſtra cathedra dicam? illa perorantem cum ſumma admiratioue audivit nobiliſsimum virum Hermannum Buſchium, Academiæ hujus Profeſſ. hiſtoriarũ & poëſeos omnium primum: audivit Iohannem de Waldmanshauſẽ, Doctorem Theologiæ, nobilitatis celeberrimæ. Sed & in hoc ſuggeſto nobiliſsimi juvenes Leſchii, Selbachii, mandesloi, Baccalaurei & magiſtri promoti. Poſſem vobis etiamnum ſuperſtites illuſtres Principes in Epiſcopatibus, poſſem in Electorem & Principum palatiis, in conſiliis, in curiis verè magnifices viros nominare, qui generis ſui antiquitatem, nobilitatisq́ gloriam eruditionis præmio quàm honorificentiſſimè condecorarint. Poſſem, quod avo Iuſtinianeo tanqum naturæ mi-

tacul…

mum eſt, æternã nominis commendationem conſervarunt? Quid verò clarius prædicari, quid verius dici poſſit? Intelligitis à nobiliſſimis viris ætatum ſuperiorum honores & titulos eruditionis tanquam hæreditariam poſſeſſionem, & aviti nominis gloriam tum ſtudioſiſſimè quæſitos, tum propemodum in nobiliſſimis penatibus unicè retentos ac conſervatos. Nec enim tenuioris loci ac fortunæ homines ad iſtas dignitates, ſumptuum magnitudine, qui promotionum actibus impendebantur, deterriti, aſpirata & eniti audebant. Unde factum, ut id ætatis in civitatibus & oppidis Doctoralis nominis maxima raritas exiſteret, quemadmodum incomparabilis ingenii & eruditionis Melanchthon ad Camerarium ſcripta Epiſtola teſtatur, Doctorem tam difficilem inventu in Saxonicis oris fuiſſe, quàm rari olim inter Britannos veteres Romani juris periti fuerint, ut jocus Tullii ad Trebatium ea de re notus eſt. Idq; ex Clementis Quinti Pontificis Conſtitutione de immoderatis impendiis promotionũ vehementiſſimè cõquirentis, intellectu proclive eſt, qui ratione iſta motus, ne cæteri, qui vel nolint, vel nequeant, (ut verba conſtitutionis ſunt) ſimiles impenſas ſubire, hac occaſione frequenter à receptione honoris retraherentur, conſtituto certo tolerabiliũ impenſarũ modo, ad tria millia argenteorũ Turonenſiũ ſummam redegit. Ea verò expenſarum immodica profuſio unde? Ex

de? Ex opulentæ nobilitatis ambitioſis certaminibus. Illi ſiquidem apicem & dignitatis literatæ tanquam gemmam ac unionem nullo precio relinquendum judicabant, eoq; pretioſiorem eſſe eruditionis gradum æſtimabant, ſi ille nobilitati generis, tanquam adamas Ophyreo aut Arabico auro, inſeretur. At hoc tam præclaro erga literas, earumq; honores ac dignitates animo, namq; recto de iiſdem judicio, qui inter Europæas inſulas, cunctis tum fortunæ, tum ingenii bonis florentiſſimi habentur, etiamnum Anglos eſſe, vel ex eo nobis maximè perſpicuum fieri poteſt, quòd ab hinc decennio, in legatione ab illuſtriſſimo noſtro Principe & Domino clementiſſimo Mauritio, diviniſſimo ſtudiorum & literarum patrono, ad sereniſſimã reginam auguſtæ & æternæ memoriæ Eliſabetham miſſa, honorificentiſſimè excipienda declaraſſe perhibentur. Quid verò illud? Factum profectò literarum memoria digniſſimum, quod literarum dignitati & Doctorũ gradui glorioſiſſimum, ac ut univerſæ noſtræ provinciæ honorificum, ita cognitu jucundiſſimum omnibus meritò eſſe debet. Miſſus erat, ut nemini veſtrum ignotum eſſe arbitror, ex nobilitate Haſsiæ præcipua Georgius de Meiſenbuch, vir tum multarum linguarum cognitione, tum optimarum artium ſcientia, maximaq; rerum civilium & aulicarum prudentia inſtructiſſimus, atq; ob eam cauſã illuſtriſſimo noſtro Prin-

cipi longè dilectiſsimus. Qui cùm ſibi impoſiti legationis munus ſumma cum admiratione in aula Anglorum obiiſſet, inter aula regia munificentia præmia ac honores, quos illuſtriſsimi noſtri principis nobiliſsimo legato exteri exhibebant, exhibitam etiam doctoralis dignitatis inſulam voluerunt, qua nihil regni ſui moribus dari amplius, nihil præclarius tribui, nihil magnificentius maximorum regum & principum legatis donari ſolere, graviſsimè prædicarunt. Memini me hujus rei recitationem ex generoſo & nobiliſsimo viro Ottone de Starſchedel, illuſtriſsimi noſtri principis legato & intimo Conſiliario, ac magnifico Haſſiæ Præſide, maximo patrono noſtro, ſumma cum voluptate cognoſcere. Rediit feliciſſimè domum ex Anglia nobiliſſimus legatus, optimeq́ peracti muneris præclariſſimum teſtimonium, acceptis inter alia ampliſſima dona, quæ laurea appellarunt, doctorialibus inſignibus retulit, cujus immaturum diſceſſum cum illuſtriſſimo noſtro principe, cujus næniæ lugubres de tanti viri obitu adhuc exſtant, univerſa provincia deflevit. Eam autem animi & ingenii nobilitatem verè divinam agnoverunt omnes reges & principes, quotquot communi ſenſu polluerunt, eamq́ velati incomparabilem virtutis theſaurum etiam in humilioris ſanguinis hominibus ſummoperè coluerunt. Quid enim de Sigiſmundo Imperatore dicam? Tanto, perè illi Magiſtros Doctores veneratus eſſe le,

gitur, ut non modo nobilibus, verùm etiã illuſtri-oribus in menſarum accubitu, omniq́; loco honori-ficè eos præpoſuerit, Quid enim, ajebat idem, cùm aulitos obmurmurantes rumpi ferè invidia animadverteret, nonne eos pluris faciam, quos ipſa natura, atq; adeò ipſe Deus majoris fecit? Deum immortalem! quod luculentius teſtimoniũ perhiberi, quid verius exprimi, quid illuſtrius judicari de eruditionis gloria ejusq́; nomine & dignitate poſſit? Vultis ſimilia plura aliorum Imperatorum judicia proferri? Dicam vobis, quo Carolus Quartus amore, quo honore; quo cultu literarum inſignibus ornatos perſecutus, quem cum Doctoribus familiariſſimè velut condiſcipulũ converſatũ accepimus; qui neq; unquam prãdere aut cœnare ſine illis conſpectus. Sed & à latere ſuo diſcedere viros eruditos, Henricus Quintus, omnium qui unquam fuerunt, bellatorum bellicoſiſſimus nunquam eſt, Hedione teſte, paſſus. Se nullos homines plus amare, nullis majorem charitatem & reverentiã debere, quàm viris doctis, eosq́; non jubeſſe aliũ ſed a his præeſſe oportere, dicere ſæpenumero clariſſima voce eſt ſolitus Maximilianus primus. Dicam vobis Caroli Quinti exemplũ? Incredibile dictu. Quidnam vero Qui reges potentiſsimos ceperat, reges regumq́; liberos miniſtros habuerat, cui univerſus terrarum orbis immortalis gloriæ facem prætulerat, cuiuſ ſuperbiſsimum mundi caput Roma cervicem

vicem ſubmiſerat, quem ſupplice genu tota Africa acceſſerat: Quid ille; Heldio Juris Doctori, ut in Oratione funebri Imperatoris legitur, cubitum ituro, vehementiſsimè illud recuſanti, lichnum invito ad cubiculum uſq; prætulit, id ſe officii inquiens, virtutis & eruditionis nomini cujuſque bonori ac venerationi ad omnē poſteritatis memoriam præſtitiſſe. Incomparabili exemplo verbum nullum ulterius addam. Vereor enim, ne, quod pinguiſsimo tritico evenire tradit Columella, cùm vermiculi eidē innaſcuntur; ita feraciſsimæ huic laudum materiæ livoris aliqua & invidiæ tinea adhæreſcat. Frumēto expedire ſervando admiſſum Favonium docet Plinius: Nos autem Flatum cœleſtem, qui incubitu divino ſuo, cùm nondum Zephyri, nondum Aquilones eſſent, vegetaſſe omnia legitur, precibus ardentiſsimis rogamus, ut florē virtutis & eruditionis in hac noſtra Academia, donis ſuis inexhauſtis amplificet, roboret, confirmet, & perennem gratiam, gloriæ & dignitatis literatæ fontem conſervet, cathedram hanc divina principis Philippi fundatione erectam, ex qua, præter hos nunc aſtantes eruditos tredecim Candidatos, mille viginti octo Magiſtri promoti, (Doctores & Licentiatos numero collectos nōdum omnes habeo) pedamento validiſsimo fulciat, atque adverſus omnes tempeſtates ventorūq; turbines firmiſsimè munitam cuſtodiat.

ORATIO IV.

De eloquentia veterum Germanorum.

Habita Anno 1607.

ETSI neque hujus loci, neque conventus, neq; conſpectus veſtri, neque verbi ex hoc ſugge- ſtu faciendi adeo inſolens, infrequensq; ſim, nunquam tamen dicendi hæc provincia tam mihi difficilis, tamq; ſuſceptu ardua, atque gravis viſa eſt, quàm cùm in hoc præſenti oratorii muneris ingreſſu more ac inſtituto majorũ ad veſtrũ hunc floren- tiſſimum cœtum, nobilitate generis ac ingenii, doctrinæq; cultu commendatiſſimi adoleſcentes, inauguralem hanc orationem inſtituerim. Quæ enim veſtrûm omnium de hoc negotio exſpectatio, quæ ſpes, quod judicium, qui ſenſus, quæ opinio ſit, memini non proclive cognitu & intellectu eſſe po- teſt. Videor equidem videre hanc animorum ve- ſtrorum cogitationem atque hanc ſententiam, fore, ut ſi cui rei nunquam pulchrum, & præcla- rum principium dare ſtuduerim, in hoc novæ pro- feſſionis meæ exordio, cui me (indianum fateor) Clementiſſima Illuſtriſſimi Pcincipis ac Domini, Domini ac benefactoris noſtri gratia ſingulari di- ligentia atque ſtudio excolendæ impoſterum præ- eſſe

eſſe voluit, ampliſſimis eloquentiæ laudibus efferendis, omnes, ſi quibus valerem, ingenii vires diligentiſſimè ſim adhibiturus, ut neque veterum gentium Peſſinuntiam Deam, cujus feriæ cùm hoc mēſe Aprili peragerentur, omnium rerum pretioſiſſimarum ſplendorem, omnium opum ac divitiarū, theſaurorum omnium, qui in urbe erant, ut Deū Matri præferrentur, oſtentationem exhibere ſolebant, majore pompa honoreq; permitterem celebratam, quàm divinam benè dicendi Magiſtram à ſtudioſiſſimo ſui cultore exornatam videri. Quod etſi facilimum eſſe cuivis etiam non admodum diſertò quiſpiam fortè exiſtimaverit, ut eloquentiæ præconium faceret, in qua tot, & tam illuſtria laudum argumenta undequaque prædicanti obviam venirent, illud mihi tamen eò difficiliùs ac operoſius eſſe videtur, quò & veſtrā de hoc meo ingreſſu exſpectationem majorem, & rei ipſius, de qua dicturus ſim, dignitatem perſpexerim auguſtiorem. Quemadmodum enim lapidum pretioſiſſimum adamantem, non niſi propria ſcobe expoliri poſſe ajunt: ita profectò artium & facultatum reginam eloquentiam, nullis aliis, quàm ſuis ipſius ornamētis dignè condecorari, ſuoq; ipſius ore rectè prædicari poſſe, etiam illi ipſi, qui Suadæ filii, ob admirationem facundiæ, habiti fuêre, graviſſimè judicarunt. Maluiſſē itaque, ſi qua honeſta ratione fieri potuiſſet, hujus orationis ſtudio ſuperſedere,

cùm vehemente verear, ne exſpectationi veſtræ, ac opinioni præclariſsimæ ſatiſfacere poſsim. Et pervicisset certè hac mentem meam ſententia, niſi tū ſuſcepti officii neceſſitas, tum laudatiſſimus hic auſpicandi muneris mos, ac inſtitutū magis magisq́; animum incitaſſent, tum verò ſingularis veſtra toties perſpecta benevolentia, amor, ac humanitas majorem mihi dicendi fiduciam obfirmâſſent. Nolo autem illū de eloquentiæ commendatione, cujus refertiſſima volumina circumferuntur, ſpatioſiſſimum campum ingredi: Nolo de divini ſtudii origine, de ejus florentiſſima tam in veteribus Græcorum, quam Romanorum imperiis celebritate: nolo de incredibili ejus fructu, & utilitate: nolo de ejus dignittate, ac altitudine, gloriaq́; hoc loco diſſerere. Reſervabuntur iſtâ collegii noſtri exercitationibus, audientur de rebus iſtis ſtudioſiſſimæ noſtræ pubis inſtitutæ ad declamationū ſpatia contentiones. Mihi verò in hoc oratoriæ meæ provinciæ veſtibulo conſultiſſimum viſum eſt, falſiſſimam veterū opinionē, quæ plurimos deterrere & ab aditu maximè neceſſariæ hujus diſciplinæ, nō ſine graviſſima ſtudiorū jacturæ, arcere poſſet, quàm poteſt longiſſimè ab animis hominū noſtrorum amovere atque avellere, illudq́; in hoc ampliſſimo conventu dicere, quod maximè ad nos omnes & ſingulos pertinere, & in quo totius functionis meæ, ſtudiorumq́; noſtrorum fructus & utilitas verſari,

totiusq́;

totiusq; Gremanicæ nationis dignitas, atque adeò morum ac naturæ noſtræ exiſtimatio omnis conſiſtere videatur. Quid verò illud? Quod non modò quorundam exterorum de Germanorum ſtudiis ac moribus ſiniſtrè judicantium, verùm etiam multorum noſtratium opinionibus in veteraſſe animadvertimus, ut falſo aſſerere, ſibiq; perſuadere non dubitarint, Germanorum ingenium, et ſi ex aliis diſciplinis ac artificiis venari aliquam præſtantiam & gloriam poſſit, alienæ tamen prorſus indolis & naturæ ab eloquentiæ ſtudiis, dicendiq; laudibus haberi. Repugnare enim felicitati diſſertitudinis acquirendæ non modò linguæ Germanicæ naturalem ineptitudinem ac tarditatem, verùm etiam ipſum aërem, cœlumq; maximoperè eloquentiam hujus nationis impedire: indeq; eveniſſe, ut nihil diſertum, nihil eloquens, nihil Atticæ, nihil Tullianæ elegantiæ unquam ex hac gente priſcis temporibus emanârit. Quid Deum immortalem audio? Unde hæc tam iniqua judicia? Scripſere illud ſuperioribus ſeculis Italorum, ut haberi voluerunt, homines diſertiſſimi: ſcripſit Antonius Campanus, qui germaniam turpiſſimo quodam verſu, autor multò turpior, ob eā cauſā barbarā nominavit: ſcripſit poggius ſcripſit Sylvius, eosq; videtur eſſe ſecutus Jovius, qui Reuchlinū noſtrū, cùm trium linguarum fluminibus diſſertiſſimum habitū eſſe negare nequiret, inuſitato ingenio fuiſſe

exaravit. Quid ad hæc Germani? Itáne eſt? ſilebimus, ut hactenus factum, noſtroq; ſilentio opinionem iſtam apud exteros confirmabimus, & ſtudia noſtra ipſi damnabimus? naturam & genium noſtrum infelicitatis ipſi arguemus? Quid itaque inanem eloquentiæ docendæ, diſcendæq; laborem ſuſcipimus? quid tantis ſumptibus ac impendiis ſcholam oratoriam inſtruimus? quid fruſtra declamando ravim excitamus? ſi invita Minerva arvum eloquentiæ Germani colamus? quid operā & oleum perditum imus, ſi Danaidum aquas, ut Xenophontis verbum eſt, vano ſtudio hauriamus? Sed ne videamur cum illis Vergilii agricolis nos noſtraq; ipſi ignorare, ſinum agite naturæ noſtræ interiorem excutiamus, ſanguinem nationi noſtræ, medicorum conſilio, mittamus: quid vitii & defectus ſit in eo, inſpiciamus. At quomodo? Majorū noſtrorum ætates, quoad poſſumus longiſſimè memoria repetamus: quæ ſtudia, quæ diſciplinæ, quæ ingenia illorum fuerint, deligenter inquiramus. Adeòne verò omni facundia, linguaq; laude priſca illa tempora caruerunt, ut, quod de Scbytico ſermone Græci ludibrio triviali circumtuliſſe feruntur, nihil ſalis, nihil floris, nihil gratiæ habuiſſe videantur? Nec enim cognoſcendæ naturæ, ac indolis expeditior ulla, certiorq; via haberi poterit, quàm quæ per exemplum ſingulorum numerum, ſtatumq; ſeriem ad univerſi generis notitiam deducatur.

ducatur. Et ſi autem, quantum ad vetuſtiſſima gĕtis noſtra tempora attinet, negare minimè velimus, primordia, ut omnium aliarum rerum, admodum rudia & jejuna fuiſſe, maioresq́; noſtros non tam lingua, quàm manui, non tam verbis, quàm actionibus induſtriam ac operam navâſſe, maluiſſeq́; quod omnium beatiſſimum judicavit graviſſimus ſcriptorum Plinius, res præclaras, dignasq́; memoria gerere, quàm dicere, aut ſcribere ab aliis geſta. Quemadmodum nobiliſſimorum Francorum noſtrorum equitum eloquentiſſimus Huttenus, veterum Germaniæ hominum mores, & tempora, eò, quòd rerum ſuarum monumentis tradendarum curam nullam habuerint, his rationibus, quas admodum luculento carmine, de non genere Germaniæ, expreſſit, excuſata dedit; Illi enim haud dubiè idem, quod ignarus omnium literarum bellator fortiſſimus Sfortia ſuperiori ſeculo prædicaſſe de ſeſe legitur, exiſtimarunt, non poſſe eadem manu feliciter & eloquentiſsimum ſtylum, & victorioſiſsimum pilum adminiſtrari; Nihil tamen ex eo evinci, demonſtrariq́; poteſt, quod naturam ineptitudinis arguat, cœlumq́; noſtrum eloquentiæ contrarium oſtendat. Eadem ſiquidem nobiſcum principia venuſtatis ſterilia, atque arida etiam eloquentiſsima tum Græcorum, tum Romanorum gentes habuiſse animadvertuntur. Quod enim Cornelius de Germanis ſcripſit, ſcriptum itidem de Atticis, ſcriptum de Latinorum incunabilis, lite-

rarum

rarum ſcilicet ſecrata eos ignorâſſe. Erubuere linguam ſuorum Aborigenum Quirites, erubuere ruditatem ſui Evandri, ejuſq; autorem matrem Carmentã florẽtioribꝯ temporibꝯ audire. Tacuit jã primis Germaniæ fundamentis per aliquod ſæcula non modò eloquentiæ, ſed etiam omnis ferè ſcientiæ gloria: quid tum? ſiluit eadem diutiſſimo tempore inter Græcos, ſiluit inter Romanos. Nuſquam quidem natura, quemadmodum auguſtæ memoriæ, Wilhelmus Haſſiæ princeps, quem Sapientem jure nominamus, de hujus noſtræ provinciæ ingeniis, datis ad hanc Academiam literis, ſcripſit, nuſquam indoles, ſed inſtitutio ac ſtudium, & exercitatio defuit: defuit majoribus noſtris occaſio, & commoditas. Armorum quidem inſtitutiones, bellicaq; rei exactiſsimè perdiſcendæ, nullibi ferè major, quàm apud majores noſtros diſciplina, quibus etiam ludicrum erat, inter gladios atque infeſtas frameas ſeſe nudos ſpectaculi gratiâ jactare. Artium verò & eloquentiæ magiſtri nulli; nullus linguæ cultus; exercitium nullum. Quis itaque tam ſiniſter rerum arbiter, qui, quod temporum infelicitati, ruditatiq; ætatis & ſtudiorum inopiæ aſsignandum eſt, illud naturæ defectui, cœliq; ac indolis adverſitati imputare velit? Habent, inſtar hominis, rerum omnium incrementa ſuam infantiam, habent florem & adoleſcentiam, habent deniq; ſenectutem & obitum. Unde non immeritò inſulſiſsimum ejus judicium irriſeris, ſi quis ideò naturam

turam

turam & indolem loquendi anniculo bimòve puero deceſſe dixerit, quòd imperfectius alio fortè quinquenni, aut ſeptenni verba proferat. Quid enim? annon in Maximiliani primi Imperatoris pueritia accepimus plurimos animi & judicii falſos, cùm elinguem mutumq; naturâ regium puerũ aſſeverarent quòd ferè decennalis nondum fari didiciſſet. At ille iſtam ætatis tarditatem mirabili facundiæ felicitate poſtea compenſavit, ut nemimem neq; in hoc ſuo, neque in alio imperio ſeſe eloquentiorem principem id ætatis habuerit: Non minus ad eum modum abſurdam, & inconvenientem rationem eorum dixeris, qui, quòd tardius olim in Germania ſtudia exculta, eloquentiæ cura tardius aſſumpta, tardius ſcientia inveſtigata, ideò naturam ejus loci neque ſtudiis, neque linguæ, neque facundiæ idoneam eſſe judicarunt. Nullas auri & argenti fodinas longiſſimis temporibus ad Henrici Aucupis imperium uſque in montibus Germaniæ repertas fuiſſe conſtat. Quid ergo? An naturam noſtris jugis ferendo pretioſiori metallo antiquioribus ſeculis defuiſſe dicemus? minimè. Defuit, teſte Tacito, ſolum in dagãdi ſtudium, defuit induſtria, & inquiſitio. Mirari itaque ſatis ſagacitatem eorum hominum non poſſum, qui ideò olim contenderint, teſtante Felice Fabro in hiſtoria Suevica, non eſſe literarum gymnaſia, neque Academias, neq; eloquentiæ officinas in Germania,

tanquã

tanquam in vervecum patria, conſtituendas, quid literarum cultui natura nationis minimè omniū capiendo eſſet. Vellem profectò è natura finibus cum hoc tuo judicio exterminatus ad inferorum judicem Æacum fuiſſes, antequam tā inſulsè tāq; improbè de incognita natura, & indole noſtra judicaſſes. At pernitioſiſsima iſta opinio Reip. noſtræ quantum detrimenti, quantum ſtolidiſsima iſta perſuaſio impedimenti ſtudiis majorum excitandis attulit. Tranſacta ſine literis feliciſsima florentiſsimæ Germaniæ tempora, in tanta opum ex omnium gentium victoriis congeſtarum abundantia, in tanto Imperialis fortunæ, Romanæq; majeſtatis ad fortiſsimam gentem translata faſtigio, elapſi à Carolo inuictiſsimo noſtro quingenti & quinquaginta anni, ſine publica artium arce ac ſede, ſine Academia. Sed neque tum quidem, cùm primum anno 1356. Viennenſe Gymnaſium novo inſtituto in Germania efflorеſceret, falſiſsimæ illius opinionis nubes diſsipari potuit. Nullam enim eloquentiæ inſtitutionem, nullam oratoriam cathedram ad Maximiliani primi uſque imperium Viennæ fuiſſe, quòd littora, & arenas arari in hoc ſtudio à Germanis exiſtimarent, Æneas, quem poſtea fortuna magnitudo Pium Secundum fecit, literis ſuis prodidit. Vide, quid ille antiquis propinatus error, quid incommodi falſiſsima iſta perſuaſio afferat. Creditus noſter Rhenus, & Danubius credi-

tus

tus Albis eloquentiæ fluminibus nullis imbui poſſet; crediti Germani omnes quarta Luna ad hoc ſtudium editi; crediti nullum linguæ ſuæ faventem, quem tamen in profana caligine inprimis coluerant, habere Mercurium: creditum cœlum & terra Germaniæ nihil oris rotundi gignere, nihil Atticæ Veneris proferre poſſe. Atque hæc cauſa erat, qua Argyropilum Byzantinum in tantam admirationem conjeciſſe legitur, cum Reuchlinum, Palatini Electoris legatum, avorum noſtrorum memoria, trium linguarum peritiſsimum, Græcorũ Thucydidem explicantem, Græcè diſſerentem, Romæ audiſſet, ut maxima voce, tanquam attonitus Germani hominis eloquentia, exclamarit: Miſerrimam Græciam ſuo cæterorum Græcorum exilio ultra Alpes in Germaniam evolâſſe. Citius etenim ille exiſtimâſſet, ſibi è veteri Scythia Anacharſin aliquem redivivum Athenis occuſurum, quàm hominem Germanum Attico ore loquentem Romæ auditum iri. At audiſti, Argyropile, audiſti Germanum. Audiamus verò nos viciſsim, quid cœlo, quid indoli, quid naturæ noſtræ defuiſſe arbitreris. Intenſius fortè noſtræ hyemis frigus eſt? At voces, & verbâ nundum congelâſſe ulla brumâ vidimus. Craſſiorem aërem dicitis? pependiſſe nullum eo ſonum unquam animadvertimus. Sed ne rem tantam non ſeriò agere videamur, penitius ætatum rationes iquiramus. Nihil facundiæ, nihil eloquentiæ, nihil ſuavitatis priſcã Germaniam habuiſſe,

buiſſe, ne tam temerè ſine certiore veritatis inveſtigatione credamus, ne exterorum ſcriptis, qui nō modò invidi, ſed etiam inimici, & hoſtes fortiſſimi noſtri populi fuêre, fidē habeamus? Quid enim? An non idem maioribus noſtris eveniſſe cenſeamus, quod omnibus ferè gentibus accidiſſe Joſephus clariſsima voce prodidit, Romanos dum ſuos ſtuduerint enixè extollere, ſtudiosè exterorum laudes extenuaſſe. Quod neque ſilentio obrutum Herodianus voluit, qui pleroſque hiſtoricos plus oſtentatione eloquentiæ, quàm amore veteritatis ſcripſiſſe fatetur, neq; Polybius idipſum diſsimulare potuit. A Romanis itaq; & Italis Germani veteres naturâ indiſerti habiti? cur non elingues potiùs & muti? Muti certè & Romani Germanis, & hi viciſsim illis, quod neutri ſeſe viciſsim intelligerēt. Ideòne verò indiſerti, quòd exteram linguā non tenerent quòd cum Hortenſio cauſas in foro Romano agere neſcirent? pro Roſtris peroare non callerent? At ea ratione ipſe parens Romanæ facundiæ Cicero indiſertus, & ineloquens, nō modò Germanis, ſed etiam Græcis habendus, quorum Athenas etſi uſurpaverat, literas tamen eorum imperfectiùs didiciſſe etiam illi, quem antea nominavi, Byzantino viſus eſt. Indiſertus, & ineloquens, imò planè mutus habendus in media Græcia Romanorum legatus Cato, quem ſine interprete cum illis, ad quos miſſus erat, colloqui ne quidem verbum potuiſſe accepimus. Longiſsimè

itaq;

itaque animi & ſententia falſi, qui in unius Latinæ dictionis ſcientia, omnis eloquentiæ florem laudemq́; repoſitam eſſe exiſtimant. Quid enim ſi quos illi natura ineptos ad eloquentiæ ſtudium duxerunt, eos natura eloquentiſsimos in vernacula ſua lingua fuiſſe dixerimus? Prædicat certè vetuſtas nobis antiquiſsimis Germaniæ regibus, quem longiſsima ætatum multarũ intercapedine ante Latini populi ortum regnaſſe in his oris legimus, facundiſsimum Principem Ilſungum, idq́; inter alios diligenter graviſsimus ſuperiorum ſcriptorum annotavit Achilles Gaſſarus: Antiquiſsima profectò Germanicæ linguæ gloria, quam, antequam Græcæ facundiæ fanum pueri Platonis ori divinæ iſtæ apes intuliſſe celebrantur, floruiſſe intelligimꝰ. An verò non putabimus veteris illius regiæ facundiæ lumine totam regionem longè lateq́; accẽſam, & ad poſteritatis imitationem fructum & florem ejus derivatum? Utinam enim ab interitu revocari nobis illa carmina & rithmi poſſent noſtrorũ hominum, quibus optimè de patria meriti reges, & principes, heroësq́; celebrati, quibus Tuiſconem Tacitus refert cœlo evectum, Arminiũ immortalitati conſecratum; auſim profectò cum quibusvis linguarũ arbitris contendere, non majorẽ ex Pindaricis odis eloquentiæ naturalis vim, non minorẽ laudẽ, quàm ex illis majorũ noſtrorũ cantilenis eluceſcere. Habet enim vernacula noſtra lingua nõ

minorem elegantiæ in compoſitionibus felicitatẽ, non minorem gratiam quàm Græca; habet in-ſtructuræ & dictionum contextu, locutionumq; luminibus non minorem ſplendorem, quàm latina, nec minus eloquentes diſertiq; oratores & concionatores ſunt dicendi noſtri ſermonis expeditiſſimo flumine inſtructi, quàm vel Demoſthenes, aut Æſchynes propter fori ſui linguam in admiratione ſuorum habiti fuerunt. Habuit Rom.linguæ gloria ſuum Tullium, ſed nec minore cum laude habuit Germania, ſuperiorum ætatum memoria, ſuæ linguæ, ut appellatus eſt, Ciceronem, ex ſereniſſimo Electorum Collegio, principem Marchionẽ Brandeburgicum Joachimum, ejus nominis primum-, quem auguſtiſſimus Auguſtæ conventus non aliter, ac curia olim Romana ſuum Tullium Neſtoreâ ſuavitate fluentem, admiratus eſſe dicitur. Nominarem vobis ex veterum ævo magnum eloquentiſſimorum Germaniæ Principum, nobiliſſimorumq; hominum numerum, quorum facundia incredibilis linguam noſtram vernaculam maximoperê illuſtrâſſe, plurimumq; Remp. tum domi tum foris juviſſe, ac naturalem eloquentiæ promptitudinem, in indole Germanica, clariſſimè oſtendiſſe dicatur, niſi hodiernus tum in concionatorio Eccleſiarum-ſuggeſto, tum in curiis, in comitiis, in judiciis, & tribunalibus omnium Germaniæ provinciarum-, tantus eloquentiæ domeſticæ ſplẽdor occurreret, ut non niſi

non niſi cæcis & ſurdis ignotum eſſe poſſit, omnibus aliis gentibus lauream & palmam linguæ eſſe præreptam. Quod certè argumentum omnium firmiſſimum eſt, feliciſſimæ ad omnem eloquentiæ laudē naturæ ac indolis. Quæ enim cùm homine naſcuntur, an nullibi, quàm in Germanica gente perfectiora animadvertuntur, lingua ſolutio, expeditus & clarus ſonus, vocis gravitas, laterum firmitudo, vires, & ad omnium literarum ſyllabarum atq; dictionum pronunciationem dexterrima oris confirmatio? Ac ne de vernacula diſertitudine plura dicam, ad illam de qua potiſſimùm controverſia eſt, linguam Latinam veniamus. Illam ignoraſſe, barbarum exiſtimarunt; ad eam percipiendam Germanorum captum hebetem, indocilem, & omninò ineptum eſſe judicarunt. Quando verò? Tum fortaſſe, cùm majores noſtri liguam Romanorum, quam illi tanquam imperii & juriſdictionis ſuæ ſignum ac teſſeram eſſe volebant, ut quocunque fines potentiæ ſuæ extendiſſent, eodem etiam linguæ pomeria ſua deducerent, veluti capiſtrum libertatis in regnis ſuis tolerare omninò recuſarent, cùm poſt Lollianam ad Rhenum noſtrum cladem, hoſtium fauces præſecarent, Romanorumq; cauſidicorum linguas, quas in foro ſuo ferre nolebant, cruentiſſima laniena exſcinderent, cùm in Variana clade, quicquid obvium Latini oris erat, aut ferro demeterent, aut in nervum, & compedem mitterent. Tum verò facilè crediderim,

odio infeſtiſſimi populi, maximũ etiam linguæ Romanæ odium in his oris diutius permanſiſſe. Quid verò poſtquam ſingulari Dei munere, virtuteq́ fortiſſimorum majorum noſtrorum imperii Rom. majeſtas ſedesq́ in Germaniã translata eſt? quid, inquam? An non dicemus veteri odio in amorem converſo gentes noſtras cum ipſo Romanorum ſolio, cum diademate, cum imperio, imperii etiam linguam æquiſſimo animo eſſe amplexos? Ita certè eſt: Cum ſceptro, linguæ Romanæ *plectrum illicò ſuſceptum: Cepere omnia noſtra delubra, omnia fana latinis cantionibus reſonare, cepere judicia, forumq́ ac cancelli curiarum latinè loqui, omnes ſcholæ & gymnaſia literis latinis imbui. Quô verò ſucceſſu? certè feliciſſimo. Audiamus de ea re regnorum ipſam matrem Germaniam. Meum, inquid, Carolum tam animo, quàm manu magnum, quis non uberrima eloquentia fuiſſe novit? quis variis eum linguis ad varios populos diſertiſſimè uſum eſſe ignorat? quem Græcorum legati Græcè ſibi reſpondentem ſummoperè admirati: admirata eloquentia Latina genitrix antiqua elegantia plurimas ejus orationes conditas quas in urbe habuit? Quis id ætatis diſertiſſimam Latinitatem in meis tum non ita pridem conſtitutis ſcholis & Eccleſiis, Rabani & Alcuini opera florentem, non cognovit? Haimonis mei eruditiſſimã facundiam quis non percepit? quis nobiliſſimos iſtos duos fratres,*

tres, Medardum, & Gildardum in Franconia mea eodem partu pariter natos, eòdem pariter die ad Epiſcopatus munera evectos, eodem die (mirabilis fraternæ fortunæ fatiq; convenientia) ſimul mortuos, eadem ſimul Latina lingua eloquentia floruiſſe non intellexit? quid vobis ex Epiſcopatibus meis hominem veterem Bardonem ex Weteravi mea oriundum, quem Chryſoſtomum ſuum non Moguntina ſolùm, ſed univerſa Germanorum appellavit natio? quid Walramum Epiſcopum Cittienſem, quem Anſelmus Cantabrienſis ex Anglia, *cùm eidem ſuos libros dedicaret, diſertiſſimum eſſe meorum id ætatis hominum ſcripſit? Non omittã ex nobiliſſima familia Gorziorũ in Bucbenia Fuldenſem Præſulem Bertholdum, cujus facundia ex* I*talia Germania & Gallia primatum Eccleſiæ reportavit. Quis enim non accepit Otthonem meum Tertium non una lingua diſertiſſimum, quem etiam Græca facundia (digniſſimum ſtudio præmium) ex hoſtium manu liberavit? Quis meum illum Quartum ſummum illud imperii decus, plurimis linguis eloquentiſsimum, quem doctiſſimorum hominum cœtus obſtupuêre? Quis Sigiſmundum in totius orbis concilio Latinè oraſſe non audivit? Quis* Henrici *VI. ſuavitatem non legit? Ex Hennebergica familia, quis Bertholdũ X. primum ejꝰ generis imperii Principem, in Comitiis ad Mœnum meum creatum, honoris & admirationis gratia Oratorem imperii appellatum eſſe non*

 cogno-

cognovit? Ex imperatoria domo meus mihi Otho Friſingenſis eſt, quanta gravitate, & lumine hiſtoricus! Hiſtoria meum cum Romanis conferendum habet Lambertum: Urſpergenſem: habet Leopoldum: habet complures alios, quorum facundia etiam exterorum teſtimoniis commendata habetur. His veriſſimis patriæ noſtræ vocibus meminem veſtrum eſſe arbitror, qui non majorem mecum adhibeat fidem, quàm omnium aliorum contrariis opinionibus, ſiniſtrisq́ judiciis. Tot eloquẽtium Imperatorum, tot principum, tot nobiliſſimorum virorum noſtrorum ora percepimus: dicta & ſcripta illorum intelleximus: celebrationes laudesq́ cognovimus: quid ergo de natura, de ingenio, de indole noſtræ nationis amplius dubitabimus? quid linguæ noſtræ verba dari ab exteris diutius patiemur? Potuiſſe antiquioribus ſeculis in maxima omnium artium & diſciplinarum caligine, majorum noſtrorum ingenia, ad iſtam laudem emergere, feliciſſimæ certè indolis & naturæ inditio fuit: quam etiam bonitate ſua eò tandem altitudinis progreſſam, tum parentum, tum noſtris temporibus perſpicimus, ut omnium ſtudiorum apicem attigiſſe videatur. Quæ enim huc uſq́ ab Imperio Maximiliani primi, quem ſine non quodam ſubſecuti temporis omine, ac ſi cum ipſius avo infantia præteritarum ætatum deſitura eſſet, mutam pueritiam cum eloquentiſſima ſenectute commutaſſe crediderim, quæ, inquam, omnium ſcientiarum

lux,

lux, & tanquam linguarum quoddam atq; omniũ artium aureũ lumen in Germania noſtra obortũ? quæ ingeniorum claritudo? quæ admiratio? ut etiã exteri, qui cæteroquin laudis Germanicæ parciſſimi eſſe ſolent, fateri coacti fuerint, & Romanos, & Græcos, & Hebræos, & Ægyptios & Phœnices, & Chaldeos, atq; adeò omnes alios celebriores populos Germanorum artibus, moribus, diſciplinis, atq; ingeniis eſſe ſuperatos. Scilicet hic ille hebetudinis noſtræ triumphus: hic tarditatis progreſſus: hæc barbariæ victoria: hæc craſſioris noſtri cœli, naturæq; infelicitas, ut cœli curſum cùm emendare inſtitueret Pontifex, cœli artifices, & Aſtrologos, quemàdmodum olim Julius ex Ægypto, miſſis legationibus ex Germania, ſuperioribus annis petierit: quid enim de eloquentiæ incredibili ſucceſſu dicã, prodiiſſe hoc poſteriori ſeculo ex Germanorum gente virum tantæ linguæ felicitate, tãta elegantia, ut ipſis etiã Latinæ dictionis ſtudioſiſſimis Italis ſui ingenii ſcripta pro Tullianis nonnullis libris, quos injuria temporis amiſſos deſideramus, ſumma cũ gratulatione, & lætitia, tanquã poſtliminiò recepta monumenta exhibuerit? Ite verò nunc Itali, & Germanorũ linguã ad eloquẽtiæ gloriam indole ac natura ineptam atq; inhabilem dicite. At veſtrates vobis ipſi obloquuntur, ut enim alios prætercam, non poſſum, quin vobis Bartholimum ex ſuperiore ætate producam, quiin

qui in Germanorum diſertiſsimi Matthæi Langii, quem facundiæ commendatio ex civitate Auguſtana, in qua natus & educatus, ad ſummos purpurei galeri honores Cardinalem, principem & legatum Cæſareum evexit, familia & comitatu verſatus, non modò herilem eloquentiam ſtudioſè imitatus, verùm etiam totius nationis felicitatem admiratus legitur. Venerat ille in eam Academiam, quam Sylvius olim, ut audiſtis, ob neglecta eloquentiæ ſtudia, malè inſtitutam eſſe prædicaverat tùm verò Maximilianus imperator collegiis novis oratoriis & poëticiis intſtruxerat, maximiſq; præmiis & honoribus & eloquentiæ ſtudia excitarat: audierat ibidē homo exterus Germanorum aliquod Latinas orationes; quarum elegantia tantopere Italum affecit, ut coactus fuerit his verbis in Hodaporico ſcriptis confirmare ſe de Germanis veriſſimè ſentire, eos Romanis oratoribus eſſe ſimilimos. Sed ne immemor præcepti oratorii videar, quod, inter benè dicendi artificia non minimum eſſe monet, dicendi modum ſcire, ad finem curſu orationis converſo, recentioris ſeculi linguam pluribus non attingam, quam in tanto præſtantiſsimorum Oratorum multitudine, quos Germania ab Agricola, & Eraſmo hoc uſq; ad Sturmium Argumenſem omnibus in provinciis ſuis habuit, ſi quis natura & indolis expertem mutamq; dixerit, illum ad Caſtii corium, quem, quod ignoraſſe Ciceronem literas prædicâſſet, ab

Orato-

Oratoris filio flagellatum, caſumq́ accepimus, vel ad Lugdunenſes aras amandandum, judicamus: removimus itaque veterem illum à limine noſtro obicem: liberavimus ſiniſtro judicio, & opinione ineptitudinis antiquam noſtræ gentis genium: ſanguinem & ſuccum eloquentiæ naturalem in vetuſtiſſimis majoribus noſtris oſtendimus: propagationem feliciſſimam ejus in poſteris uſque ad poſteriora tempora demonſtravimus. Naturam itaq; cum noſtro illo eloquentiæ magiſtro, qui hoc ab oraculo ſuo juſſus erat, naturam ducem concitatiſſimo ad hæc ſtudia curſu ſequamur: naturæ alacritati impigrum laborem, diligentiam, nativitatem, ſedulitatem, & in defeſſam exercitationem adjungamus, quarum rerum ea eſt vis, eadq; facultas, ut quæ etiã denegata nobis naturæ inclementia videantur, contentione ſua ſuperent, & conſequantur, Superioris Germaniæ homines trecentis abhinc annis confirmatiſſimum, quemadmodum annales Suevici perbibent, adverſus impeditiorem linguam, balbutiemq́ remedium hoc habebant, ut, neſcio qua vi occulta Habsburgenſis ſereniſſimæ familæ, quæ & Imperii faſtium & maximam Europæ potentiam validiſſimè tuetur, crederent, oſculum ab illis Principibus ultrò acceptum, diſertiſſimè loquendi facultatem aferre. Dabimus vobis, lectiſſima juventus, longè expeditius, experientiaq́ confirmatius, omniumq́ judicio conſultiſſimum conſilium.

Nam ſi ruditatem & infantiam dicendi, cùm diſertiſſima facundia mutatam, ſi naturæ tarditatem, oriſque hæſitantiam emendatam, correctamque expetatis, imitemini Demoſthenis illius veteris eloquentiſſimi Oratoris medicinam, quem tam ineptum ad eloquentiæ munus finxiſſe videbatur natura, ut ne quidem artis Rhetoricæ, quam ſequebatur, exprimere primam literam ſine riſu poſſet, amplectamini cum ipſo vigilantiã, amplectamini quem vobis optimum dicendi magiſtrum Tullius monſtravit, ſtylia aſsiduitatem, amplectamini, quæ ſuperare nihil non difficultatis prædicatur, ſolertiam, hæc maximè compendiaria, ad linguæ laudem & gloriam via: hæc expedisſima ad eloquentiæ felicitatem conſequendam ratio; hæc illa Mercurii talaria, hæc ala, hic ſal ille Pindaricæ Minervæ, quem Rhodii in ſacrificiis Muſarum, ob id deſerti ab eloquentia, neglexiſſe reprehenduntur, Hæc diſsipationis Babylonicæ inſtauratio, hæc collectio: hæc vobis, quos ex omnibus ferè totius Europæ remotioribus regnis ac populis confluxiſſe ad hanc coronam video, juvenes ſtudioſiſsimi, Bohemi Sileſii, Ungari, Poloni, Livones, Moravi, Dani, Sueci, hæc vobis, inquam, per laborem, Diligentiam, ſolertiam, & induſtriam ad admirationem omnium illarum gentium, quibus olim, ut Clemens Pontifex ſcripſit, alieni ab omni liberaliori ſtudio videbamini, diſertiſsimos Dubravios, eloquentiſſimos Cromeros, Varſevicios, Herbutos facundiſſimus

ſimos hiſtoricos, Poetas & Oratores dederunt: hæc quod inſtar miraculi haberi poteſt, veteres Syracuſas, & Athenas in extremam Thulen, ac priſcis ignotam Heclen tranſtulerunt: hæc ſi præſentem ſtudii noſtri occaſionem ſequemini, patria vos noſtra, omnibus ingenii eloquentiæ & ingenii muneribus ornatiſsimos, remittent. Aeterni patris coæternum verbum, fons veræ ſapientiæ, eloquentiæ omnisq; facūdiæ magiſter Ieſus, cum ignea illa lingua, unde omnium linguarum admirabile donum cœlitus in has terras effuſum, nobis aſsiduò adſit: balbutiem, ac titubantiam noſtram non ſecus ac Ductoris ſui olim Aegyptii, emendet, ſermonem corroboret, labellum firmet, cœleſtis Suadæ medullam ori noſtro inſerat: remigium optimi, & peſsimi membri mortalis in nobis ita gubernet, ut Deo noſtro gratiſsima, Eccleſiæ, & Reip. ſaluberrima, charitati Chriſtianæ commodiſsima, omnium hominum ſaluti utiliſsima, donec labiorum motus erit, dicamus. Præterea verò, quod ardentiſsimis precibus flagitamus, Illuſtriſsimum principem, ſtudiorum noſtrorum feliciſsimum auſpicem, ducem, & incomparabilem patronum, ac benefactorem, cum illuſtri ſua famia diutiſsimè nobis incolumem protectio ſervatoris noſtri conſervet, matrē hanc tam divinæ quàm humanæ ſapientiæ Academiam florentiſsimam cuſtodiat: Officinam eloquentiæ, quam ipſe hujus loci genius, ipſa natura fluvii

fluvii & colles noſtri adjuvare maximoperè geſtiunt, aurea ſua gratia nube circumdet, irriget foveat, & inexhauſta ſuavitate cōplectatur: Cathedram hanc, quæ tot clariſſima ingenij atque linguæ lumina, in omnibus diſciplinis per octoginta annos ſuſtinuit, quæ Illuſtr. noſtri principis ad omnem poſteritatem prædicandum exemplum obſtupuit, quæ etiamnum & Chryſoſtomos, & Pappianos, & Stagaritæ nepotes habet adamantino pede fixam, & adverſus omnes temporum procellas immotam in concuſſamq́ tueatur. Nos denique omnes & ſingulos, tam docentium, quam diſcentium cœtum, in amabili concordiæ jugo, fraternæ charitatis balſamo, in ſtudii & officii amore, in animi & corporis flore, in omni felicitatis ſucceſſu, in certiſſima æterna vitæ ſpe & exſpectatione perpetuum conſervet.

ORATIO V.

De ſtudio Hiſtorico.

Habita Anno 1603.

CUm multa præclarè ac ſapienter à majoribus noſtris ordinata ac inſtituta ſunt: tum nihil præclarius, nihil prudentius, nihil ad ſtudiorum conſervationem conſultius, nihil ad literatæ juventutis eruditionem provehendam compendioſius, nihil ad dignitatum

& gra-

& graduum Academicorum auctoritatem retinendam, & augendam, & amplificandam literarum gloriã magnificentius; quàm, ut habita quotannis diligenti pubis ſcholaſticæ examinatione, exploratisq́ ſtudiorum curriculis, benè contendentibus bonorum præmia, tituli ac honores, tanquam invitamenta, & ad majorum laudum progreſſus invitamenta decerneretur: Cujus quidem rei vestigia à priſcis illis Græciæ velitatoriis campis ac areis, & Olympiacis certaminibus veterisq́ militiæ optimè ac perquam prudenter inſtituta diſciplina, in literarum Gymnaſia & officinas ſtudiorum liberalium defluxiſſe, neminem tam ignarum antiquitatis eſſe arbitrior qui non intelligat & non cognoſcat. Nec vero non ſummoperè prædicanda eſt veterum in ea re prudentia, quòd dignitatum & honorum ordinem hunc diligenter & exactè ſervare voluerint, ut à minimis ad media, à mediis ad ſumma habito progreſſu, gradus, quos vocant, Academici peterentur, neve per ſaltum, ut dicitur, bonorum apices impetrarentur. Illud enim non ſolum caſus periculo, ſed etiam certo præcipitio ruinæq́ obnoxium haberi, exploratiſsimum eſſe judicatur. Caſum enim appetit, uti Pontifex Gregorius reſcripſit, qui ad ſummi loci faſtigia poſthabitis gladibus per abrupta quærit aſcenſum conſtitutus idcircò gradus in literaria hac civitate Baculariorum primus, qui ita congrua & per honeſta appellatione nuncupati, quòd baculus, qui manumiſſi-

miſſionis apud antiquos ſummarum rerum domi-nos ſignum & inſigne habitus eſt, traditus in ma-num more majorum iis fuerit, quicunq; nomen ſu-um liberalibus ſtudiis conſecraſſent, quiq; caſtris & vexillis Muſarum ſeſe aggregaſſent, & litera-rum cultui perpetuo, tanquam Sacramento mili-tari, ſuum caput obligaſſent, & quaſi mancipaſ-ſent. Cujus rei ne me fortè illa ex meo ſenſu prome-re aut etiam fingere exiſtimetis, teſtem ſeſe offert antiquitatum doctiſsimus Rhenanus, qui ſeſe in ſcholiis ſuis ad Tertullianum, inveteſtiſsimis Pari-ſienſis Academiæ membranis, quibus conſtitutiones Academiæ perquàm diligenter & accuratè deſcri-ptæ continebantur, Bacellarius à bacillo dictos le-giſſe confirmat. Pulchra certè notationis ratio, ut per manumiſſionis baculum Baculari ſua & pro-feſſionis & ſui officii per ipſum nomē admoneren-tur, in regnum ſcilicet ſe miſſos eſſe reginæ omnium diviniſsimæ, eruditionis nimirum ac diſciplinæ li-beralis, quæ dux & magiſtra vitæ humanæ exiſtit, ſine cujus regno & adminiſtratione nihil ingeniū, nihil in univerſo liberale, nihil quod homine dignū exiſtat, in homine haberi poſsit. Baculum profectò maximè ſplenditum & egregium, cui neque conſu-lares faſces, neque centurionum militares vites, neque prætorias feſtucas, neq; ullas veteris manu-miſſionis virgulas, atque adeò neque regū ſceptra, neque augurales lituos, neque ulla majorum do-minationum inſignia conferre quiſquam, nedum

ante-

anteferre jure poſſit. Quid enim in illis omnibus tam eximium, tam regium, tam magnificum, quod cum divina virtutis & eruditionis poteſtate, quæ per baculum ſcholaſticum ſignificatur, contendere valeat. Nihil illic æternũ, nihil firmũ, nihil ſtabile, nihil ſolidæ laudis & fundamenti: Artium & doctrinarũ baculꝰ, tanquã Aaronis virgula, perpetuò floridꝰ, æternisq́ radicibus veræ & ſolidæ gloriæ innixus nullis fortunæ tempeſtatibus obnoxius immortalis & ad omnis vitæ momenta ſemper fixus & diuturnus. Adeſte itaque bonæ frugis & optimæ ſpei melioribus animi bonis initiati, genii ac ingenii felices adoleſcentes, adeſte inquam, ad tam honeſti nominis ac tituli conſecutionem, ad ſcholaſtici hujus baculi & Academiæ manumiſsionis, quæ libertas revera omnium maxima eſt, & in vulgus ignota adeptionem, cujus gratia præſentem hunc actum hodierno die inſtitutũm animadvertitis, cum celebrandi gratia tot clariſsimorum virorum tantorumq́ luminum conveniſſe cœtum, confluxiſſe frequentiſsimã hujꝰ illuſtris ſcholæ pubẽ, aures ac oculos omniũ in veſtri intuitũ converſos, ſpemq́ omnium animis de vobis concitatam maximam, fore, ut hi veſtri tituli & nominis primordia, beneq́ inchoatæ eruditionis primitiæ, tanquam fructuoſiſsimæ baccæ in uberrimã doctrinarum & bonorũ majorũ meſſem, perducantur, & laudatiſsimarum artium ac facultatũ abſolutam gloriã conſequantur. Quod ut ex animi ſentẽtia & voto noſtro

fiat,

ſiat, cœleſtem Triadem hodiernò actui non ſolùm intereſſe, ſed etiam præeſſe, precibus quibus poſſumus maximis flagitamus. Exeant autem, exeant ii, qui cum Arriano, ut ejus verba ſunt, Ζῶον σχολαςικὸν καταγελῶσι, qui Bacalarium ut animal ſcholaſticum riſu excipiunt, qui primas eruditionis baccas contemptui habēt, candidatosq; noſtros ob id aſpernantur, quòd quemadmodum Romani, hoc boni cives facere debeant, teſte Pomponio per portas honorum rectâ ingrediantur, cùm ab infimis ad ſuprema iter inſtituant, à radice ad cucumina altiora contendant, ac ſolito ingreſſu in provinciam hanc literariam utantur. Faceſſant ab hoc virtutis theatro omnes ſannæ & malè feriatorum hominum ludibria & cachinni, quibus cum hoc ſcholaſticum Baculum deſpectui ſit, ad infirmitatis & egeſtatis baculum ne perveniant, diligentius eſſe videant. Sed nos, ut in ſacrificiis antiquis exclamari mos fuit, hoc agàmus: Octo & viginti hos adoleſcentes, quos aſtitiſſe noſtræ cathedræ cernitis, philoſophici gradus primi cupidos, voti ſui cōpotes faciamus, tribuamus, illis optatiſsimum ſtudii ſui brabeon, incingamus eorum frontes frondibus, & Bacalariorum titulus ac honoribus exornemus. Sed ne, quod Ictus Cajus in principio de orig. juris præmonet, illotis manibus opus noſtrū aggrediar, Academiæ veterem morem, quem firmiter retinendum eſſe Arcadius & Honorius reſcripſerunt, non prætermittam. Quid verò illud? Præ-

mittam

mittam qua potero brevitate in auditorii tam ſplendidi gratiam, tanquam initiatoriam aliquã orationem, qua actus hic noſter tum illuſtrior, tũ gratior & jucundior, tum fructuoſior, tum abundantior ſui exiſtat. Nihil autem hoc temporis tam opportunè, & ex re tam commodè occurrere mihi potuit, quam ut de iis rebus ſermonem hoc loco in tam frequente conventu inſtituerem, quarũ tractationem impoſterum, Deo juvante, maximo ſtudio & diligentia perſequi, poſtulante & officio & fide mea conſtituerim. Cùm enim illuſtriſs. principum clementiſſima voluntate & gratia ſuperioribus mihi menſibus hiſtoriarum & antiquitatum docendarum provincia ordinaria mandata ſit, antequam illius mei penſi exordium faciam, de hujus mei muneris ingreſſu, ſtudiiq; hiſtorici antiquitate, de tela nimirum, & ut ita loquar de lino & lana, quam vobis, ſtudioſiſſima pubes, tincturus & texturus ſum, verba nonnulla faciam. Ita enim optimè quiſq; artificum de iis rebus ſermones inſtituit, quas manibus verſat, quarumq; exercitiis potiſſimum occupatur: deniq; nova crepida, ut verſiculus eſt, verbum ſutoris amatur. Duobus autem hiſce ſpatiis orationis meæ curſus continebitur, ut tum dignitatem & amplitudinem & præſtantiam, tum fructum & utilitatem incredibilẽ hujus noſtri ſtudii percipiatis: deinde veritatis hanc magiſtram à calumniis quorundam expeditã & liberatam faciemus. Atqui cunctas quidem

ingenii facultates divinas eſſe fatemur, eaſq; ſummoperè admiramur prædicamuſq; artium & diſciplinarum ſtudia cùm nobiliſſima eſſe, tum earũ cultores in ſummo precio ponendos aſſeveramus: omnibus tamen hiſtoriam, teſtem temporum, veritatis, lucem, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, vetuſtatis nunciam, omnium prudentium conſenſu ac ſuffragio anteferendam longiſſimè eſſe judicamus, utpote quæ mater & conſervatrix, atq; adeò reliquarum artium quaſi anima quædam habeatur, vel eo ipſo nobilior, quò omnibus una antiquior, Cum ipſa enim natura parente rerum omnium, Hiſtoria nata eſſe videtur, prima mortalium præceptrix, prima rerum cunctarum & privatarum & publicarum informatrix, prima humanarum cogitationum gubernatrix, norma & amiſſis prima, ad quam omnium poſtea ætatum inſtituta rationes & conſilia, imò verò, quod longè maximum eſt, Hiſtoria prima Dei tuba & buccina clariſſima eſt, quæ & Deum, Dei opera, cùm nondum nati homines eſſent, aperuit, & poſteritatis memoriam per longiſſima annorum ſpacia tranſmiſit. Idq; viri prudentes avi veteris hoc fabuloſæ imaginis integumento adumbraſſe videntur, cum Saturni, vetuſti gentium Vejovis, delubris, Tritonum imagunculas apponerent, illuſtri argumenti documento, omnium temporum, & ipſorum Deorum, æternitatiſq; ipſius memoriam formamq; facilè omnem intercidiſſe, niſi Tritonum, hoc eſt, Hiſtoricorum

buccin-

Buccinatorem tuba & clangore eſſet conſervata. Nec verò ſapientiſſimus ille Hiſtoricorum parens Herodotus, aliam ob cauſam novem ſuis libris ſingulis ſingula Muſarum nomina indidit, Muſiſq́ eoſdem conſecravit, quàm quòd & diviniſſimum hiſtoriarum ſtudium eſſe, & cum ipſis Diis ortum, & ab iiſdem profectum judicaret. Ac ne iſtud tàm ex pagano ſcriptore, quàm ſacris noſtra fidei auctoribus diſcere velimus, Hiſtorica Moſaica, qua omnium aliorum ſcriptorum vetuſtatem exuperat quo auctore, quo genio, quo afflatu libri ſcripti ſunt? Divino certè, Quo reliqua ſanctorum herorum & regum geſta? Divino. Quo univerſa & veteris & novi fœderis monumenta? Divino. Princeps itaque hiſtoricorum Deus *eſt: ab illo prima rerum vetuſtiſſimarum conſignatio: prima illuſtrium annalium deſcripto, & antiquitatum omnium conſervatio. Cedant hic longè Sibyllini illi Codices: cedant Minois leges ab Iove accepta: ab Apolline conſtitutiones Lycurgea tradita cedant. Cedant à Pallade Solonis leges cogitata. Hominum inventa, hominum fabula ha ſunt. Hiſtoria, qua veritatis unica fax eſt, veriſſimũ ſuum auctorẽ Deum verũ habet, cujus profectò tanta amplitudo, ut ſi cum Iudæorum Rabinis altiſſimũ illũ rerũ omnium moderatorem, adminiculo alicujus prudentia & eruditionis ex libris accerſẽdo indigere ineptè & impiè (quod abſit) aſſerere velimus (quemadmodũ*

illi de Thalmudicis ſuis mendaciis improbè aſſeverare non verentur (non quidem aliis quam hiſtoriarum ſtudiis uti Deum immortalem poſſe aut debere arbitrandum eſſet. Nec enim aliis ſtudiis, aliis artibus & ſcientiis vaſtiſſima cœli & terrarum gubernacula adminiſtrari poſſe (ſi humano more & ſapere & loqui liceat) certò ſtatuendum eſt, ſiquidem omnium aliarum artium, facultatum, diſciplinarumq́ fontes & origines omnium radices ab hoc noſtro ſtudio ita dependeant, ut ſi fortè is, qui hodie in omnibus ſcientiis vultus fulgentiſſimus eſt, ſubita aliqua caligine vel obſcuraretur, vel tanquam voragine aliqua penitùs deleretur, non aliunde incomparabilis illius ruinæ remedia nulla, quàm ex hiſtoriam theſauris peti & haberi poſſent. Quod ne videar ambitioſè magis quàm verè pronunciaſſe, ſingulos, ſi libet, aliarum facultatum magiſtros & artifices de hac re audiatis. Unde mihi Grammatice, ſi amiſſa tibi loquendi rectè tua norma eſt, unde loquendi regulam & artē tuam repetes? Unde vocabula, quæ in ſenatu, in foro, in judiciis, in ſubſelliis, in campo, in arce, in caſtris, quæ domi foriśq́ uſurpanda, recolliges? unde locutionum tuarum formulas, dictionum puritates, verborum ſtructiones, totamq́ illam artis tuæ ſuppellectilem ac inſtrumentum repoſces? An aliunde, quâm ex Hiſtoriarum illo immenſo Oceano? Unde florem tuum dicendi Orator, unde tropos & figuras, unde pigmenta & cincinnos, ceruſſam &

ſam & lomentum tuum unde reſumes? Ex libris hiſtoricis, inquis; ex Attico illo dicendi optimo Magiſtro Thucydide, ex lateo facundiæ fonte Livio: At organon tuum unde, Logice? unde argumentorum locos reficies? inventionis tuæ rudera reſtitues? judicii tui veſtigia repones? Syllogiſmorum formas unde accerſes? ordinis viam requires? Ex abundantiſſimo Hiſtoriarum penu, tanquam ex copiæ aureo cornu omnia. Si phyſicum interrogem, idem mihi reſpondebit: Ex hiſtoriarum auguſtiſſimis fontibus derivari rivulos poſſe ſuos omnes: Et cur neges? Plinius Hiſtoricus illico evincet. Evincet hiſtoria de animalibus. Et quid reliqua hiſtoricorum phalanx? Quid verò ſtirpium eſt & fruticum, quid herbarum, quid arborum, qui metalli, qui ſub omni ſole animantium, quod hiſtoricorum monumentis non ſit comprehenſum. Interrogem aſtrologum & mathematicum? Ex hiſtoricis obſervationibus omnia ſua vaticinia & prædictiones pendere affirmabit. Hiſtoria docuit quid Planetarum conjunctiones, quid quadratus aſpectus, quid Solis & Lunæ Ecclipſes, quid cometarum ignes portendant, quid hujus vel illius ſideris obitus, quid ortus ferat, hiſtoria docuit: Interrogem Ethicum, Politicum, Oeconomicum: hi manum illicò dabunt. Hi animam & ſanguinem, nervos & oſſa ab hiſtorico ſeſe habere omnia fatebuntur. At quid vos facultatum ſuperiorum antiſtites? Ibitis inficias, Theologi univerſam divini

 veſtri

veſtri ſtudii ſcientiam ex hiſtoriis petitam? Nonne ſalutis noſtræ ſanctiſſimus codex hiſtoricus eſt? mũdi hujus machinam ex nihilo conditam, neque ab æterno, ut philoſophorum ſomnia fuerunt, extitiſſe, ab hiſtoria didiciſtis. Solem & Lunam, lucidiſſima duo cœli corpora, omnesq; Planetas, cum totius firmamenti ſtellato exercitu, ab immortali opifice creata, neq; ob eam cauſam, uti impiè à gentibus traditum in deorum numero habenda, ab hiſtoria didicis, hominem primum ad Dei imaginem conditum, lapſum, redemptum, cum Deo principes piorum hominum collocutos, Dei digito leges exaratas, & ut ſummatim dicam omnem, ſalutis humanæ expediendæ rationem ab hiſtoria didiciſtis. O ineffabilem Hiſtoriæ ſapientiam, incomparabilem Hiſtoriæ theſaurum, in quo omnes opes, ſpes omnes noſtræ, omnes divitiæ repoſitæ, omnes & vitæ & animæ noſtræ rationes collocatæ: Quo certè proviſor ille rerum mortalium & cuſtos immortalis nihil precioſius, nihil præſtabilius, divinius nihil humano relinquere generi potuit, nihil omninò, quod ad divinæ prudentiæ proximitatem propius mortales perducat! Sed quid ad hæc vos legum nobiliſſimi intepretes? Antevertitis ipſi, quæ veſtra æquitas & prudentia eſt, antevertitis meã ſententiam: Ultrò fatemini, ſine hiſtoriarũ cognitione, legum omnem ſcientiam tanqvã ſine luce & face frigere, torpere: ſine antiquitatũ exquiſita ſci-

entia

entia vix apicem ullum civilis prudentiæ rectè intelligi. Audivi aliquoties ex te, Vultej, clariſſime JCte, teſte hac eadem cathedra, Hiſtoriam eſſe, quæ legibus animam, quæ lucem, quæ legibus intellectum, legibus vitam miniſtret, obſcuritatem quæ detegat, nodoſa explicet, quæ contraria & pugnantia videantur, componat & conciliet, quæ dubia ſint, in viam revocet, audivi Hiſtoriam eſſe. Memini præterea te qlurima juris publici obſcuriſſima capita partim ex Halicarnaſſao feliciter expediiſſe, antiquitatum veſtigia oſtendiſſe, partim ex Dione aliisq; plurimum lucis ad textuum multorum intelligentiam attuliſſe. Tantum ſiquidem juriſprudentia Hiſtoriarum beneficio debet, ut ſine illis vel omninò non eſſe, aut certè manca eſſe cogatur. Quàm multa, Deum Opt. Max. ſunt, quæ etiamnum à legum, ut ſibi videntur, acutiſſimis verticibus non intelliguntur, quod hiſtoricorum lampade, in antiquitatum nebulis diſcutiendis, deſtituantur? Pauca duntaxat quæram: anguſtia enim temporis longiorem orationem non patitur. Quid quæſo jus relationis quinta eſt, quā ſollicitatè & trepidè, & ſine rationibus divinare inſtituis Alciare? Tacuiſſes, mallem, Egnati. Neque enim hoc loco illud Pindari tiumphale audies: ἀκοντίζεις σκοπῶ ὤχιςα μοισῶν *Ad ſcopum proximè Muſarum jacularis. A foribus, à foribus, inquam, longiſsimè ab erras. Ius relationis invita Probi apud Vopiſc. tertia eſt, quod tanquam regale*

& privilegium maximum Cæſari à ſenatu tributum. Ius iidem eſt quinta in vita Pertinacis. Quæ duo ſi rectè intelligis, ut intellectu proclive erit, ſi locum rectè perpendis, quid Quinta jus ſit, ſine Delio natatore percipies. Sed quid hæc à vulgi oculis remotiora profero, cùm ſæpenumero illa etiam, quæ ante pedes ſunt, non pervideantur. Nec enim juriſperitorum pronior ullibi lapſus eſt aut facilior offenſio, quàm illa, quæ ex ignorantia antiquitatis & hiſtoriæ emergit. Nævus, ita me Deus amat, in eximio corpore valdè nonnunquã inſignis, quiq; non rarò totum vultum alioquin formoſum deturpat. Accurſium admirata omnis ſuperior ætas fuit, admirabitur eundem omnis poſteritas. In legum interpretatione vix ſimilem id tempeſtatis habuit. At quàm ineptus idem, quàm nobis ridiculus, in antiquitatem explicandis rationibus? Quibus ſalebris non hæret? ut ſudat nonnunquam? ut æſtuat? in l. 2. ff. de Orig. I. quàm multa abſurda profert, & , uti ingenioſus Poëta, figmenta pro veris adducit? Sed quid de Caſtrenſi vobis recitem In legum caſtris ille admodũ planè rigidus. Quàm turpiter enim idẽ lapſus? At ubi? in l. fin. C. de inſtituit. ſubſtit. Papinianũ ſcribit coriphæũ anteceſſorum omniũ, ſub Antonio triũviro ſecurim paſſũ, & ætate Auguſti floruiſſe. At tũ temporis, bone Caſtrenſis, in natura caſtris illud juris aſylon nondũ erat. Dic totum dicendo eximerem, ſi excutere ſimilia aliorum

com-

commiſſa vellem. Eò ſeſe referat oratio, ut omnibus hoc perſuaſiſſimum fiat, non minus à die ſolem, quam à juruprudentia latere hiſtoriarum lucem abſtrahi & avelli poſſe: Poſſe itidem ſi in Gothicas tenebras civilium legum theſauri, quod olim ante Lotharium eveniſſe novimus, (Deus avertat) iterum fortè abderetur, poſſe inquam, ex hiſtoricorum voluminibus maximam juriscivilis partem quaſi poſtliminio revocari, Accedam nunc, ad medicos: ſed quid illis ad hanc rem opus? Nihil hactenus dictum eſſe arbitror, quod purgationem aliquam deſideret: Verbum nullum elapſum, quod ad Antyciram illorum remittendum, aut quod helleboro corrigendum. Nam quid de medicorum ſuffragio, quod illi hiſtoriæ debent, addubitem, quorum omnis medendi ratio in hiſtoria, hoc eſt, experientia præcipuè tanquam in baſi & certiſſimo fundamento conſiſtit, ex quibus illi optimi qui ſierum medicamentorum probatiſſimi hiſtorici. Novo enim Machaoni novos veſpillones & Libitinarios, ut in jure vocantur, conſtituendos eſſe ex trivio etiam pueri clamitant. Verum de hac re vobiſcum agam. Tollatur Hypocrates: deleatur Galenus: extinguatur cum ſeptuaginta ſuis voluminibus ἑβδομηκοντὰ βίβλος ille. Gribaſius, tota ſimul illa Arabum familia radicitꝰ exſtirpetur, auſim vobiſcum ſacramento quadragenario contendere, nullam ferè non medicinæ partem ex hi-

 ſtori-

ſtoricorum libris reſtitutum:nam vel unus Plinius noſter ruinam conſolidabit omnium Herodoti Melampodis & Democedis narthecia depromet Herodianus φάρμακα προφυλακτικὰ ſua aperiet: Thucidides peſtilentiæ opem feret φθειρίασι alius: alius aliam lucem curandam dabit. Quid quod quadā morborū genera & nomina ſint,quorū remedia nō niſi ex hiſtoriis etiā hodie nota, Mentagram Claudii tempeſtate ex Aſia Romam commigraſſe,& 200,ſeſtertiis ſanatam, quis medicorum ,niſi ex hiſtoria novit? Et quid hoc adeo mirum videbitur,cum omnia illius archiatri præcepta clinica omnes Aphoriſmi & regulæ ex hiſtoricis collectionibus, teſte Plinio graviſſimo,coacervata ſint. Sed nolo in re tam liquida pedem figere. Convertam me potius ad alias vitæ cōmunis partes. Prius autem Scipiones, Annibales, Iulios & Vegetios, totamq; illā Romanam militiam compellabo. Inde etiam armorum tractandorum conſilia, unde nervum & artem bellicam habeant, unde didicerint, quæram? Ex Pyrrhi & ex Cynea antiquiſſimis monumentis, reſpondebunt. At qui illi? Hiſtorici ſunt & bellorū ſcriptores. Sed quid tu ante ſolios Luculle Xenophontem fateris, cùm antea plane rudis ad imperatoriam dignitatem munuſq; perveniſſes, omnem brevi intervallo imperatoriæ laudis tibi viam apperuiſſe,& victoriarum curſum juviſſe. O incredibilem fructum hiſtoriæ! Hiſtoria vi-

virtutis bellicæ adjutrix: imò verò administratrix bellorum omnium hiſtoria. Quod optime intellèxiſſe literatiſſimus Rom. *Imperator Alexander legitur, qui conſiliis ſuæ militiæ literatos, maximè eos, teſte Lampridio, qui hiſtorias norant, adhibeat. Prudentiſſimus idem ſenſit rex Siculorũ Alphonſus qui belli ſui conſilarios ſolus mortuos eſſe feſtive prædicabat, Hiſtoricos antiquos intelligens, ex quibus omnium rerum conſilia expediendarum, omnium rationes agendarum rerum depromebat. Vtinam idem imperatores, duces & principes omnes intelligerent, minus & fortaſſe nunnunquam in armorum adminſtrationibus periclitaremur. Quid enim ex Thucidide conſilii altioris non depromendum, ex pædia Cyri, quæ omnibus Romanorum ducibus præluxit, quid nòn ad diſcendum? Ex Appiani Alexandrini bellis quid ſtratagematis non cognoſcendum? Ex Polybii ſcriptis, Deum immortalẽ, quid prudentia tum togata, tum militaris, tanquam ex alto fonte non hauriendum? Audiam verò quenquam hodie tum domi tum fores gubernatorem eſſe, qui Guicciardinum non evolverit, qui Cominæum Gallicum non ad unguem ediſcerit? Duo certè hi regum & principum oculi, duo maximarum rerum omniũ & conſiliorum lumina haberi meritò debent, Trojanum omniũ feliciſſimum, & ultra fatalem Euphratis terminum propagati imperii potentiſſimum, Plutarchi præceptoris, hiſtorica inſtitutio effeciſſe creditur.*

creditur. Credendum facere eundem & & hodiernos principes poſſe. Incredibile etenim dictu, quàntę rerum arduarum, & ad Imperii arcana pertinentium in divino illo auctore theſauros exiſtat. Sed quid me tantæ amplitudinis mole efferenda jam dudum ipſe obruo? Non etenim, ſi cum Poeticis centum mihi ora, centum linguas optare liceat, exprimenda magnitudini rerum harum omnium eſſem. Vereor profectò, ne clariſsimam illam temporum lucernam tenebris meis obſcurem magis, quàm illuſtrem. Audiamus itaq; ipſam potius facundiæ vitæq; omnis magiſtram Hiſtoriam, de ſe his verbis ſuis ita concionantem: Quid cauſa, cur me annoſam, inquit, omnis vitæ moderatricē Imperatores, reges, principes, omniumq; ordinū mortales, minore in precio, quam veteres illi mei cultores habeatis? an quod apud Columellam de ignavorum colonorum querela legitur, judicatis me eo modo, ut ibidem tellurem, exhauſtam priſtinis viribus elanguidam, & veſtri ſeculi rationibus ac diſciplinis parum idoneam? At vos ipſi vobis mortui, ſi eo opinionis morbo teneamini: Eadem mihi, quæ ab omni ævo, vires, eadem inſtruendi & gubernandi facultas, idem prudentiæ nervus, imò verò eò major nunc quò copioſior experientiæ ſeries. Cultū religionis vera primis mortalibus aperui: conditionem omnium rerum docui, ſapienti etiam Soloni per Ægyptios ſacerdotes communicavi; temporum & annorum curricula à Philoſophis diligenter

quæſita,

quæſita, Ariſtoteli ignorata ab, Alexandro rege ſummo ſtudio apud Babylonicos inveſtigata, à prima uſq; Auriora per tot longiſſimos a'a. um ſoliuſq; curſus, per tot epochas, tot Olympiadas, ac æras, tot luſtra & ſecula, tot Romanorum reges, & conſules integro numero conſervari. Summa orbis Imperia quatuor, de quibus meus Daniel vaticinatus eſt, monumentis meis concluſi. Omnium fermè regum & principum; familiarumq; eximiarum domos ſtirpes & origines lineas & arbores, ortus & occaſus ad poſteritatem tranſmiſi. Ex me quiſque majores ſuos cognovit, nomina abavorum ſuorum didicit: lucem generis ſui accepit: artes & artificia omnia per me in nationes varias deducta, omnia imperia meis literis adminiſtrata, reſp. conſtitutæ, urbes gubernatæ: regum conſilia temperata: jus divinum & humanum compoſitum: Ego unica priſcæ virtutis feliciſſima cuſtos: omnis memoriæ anima & vita: benè meritorum æternum præmium: malorum & ſceleratorum pœna: Per me Alexander Macedo perpetuum floret: Julius & Auguſtus vivunt, Nerones, Caligulæ, Domitiani, Commodus, Vitellius, Heliogabalus per me æternùm ignominioſi. Nulla ſine meis literis, veterum heroum bella ſuſcepta: ſine me nulla feliciter finita: Ego terrarum orbis imperium Olympiæ filio recluſi: arma illius rexi: in caſtris, in conſiliis in victoriis cum ipſo uſque fui. A Iulio victorioſiſſimo trium-

triumphatore, nunquam diſceſsi. Ego Pompejum Magnum feci, Tullium meum in Aſia expeditionem feliciter deduxi: è Catonis manibus, cùm Hiſpaniam ſubjugaret, nunquam excidi: Scipiones, Romanorum illa bellorum fulmina, per Ennium meum, per Polybium meum ſecuta, nunquam deſerui. Carolum Magnum, occidentis illum auguſtiſsimum inſtauratorem per omnes hoſtiles acies, per longobardorũ clades, per Saracenorum ſtrages maxima cũ gloria ſum comitata. Sed quid verbis multis me de prædicẽ, cùm ſine luce & prædicatione mea in tenebris jacerent, quæ & jam ſunt, quæ fuerunt, & quæ futura ſunt omnia. Ego ſum illa Promothei fax divinitꝰ hominibus illata, cujus proſpicientia non ſolùm ea, quæ longè antegeſta fuerunt, ſed & ea, quæ in ſubſequentiũ omniũ ſeculorũ ſinu addita & abſtruſa ſunt, penitus pervidentur & colluſtrantur, Ego illa, quam Hieronymꝰ ad Heliodorum ſcribens tantoperè deſideravit, altiſsima ſpecula, ex qua univerſus terrarum orbis & quæcunque ab oriente & Occidentem, ab Auſtro ad Septentrionem geruntur, uno quaſi momento & nutu oculis ſubjiciuntur, Ego illa celebratiſsima poetarum figmentis Famæ domus, in qua omnia ea, quæ terra mariq́; apud ſuperos & inferos contingunt, audiuntur, quæ occulta ſunt aperiuntur, quæ in aurem depoſita ſunt manifeſtantur. Ego illa in regum aulis, in magnatũ palatiis Mydeæ auris,

is, quam fugere nihil in quocunque orbis angulo factorum potuit. Ego ille Argi oculus, qui ante, & qui retrò omnia animadvertit. Biceps ego ille Ianus, qui rerum cunctarum ingreſſus ac initia, qui exitus & eventus cunctarum perſpicit. Matrem literarum, literatiſſimme conventus, audiſtis ipſam! Quam verò veritatis luci aliam addemus facem? Hominem equidem dixerim & ſenſus & mentis omnis expertem, qui tam incredibili rerum maximarum fructu, quibus omnis vitæ felicitas continetur, non capiatur. Nunc etenim tandem cognoſcimus longè illud veriſſimum, quod, quemadmodum apud Platone legitur, Ægyptium quendam ſacerdotem de veteribus Græciæ hominibus rerum exterã, priſcaq; hiſtoriæ ignatis, nõ ſine totiꝰ gentis rubore, pernũciaſſe accepimus: At quid iſtud? Græcos per omnem ætatem pueros eſſe: puros appellavit, quòd ultra infantiam nihil tenerent, nihil ſaperent, nihil perſpicerent. Quam verò rectè illud, quàm appoſitè? Quid enim, Deum immortalem, illorum hominum vita, etiamſi longiſſimis annorum curſibus ad Neſtoris uſq; ævum extrahatur, ſi ab omni rerũ præteritarũ cognitione inops ac nuda, ſi tanquam in faſciis puerilibus, ita in ignorantiæ tenebris involuta, ſi omnium illarum rerũ, quæ foris geruntur ſpatiis excluſa, quaſi in anguſtiſſimis ſerpitaſtris, in quibꝰ prima ætatula greſſꝰ & pedes inſtituũtur, cõtineatur, quid, inquã, illorũ vita ab infan-

ab infantia, quid à ſtolida pueritia differt? niſi quod hæc indolem & ſpem rerum maximarum nobis polliceri temporis maturitate poſſit, iſti verò nullam omninò unquam. In pueris præterea hoc eſt oblectabile, quod cùm fari nondum queant, jucundè tamen balbutiant: placet illorum parientibus curioſitas: placet illa de ſingulis quæ oculis, quæ auribus uſurpantur, diligens ſciſcitatio: Nihil horum in illis: In conviviis muti ſunt & elingues, inter piſces ipſi piſces: in prudentum conſeſſibus planè mortui: In publicarum rerum deliberationibus cæci: in medio orbe cùm ſint, quæ in eodem gerantur, quæ geſta ſint non perſpiciunt, non intelligunt. Miſeram profectò hominum pueritiam, quæ undiq; quaſi ergaſtulis inſcitiæ ac imperitiæ circumdata, & tanquam in ſolitudine ac in carcere detenta! Riſit non injuria vir clariſſimus Philippus Camerarios, amicus noſter, quemadmodum ipſe de ſeſe in ſucceſſivis ſuis Horis retulit, Italorũ quorundam, qui tanquam cochleæ domæ ſuæ nunquam egreſſi erant, ineptam, ne dicam planè ſtolidam ſimplicitatem, ruditatem ac ignorantiam, cùm interrogarent, quãnta latitudinis ac magnitudinis urbs Germania eſſet. Vrbem, rerum communium ignari patriam hanc noſtram ampliſſimam, quæ decem circulos ut ætas hodierna vocat inſtar decem juſtorum regnorum complectitur, urbem eſſe unam arbitrabantur, quæ unis tantummodò

modò mœnibus cingatur. Stultiſſimi cum illi Tityrò Vergiliano, qui ſimili opinionis errore captus, de ſeſei pſecanit:

Vrbem quàm dicunt Romã Melibae putavi,
Sultus ego huic noſtra ſimilem.

Non autem aliam me memini, cùm in Dania peregrinaret, in regis Borealibus deprehendere hominum ſimplicitatem: de Weſtphalia: ex qua cùm quamplurimos incolas & peregrinos apud ſe habeant, quantâ capacitate urbis ejus ambitus eſſet, quarebant. Eadem inſcitia puerili præditos pleroſque omnes eſſe animavertimus, qui in nulla hiſtoriarum cognitione verſati, velut hoſpites ac peregrini gentem à gentè diſtinguere, oram ab ora neſciunt, atque ipſi propè etiam ſeſe & ſuos ignorant. Similes profectò generoſiſſimo illi adoleſcenti, qui cùm à regina Angliæ interrogatus eſſet, quà matre eſſet natus? matris ſuæ nomen ſe nunquam indagaſſe reſpondebat. Cæterum, côm, quëadmodum Tullius noſter ad Caſſium ſcripſit, difficile admodum ſit hominibus perſuadere τὸ καλὸν δι᾽ αὐτὸ αἱρετὸν, id, quod honeſtum ſit, per ſe eſſe expetendum, non poſſum, quin etiam ἡδονὴν, quæ tanquam Circe & Medea ac incantatrix mortalium animos illicere, trahereq́ſolet, voluptatem nimirum, ſuavitatem, ſummamq́ jucunditatem, quæ ex hiſtoriarum lectione percipitur, ob oculos

veſtros conſtitutam. Quæ verò illa? Stupidus, atque adeò prutus, cæcus, animiq; ſcævus, ſi illam non ſentias, non percipias. Fabularum ac poëmatum ea dulcedo celebratur, ut & feræ illam ſecutæ, montes & ſylvæ comitatæ, rupes & ſilices eſſe ea commotæ perbibeantur. An verò dulcius ſit fabuloſi Amphionis ac Orphei citharam, quàm ipſum omnis ſuavitatis & charitatis fontem æternum Deum ex hiſtorica veritate audire? quid ille ab orbis huc uſque initio cum ſanctiſsimis hominibus collocutus, ut cum iiſdem pranſus: ut familiariſſimè cœnatus, ut ab incendiis & periculis omnibus pias quaſque animas eripuerit, ut ex mediis immaniſsimi ceti visceribq; in lucẽ vatẽ ſuũ retraxerit; quid præterea filius Dei carnẽ humanã indutus in terris egregit, quos ſermones cum mortalium genere contulerit, quæ præcepta dederit, in quibus certè cognoſcendis omnis vita noſtra felicitas, omnisq; ſpes & opes æternæ beatitudinis collocata.

Quæ verò major voluptas humanis offerri cogitationibus queat, quàm, ſi inſignem pietate Enochum ad aſtra translatum, Eliam Prophetam curru igneo in cœlum tranſvectum, cum Servatore redivivo noſtro, innumeros patrum cœtus è ſepulchris exiſſe, ac regnum cœleſte concendiſſe, ex hiſtoricæ veriſsimis monumentis cognoſcamus? Quæ major jucunditas, quæve oblectationi divinæ propior, quàm quicquid ab origine orbis in omnibus terarum partibus geſtum, quid dictum ſit, perſpice-

ſpicere, ac intelligere, cùm omnibus qui unquam in ſcena rerum mortalium viſi fuerint, regibus colloqui, cum Cyro & Alexandro militatum ire, cum iiſdem univerſum Orientem ſuperare, in eorum palatiis & interioribus conſiliis verſari, in prudentiſsimo Graecorum Amphyctionum conſeſſu ſedere, deliberationibus omnium graviſsimis mentem adhibere: in Romanorum curiis de univerſo orbis imperio adminiſtrando cogitare, fortiſſimos Germanorum noſtrorum imperatores intueri, cũ iiſdem Alpes transvolare, Romam expugnare, ampliſſimasq; victorias domum reportare? O quam jucundum eſt ejuſmodi hoſpites ſemper domi ſua alere, exclamavit olim Plutarchus, cùm Themiſtoclis ſui, cùm Ariſtidis, cùm Solonis aliorumq; ſummorum virorum vitas lectitaret. Oblectatos maximoperè graviſſimos Romanorum principes accepimus, majorum domini affixas imagines cùm intuerentur, plurimumq; ad virtutis imitationem exuſcitatos. At illa nihil ſpiritus, nihil vocis, nihil vivi coloris in ſeſe continent. Hiſtoriam, hiſtoriam potiùs intuere, quæ non inanibus lineamentis adumbrata, ſed expreſſa & viva ſimulacra exhibet, cujus tanta, ſi penitus percipiatur, ſuavitas, tanta voluptas, tam mirifica oblectatio, ut animum legentis extra ipſum rapiat, omnibus affectibus exuat, ac induat quibus velit, mærores ac triſtitias abigat febres & morbos, tanquam divina quadam & Apollinea virtus, medullis

intimis pellat. Quod ne more oratorum potiùs, quàm verè dixiſſe me quiſpiam opinetur, exempla ejus rei memoria omnium digniſſima in illuſtriſſimis duobus ſuperioris ætatis principibus proferam Alphonſũ Siciliæ regem, regem omnium id ſeculi ſapientiſſimum, cùm febricula laborantem lectulus tenerent, lectione Curtii graviſſimi, de rebus Alexandri Magni, hiſtorici, váletudinem nullo alio medicamento adhibito recuperaſſe, graviſſimus auctor teſtatur Panormitanus, qui librum eundẽ regni, animi gratia obtulerat, idq́; poſtea confirmaſſe Siculum, atque in ſumma admiratione & pretio ſcriptorem habuiſſe legimus. Idem Laurentio Medicæ Forentinæ reip. principi ex ſuavitate hiſtorica feliciſſimè contigiſſe, teſtis eſt Paulus Jovius. Cùm enim itidem ille decumberet, ut animum liberali ocio reficeret, ab hiſtoriarum ſtudiis oble ctationem petebat: ac cùm fortè imperatorum noſtræ Germaniæ res geſtas evolveret, in ſuaviſſimam illam obſidionis Winsbergenſis memoriam incidit. Non autem poſſum ipſe tam jucundam narrationem hoc loco præterire. Cunradus Imperator, natione Suecus, tertius, cum Guelfo Bavaræ duce, frater Henrici Superbi, à quo illuſtriſſima Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducum ſuperſtes, aſperrimo animo bellum agitabat, tandemq́; acie victum, & in arcem Winsbergenſem elapſum, arctiſſimaq́; obſidione cinctum, ad deditionẽ Guelfum compellebat, Gerebantur iſta anno

noſtra

noſtræ ſalutis ſupra milleſimum centeſimo quadra-geſimo: At quid poſtea? Belli jure tum ducem, tum reliquos ordinis equeſtris viros captos & in cuſtodiam miſſos tradi ſibi victor jubebat: Mulieribus verò, quæ in eodem præſidio cum maritis obſidionem toleraverant, hanc veniam deprecatis egreſſis conceſſit, ut ipſæ liberatæ, quantum quæque poſſent, humeris rerum ſuarum aſportarent. Mora nulla interceſſit: interjecta nulla deliberatio. Rebus omnibus precioſiſsimis poſthabitis, militũ que prædá relictis, viros ſuos ſingulæ cervice ſuſpiciunt, & ô ſpectaculum omnium, quæ Sol unquam vidit, pulcherrimum! extra mœnia dulciſsimum onus efferunt, ducis Guelfi uxore, quæ & princeps conſilii & facti erat, præcedente. Hanc verò, quam recitatam audiſtis, ex annalibus noſtris hiſtoriam, cum Italus *perlegiſſet, admiriſtratione fœminea virtutis accenſus, præ nimia lætitia ac voluptate, quam inde percipiebat, lectulo deſiluit, valetudinemq; illicò tanquam motu aliquo cœleſti reſtitutam ſenſit. Vim verè divinam Hiſtoriæ! quam neq; ulla harmoniæ* Muſicæ *ſuavitas, quæ & atræ bilis furorem mitigare, & Iſchiadicis doloribus mederi creditur, exuperare poterit! Nemini itaque mirum videbitur, quod ad lacteam Livii hiſtorici eloqentiam audiendam, & ad ſuavitatem ejuſdẽ percipiendam, ab extremis uſque Gadibus in Italiam Patavium uſque veniſſe homines memorentur. Quid enim hominis ſtudia dignius, quid*

v ro principi tum utilius, tum honeſtius, quid uni-verſæ reip. ſalutarius At neq; ullam mihi aliam di-ſciplinarum partem & ſcientiam nominabis, qui majore in auctoritate & precio, majore in laude ac gloria, quàm hiſtoriarum ſtudium apud nobiliſſimos quoſque priſcæ ætatis viros fuerit. Auguſtum Imperatorem tanta diligentia huic lectioni incubuiſſe Suetonius teſtatur, ut inter tot reip. admi-niſtrandæ fluctus, tot curas inter & moleſtias do-meſticas, tum præcepta tum exempla & publicè & privatim conferentia magno numero collegerit. Scripſit idem de vita ſua libros perilluſtres, ut inde exemplum ac imitationem legerent ſucceſſores. quorum liberorum celebritatem maximam fuiſſe vel ex Ulpiano Juriſconſulto non obſcurè cognoſci-tur, qui l. 1. ff. de cadav. punit. decimum Auguſti librum allegavit. Cæſaris autem Commentarios dum pervolvimus, nemo non ambigimus, utrum hominem magis ſtylo hiſtorico, an pilo militari oc-cupatum dicamus. Quid è veteri rep. Piſonem, quid Fabium pictorem, reliquosq; annalium ſcriptores proferam? quid eos, qui publicis dignitatibus ma-ximorumq; munerum adminiſtrationibus relictis, ad ſcribendæ hiſtoriæ voluptatem, tanquam ad a-mœniſſimum ætatis ſuæ portum ſeſe contulerunt? Tantoperè verò annalium ſcriptor Tacitus, Tacito Imperatori non tam cognominis propinquitate, quàm ampliſſimarum rerum gravitate complacu-it, ut quotannis deſcribendū multis voluminibus,

& in bibliothecas imperii hinc inde collocandum ſingulari mandato curarit. Præſagiit fortè optimus imperator illud, quod poſtea huic omnium præſtantiſſimo auctori accidit. Niſi enim Germania noſtra aurei hujus auctoris fideliſſimam curam & cuſtodiam ſuſcepiſſet, totus ille ſcriptor cum literariæ rei maximo vulnere interiiſſet. Nam cùm neque Italia nota, neque Gallia, neque in ullis aliis orbis partibus inveniri poſſet, inventus denuò fuit inter Corbeienſis monaſterii in Weſtphalia pluteos, magnoq; precio emptus, & ad Leonem Decimum allatus, qui veluti precioſiſſimum theſaurum ut certè eſt, redivivium, & poſtliminio in civitatem Latinam reverſum, ſummoperè exoſculatus eſſe perhibetur. Sed quid illa divina & literatiſſima ingenia longiùs perſequar, quibus honeſti amor, hiſtoricaq; veritatis ſtudium ſuapte natura & indole, agnatum, inſitum, infixum? Barbaros potiùs miremur eandem nobiſcum ſuavitatem, voluptatemq; hujus ſtudii omnibus aliis oblectationibꝰ præpoſuiſſe. Quid enim, qui avorum noſtrorum memoria in Italiam venit Zezimus, Bajazethis Turcarum tyranni frater, cùm fraterni laquei metu patrium ſolum vertiſſet, gentis ſuæ hiſtoriam inter tot exilii procellas, clamitatumq;, quibus jactabatur, æſtus, non aliam ob cauſam perſcripſit, quàm ut hujus ſtudii voluptate ærumnarum cogitationes demulceret, curasq; ſuavitate harum re-

rum conſopiret. Exemplum in hac re ſecutus ille eſt Thucydidis, qui cùm invidia popularis flamma è patria eſſet ejectus, exilii ſui levamentum ab hiſtoricis ſuis Muſis quæſivit, majorem profectò voluptatem fructumq; foris conſecutus, quàm ſi domi caninos reipub. latratus pertuliſſet, digniſſimus ſanè Zezimus, qui aut non barbaro ſanguine natus, aut eandē, quā Atheniēſis ſcriptor felicitatem & præmium ſcripta hiſtoria retuliſſet. Ille ſiquidem, cùm ductor copiarum eſſet, urbe pulſus & in exilium relegatus erat, hiſtoria ſcriptor fuit gloriosè domum revocatus. Sed ne Candidatorum capita, quæ mihi jam dudum aviditate nova coronæ ardere videntur, ab hederis petitis longius ſuſpendam, velis, quàm maximè potero, contractis, ad extremam meæ orationis oram contendam. Prodeant autem, prodeant velim, qui ut nobis trivium canit, ſandalium corripere Veneris ſolent, quibus nihil tam egregium, tam ſplendidum, tam elaboratum, tam abſolutum & integrum, quod non arguant, reprehendant, rejiciant: prodeant, qui veritatis luci, vitæq; magiſtræ, ſuas nebulas aſpergunt. In prima autem acie, qui non unus è multis eſt, Picus Mirandula occurrit: quid ille? neminem hiſtoricorum reperiri ait, qui non aliquis ſit mentitus. Huic majore hiatu aſtipulatur vanitatis aſſertor Agrippa, maximè omnium rerum inquit, ſeriē, fidē, conſonantiā, veritatēq; hiſtoria expoſcit, ſed minimè præſtat; Tā inter ſe diſſentiūt

hiſtori-

hiſtoriographi, tam varia & diverſa de iiſdem tradunt, ut omnino fieri non poſſit, quin plurimi illorum mendaciſſimi, & quæ ſequuntur reliqua. Sed ô boni viri, quid hiſtoriæ vitio datis, quod ſcriptoribus hiſtorico calamo abutentibus propriè imputandum? Ideóne vanam & nullius pretii philoſophiam eſſe clamabis, quod philoſophorum quàm plurimi abſurdiſſimas opiniones de æternitate mundi, de atomorum coſluxu, de ſummo hominis bono, de Pyrrhonica omnium rerum dubitatione, aliiſq; ſexcentis ineptiis in medium protulerint? Illudne ex Philoſophia, ſecundum eam eſſe dices, quod contrarium vera Philoſophia habetur? Ideò Theologiam argues, quòd Theologorum tot ſententiæ tam diverſæ & adverſæ inter ſe confligant, quòd tot & tantæ hereſes inter eoſdem gliſcant. Minimè omnium. Veritas una eſt, quæ ex ſe apta, immutabilis & æterna conſiſtit. Diſſonantiam quidem Hiſtoricorum concedimus: hiſtoriæ diſcrepantiam negamus. Inquirendum itaque, in omnibus uti auctoritatibus fieri ſolet, quis ille ſit, qui ſcripſerit, quâ fide, quo affectu, ac in primis ſedulò advertendum, quid quiſque ſcripſerit. Hic omnis judicii acies adhibenda, ne falſa pro veris obtrudantur, ſingulaq; rerum momenta ad normam, ad ordinem & fidem hiſtoriæ, non ad hiſtoricorum redigenda. Sed quis in hac rerum humanarum caligine tam acerbus & iniquus hiſtoriarum cenſor, ut ſi vel unum putidum granum, quod ineſſe o-

mni Punico malo Crates Thebanus dixiſſe apud Laertium legitur, invenerit, propterea abjicere corpus reliquum velit? Eo judicio damnabimus omnium mortalium opera, omnium ſcripta. Nihil enim ex omni parte abſolutum, nihil perfectum, teſte rege Iſraelitarũ ſapientiſſimo, in omnibus humanis actionibus. An Herodotum, quem Tullius parentem hiſtoriarum appellat, quod ultimis Græcorum tempeſtatibus veritatem hiſtoricam primus fuerit perſecutus, idcirco totum repudiabimus, quod nonnulla, quæ fidem vulgarem excedant, interſeruerit? Quæ cùm complecti tua crudelitate nequeas, quod nunquam ex antea audieris, nunquam videris, quodq́ noſtris hodiernis moribus, noſtris diſciplinis, noſtris regionibus non convenientia, neq; noſtris viribus & facultatibus aſſequenda ideóne vana & falſa erunt? Athon parens Hiſtoricorum ſcribit à Xerxe navigatum; compedes Helleſponto injectas, flumina à copiis exhauſta. Nõ credis? At credis, veritate victus, Belgarum noſtrorum naviculas per ſiccas arenas, tanquam per altum, ventus ſecundis ferri. Nunquam idem crederes, ſi Theopompus, aut ſi Craſias de rebus Indicis prodidiſſet. Sed nolo pro Herodoto pugnare pluribus: In manibus eſt viri doctiſſimi Ioachimi Camerarii oratio, eadem de re inſtituta, quæ legi ac intelligi poterit. Hoc mihi nunc ſufficiat monuiſſe, quod Bonfinius decad. 3. lib. 4. Vngar rerum, tanquam regulam hiſtoricũ cenſendũ poſuit. Quodcunque

cunq; inquid, fieri poteſt, & perquàm veriſimile eſt, à veritate non poteſt eſſe alienum. Sufficiat nos obtin-iſſe illud, quod graviſſimus auctor Livius tradit: In rebus inquit, antiquis ſi quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur. Quam plurima enim in veterũ monumẽtis extãt, quæ cùm noſtris auribꝰ fabuloſa videantur, veriora tamen ſint iis quæ ad Sagram, ſecundũ proverbiũ, acciderunt, quod quẽadmodum Leonicus explicat, dici conſuetum de iis rebus, quæ etſi vera ſint, omnem tamen fidem excedant. Pro fabulis res olim plurimæ habitæ ſunt, quæ hodie ex graviſſimis auctoribus veriſſimæ deprehenduntur, & partim à Leone Afro, partim ab Augerio, ut alios præteream, conſignata. Quis enim credidiſſet Antipodes eſſe, quod olim crediſſe hæreticum fuit? quis Æthyopes, niſi navigationes frequentiſſimæ utrumq; genus nobis exhibuiſſent? Quis China, quid Scalantus & Ortelius deſcripſerunt; Mori Utopiam eſſe non exiſtimaſſet, niſi ſuperioribus annis in noſtrum orbem deducti ex ea homines eſſent? Quis, quæ de cæteris orientalis Indiæ miraculis non modò picta, ſed etiam inſculpta circumferuntur, ad Atlantis inſulas, ubi nulla ſomnia habeantur, non relegaſſet, niſi experientia certiſſima eadem confirmaſſet? Ante oculos & ora noſtra cœli lumina verſantur, quæ vulgò omnes cum Lucretio non majora eſſe exſtimant, quàm eſſe videantur: Ridentur, qui perſuadere

artis

artis demonſtrationibus velint, terreni globi magnitudinem centies ſexagies ſexies ſolari corpore ſuperari. Sed quid ad illa cœleſtia miracula digitũ intendo? Quam multa in nobis ipſis oſtendi poſſunt quæ antequam demonſtrentur, falſiſſima eſſe putantur? Naſi longitudinem eſſe trigeſimam partem, nariumq́; foramen centeſimam octuageſimam totius corporis partem, quis credit? Illud tamen veriſſimum eſſe, Vitruvius lib. 13. de archit. c. 1. evincit. Nolim autem, dum hæc pro hiſtoricorum fide differam, quiſpiam veſtrum exiſtimet, me defenſionem eorum ſuſcipere, qui de induſtria, pro libidine & affectu ſuo veritati nebulas offundant, qui hiſtoriam corrumpant, & tanquam Thaiden turpiter proſtituant. Nolim audiri iſtam temerariam Jovii vocem, promittentis in aula Gallica, teſtante Bodino, cuivis magnatum certo pretio operam ſuam in ſtirpe & genealogia ad Herculem uſque genitorem deducenda. Nolim illos in hiſtoricorum claſſe haberi, qui hodiernas nugas & nœnias, Relationum, ut vocant, pagellus circumferant, quiq́; tot mendacia, quot ſyllabas vendi tent. Nolim eos, quibus religionis odio de diverſa ſecta hominibus quid vis ſpargere & ementiri religio nulla eſt. Nec mihi illos quiſpiam hiſtoricorum cœtui annumeret qui in gratiam eorum quos decantandos ſuſceperunt, panegyricas orationes conficiunt, quive funebres conciones ex meris demortuorum præconiis concinnant, qui cœlo uſque

omni-

omnium vitas ſine diſcrimine tollunt, quibus nihil penſi eſt, utrum vera an falſa poſteritati relinquat. Buccinatores ejuſmodi ſortitus eſt noſter Carolus Magnus Eginardum & Aciaolum: nactos Conſtantinus Euſebium: adeptus Beliſarius Procopium; Trojanus ſuum Plinium; conſecutus Apollonius Philiſtratum: Carolus Imp. V. Stapbylum *& Antonium Levam: Coſmus Medices Iovium, Ferdinandus Caſar Nebrinenſem. At illi hunc ſua egregium ſcriptionis fructum retulerunt, ut neque illis, qua verè prodiderint, indubitata fides adhibeatur. Longè verò nobis alius Cominæus, alius Guicciardinus eſt, quorum alter principum quidē ſuorum virtutes debita laude expreſſit: Alter tam ſyncerus, ut nemo ad veterum fidem ac integritatem propiùs acceſſiſſe videatur, quem etiam mutilare veritatis intolerantes, neſcio qua notâ homines, nullis non technis & artibus adhibitis aliquoties conati ſunt. De Sleidano noſtro varia ſunt ex diverſis nata affectibus judicia, qua ſub cenſuram revocare, nec loci hujus nec temporis eſt. Iulii Pflugii Epiſcopi convitium, quod némini ignotum eſſe arbitror, prudentū nemo tanti aſtimabit, ut quod Poſſevinus fruſtra molitus eſt, fidem omnem nobili auctori detrahat. Sed ne clepſydra modum egrediar, finem dicendi faciam, ad ingreſſum lectionum mearum hiſtoricarum, quas inter Kalendas proximū, Deo benevolente, auſpicaturus ſum, reliquis, qua de hac re dici poſſunt, reſervatis.*

ORATIO

ſuſcipit, ejus plenis buccis & buccinis elogium decantet, eóq; contendat maximè, ut tanquam filiam ſuam ornatam & commendatã faciat. Quapropter ſacrarũ literarũ myſteſuggeſtũ ſuũ primò ingreſſi, Theologiæ divinitatẽ ob oculos ponunt: fructũ & utilitatẽ lectionis ſuæ declarant: æternam ſalutem in ſuis ſtudiis poſitã eſſe rectè docent. Juriſperiti, juris volumina dum aperiunt, juſtitiæ dignitatẽ & pulchritudinem depingunt: præmia & honores ſui ſacerdotii exponunt: non domum, non villã, nedũ urbẽ, nedũ regnum & imperium in vita humana ſine legibus poſſe conſiſtere probãt. Medici verò artem ſuam quò non extollunt? originem ejus ad Deos inventores & cultores referunt; nihilq; ſua arte divinius eſſe diſputant: mortis & morborum victorias in digitis numerant? gloriam ſui ſtudii omnibus aliis præferunt: Homericum illum verſiculum:

Ιαϱὸς γὰ ἀνὴϱ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων

tanquam æternum trophæum & triumphum uſurpant. Sed & philoſophi gymnaſia ſua latè aperiũt: ad fontes ſuos prætereuntes invitant: hîc veritatis ſcatebras oſtendunt: nihil inveſtigationibus ſuis fructuoſius, nihil contemplationibus ſuavius eſſe contendunt. Ecquid igitur Muſarum antiſtites Poëtæ faciamus? illotisnè, quod ajunt, pedibus myſteria noſtra aggrediamur? aut cum Zenone ſapiente, tanquam in ſenili convivio, taceamus? cur verò non cum illo potius exclamabimus:

Turpe

Turpe nobis, turpè fuerit, reliquis ſua ſtudia tantò operè prædicantibus, tacere, & noſtra ſilentio præterire. Si qua enim in univerſo artium & diſciplinarum choro ſtudia illa ſunt, quæ tum ſuavitate, tum utilitate in omnibus & admirationem & amorem ſui excitari poſſint, Poetica illa eſſe perſuaſum vobis habete, quorum pulchritudinem, ſi, ut Platonis teſtimonio utar, oculis haurire poſſimus, deſiderium & cupiditatem incredibilem animis noſtris imprimerent. Quamvis autem hæc pulcherrimarum rerum indoles ſit, ut acquiſitum aliunde pigmentum comptumq́; foris allatum reſpuant, itaque nec opus ſit Muſis noſtris, utpote quibus, innata ſua eligantia, lepor, gratia inſtar Solis eſt, commendatione alterius, tanquam laterna comite uti, unde plus fortaſſe caliginis & obſcuritatis, quam claritudinis inferatur. Nolim tamen, cùm ita viſum ſit illuſt. principibus noſtris ut publicè Muſarum ſacra docendi munere impoſiterum defungar; nolui, inquam, quod in magnis pompis & illuſtrioribus ſolennitatibus fieri animadvertimus, in hoc publicum ſcholæ noſtræ theatrũ ſine tuba & face ſponſam meam deducere. Cur enim non ita Muſam meam appellem, cur eo bonore non afficiam, quam mihi divus Imperator vitæ meæ quaſi ſociam, ac tanquam nuptiali annulo & fœdere conjunxit? in cujus delitiis ita acquieſco, ut extra ejus gremium nihil ſuave, nihil jucundũ, nihil

nihil amœnum eſſe affirmare non dubitem. Idcirco jure hoc meo faciam, ut quæ meum hoc caput coronaverit, præmiisq; affecerit, eandem ego, quibus potero laudibus & honoribus ornem & amplificē. Ea autem illius magnitudo, is ſplendor eſt, ut vel graviſſimorum Oratorum cothurni minores ſint, quam ut dignitatem ejus aſſequi & perſequi poſſint. Præſtantiſſimæ olim & pulcherrimæ reginæ, quò elegantius, & formæ ſuæ convenientius ſeſe veſtirent, ipſa ſuis manibus pallas & ſtolas ſuas confeciſſe, ipſa neviſſe leguntur: Sic à nemine puto, Muſarum cultum, præter illas ipſas, quæ par ſit, & elegantia & dignitate exprimi poſſe. Summoperè igitur hîc optarim eam mihi concedi poteſtatem, quam ſibi fieri celeberrimus ille pictor Zeuxes olim poſtulavit, cùm Crotonitæ Veneris imaginem depingi ab eo cuperent. Quid verò ille? quinq; ex univerſo ejus civitatis choro, quæ forma antecellerent, oſtendi ſibi virgines, voluit, à quibus quod foret in ſingulis pulcherrimum, mutuaretur, & in effigiem tranferret: Ita novem illas, quas Muſas vocamus, præſtò eſſe virgines velim, quæ mihi inſuſcepta hac cauſa telam & filum orationis gubernent: quæ in duabus potiſſimùm his partibus verſabitur. Primò ad exemplum proxenetarum, afferam in medium omnia illa argumenta, quibus ſtudium Poëticum maximè commendari poteſt, ejus præſtantiam, ejus utilitatem, ejus ſuavitatē, non quod dicitur per tranſennam videndā, ſed palpandam &

MM dam &

dam & deguſtandam vobis dabo: repellam autem & cavillos eorum, qui idem vituperant, & maculas, quibus vulgo aſpergitur, abſtergam. Poſteriore verò loco, qua ratione ad communis vitæ, tum Ecleſiaſticum, tum Politicum uſum & cōmoda trāſferri & applicari Poëſis & poſſit & debeat, ubi brevibus docuero, finem dicendi faciam. A vobis antē, magnif. illuſtres genere, ampliſſ. ac clariſſ. viri, ea qua par eſt, obſervantia peto, ut, ſi fortè non ea, qua fieri oporteat, dignitate ac elegantia hanc meam ſponſam exornavero, nō ex mea lacinia, ſed precio ſui & proprio cultu illā judicetis: atq; ut in amore moris eſt, nævos, ſi qui nō adeò conſpicui ſunt, nō ſolùm tolerari ſed etiam eoſdem amari: ita velim æquo animo perferatis, ſi quid fortè hiulcum, aſperū, & craſſioris Minervæ filum in hac tela mea intercurrat, idq; tum in mei, quém ſumma ſemper humanitate ac benignitate proſecuti eſtis, quem in hunc locum veſtris quaſi humeris & lacertis conſtituiſtis, tum in Muſarum gratiam, quas hoſpitas, pediſſequas & amicas veſtrûm nemini non eſſe dubito, faciatis. Sentio, dum loquor hoc ipſum, ſentio, inquam, novam veſtræ benevolentiæ & favoris auram, qua, ſi ita vultis, ad exquirendam ſtudii noſtri originem, & Muſarum, veluti indaganda cunabula, felice tanquam in navigatione, utar. Quò autem primùm appellam? quò me conferam? An in Cretam, Jovis patriā? An ad Curetas, qui Jovis cunas cuſtodiviſſe feruntur? An

potius in Delum, in qua Apollo natus? An in Cynthum, in quo ſeſe Mercurius editum gloriatur? Linquo iſta humiliora omnia, tranſeo terreſtria: mitto maritima: in illis, quæ cœlo viciniora ſunt, Muſarum patriam quæram. Quis autem certior nobis dux & index fuerit quàm ipſarum filii? Audiamus igitur Orpheum, interrogemus Homerum, credamus Heſiodo, qui illas in cœlo conceptas, in cœlo natas, & ex cœlo mortalibus miſſas eſſe fingũt? imò verò rectè affirmant. Nec enim quiſquam, ac ſi pro Romano tribunali hæc res agatur, Poëtarum teſtimonium tanquam domeſticum rejiciat; Romanæ fidei hominem ipſum Ciceronem graviſſimũ conſulem idem confirmantem adducam; qui non inter lyras, non inter barbitos, non inter Muſarum teſtudines, nec inter Liberi, ut Plautino verbo utar, flores; verùm in ampliſſimo foro, in publico judicio, coram graviſſimo prætore, cùm rem omnium pro Archia ſeveriſſimam ageret, divina hæc & cœleſtia ſtudia pronunciavit. Atq; illi univerſus omnium Philoſophorum, Oratorum omnium, omnium ſapientum circus ſuffragatur, Quid enim aliud Poëtæ volunt, cùm Jovis filias ex matre Memoriâ procreatas eſſe novem illas Muſas commententur? quid inquam, volunt aliud, quàm planè cœleſtia hæc munera eſſe, quæ non ut reliquæ diſciplinæ præceptionibus imprimãtur, arte perficiãtur imitatione expoliantur, ſed ſingulari Dei inſtinctu

& munere animis hominum infundantur. Quod cùm divinus ille Plato intelligeret, neminem poſſe exclamavit, ad fores Poëticas accedere, niſi cœleſti aliquo ſpiritu imbutus haberetur. Propterea veriſſimum eſt, quod canit ille:

Eſt Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Quamvis enim ſecundum illud Apoſtoli, omne lumen à patre luminis ſit, habeantq; omnia animi & ingenii dona, ſuam ex cœlo originem, & ad Deum tanquam unicum fontem ſeſe referant, ex profundiore tamen virtute ſcaturire, & à diviniore penetrali proficiſci rectè illa dicuntur, quæ compara ta cum aliis propè ſola cœleſtia eſſe videantur. Nã ſi ad hominem transferre rem velimus, cætera quidem omnia in cerebro naſci: hæc verò ima mente, tanquam im diviniſſima parte, oriri, arbitremur. Nulla enim ſtudia ſunt, quæ majore vi mentis peragantur, quàm divina illa Poëtarum meditationes, quas Jovis filias appellamus. Propterea, ſi Varroni fidem habemus, Vates nuncupati ſunt, â vimentis, quâ illi plus quàm quicquid aliorum hominum eſt, pollere intelliguntur. Nam quod Deorum proprium eſt, illud etiam cum Diis Pœtæ cõmune habent: vaticinantur, futura præſciunt, oracula dictant. Animadvertit hoc etiam ſobria illa antiquitas, quæ genus eſſe Deorum, & ex cœlo lapſos poëtas judicarit: agnoverunt ſapientiſſimi quique eam in poëtarũ dictis divinitatẽ, ut etiã

loco

loco oraculorum ſcripta illorum habuerint. Quid enim dicam de ſortibus ex Homero noſtro petitis, cùm jam in eam venerationem hominum monumenta ejus veniſſent, ut in rebus fractis & dubiis, tanquam tripodes, & libri Sybillini conſulerētur. Atqui ne fortè aniles ineptias me loqui exiſtimetis. Socratis, qui ſapientiſſimus judicatus eſt, exemplū percipite. Quid ille? Cùm ſecundum quietem audiſſet recitari illum verſum Homerici Achillis:

ἤματικεν τριτάτῳ Φθίην ἐρέβωλον ἱκοίμην:

Quem ſi vultis, ex verſione Ciceronis l.1. de divin. ita habete: Tertia te Phthia tempeſtas læta locabit, hunc verſum, inquam, cùm audiſſet, intellectorei portēto, die ſe tertio moriturū Æſchini prædixit, & evenit. Sed & M. Brutus vir integerrimus, cùm belli Pharſalici aleam præſcire geſtiret, non ut Crœſus quondam fecerat, in Delum, ut ſciſcitarentur Apollinem, legatos miſit, non ad avium volatus & garritus ſe convertit non Carmente folia audiit, ſed animum ad Homerica volumina, tanquam ad oracula appulit, quæ quaſi præmonerent, interitum certùm denunciabant. Verſus oblatus erat ille Patrocli moribundi Hectorem alloquentis:

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλόη καὶ λυτοῦς ἔκτανεν υἱός.

Me ſera parca ferit, ſævuſq́ trucidat Apollo

Verſus verus judicatus: ille verò everſus eſt, Atq́ eò tandem honoris Homericū carmen venit, ut jam faſces & ſecures, purpura & diadema, imperium

ac regnum, non, ut olim Romuli religio fuerat, à vulturibus aut aquilis peteretur, neq; de ea re augurum collegia conſulerentur, ſed à ortibus Homericis futura docerent. Fecerat, ut unicum exemplum adducam, ejus rei periculum Opilius Macrinus, cui cùm obtigiſſet, ille locus Homeri:

ὦ γέρον ἦ δή σε νέοι τείρουσι μάχηται
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δὲ σε γῆρας ὀπάζει.

O ſenex certè multum jam te juvenes fatigant milites, tua autem fortitudo ſoluta eſt, difficilis verò te ſenectus premit: haud obſcurè ex eo illud intellexit, quod brevi exitu ipſe ſuo cõprobavit. Cùm enim jam ætatis exhauſta eſſet, menſisq; duos tantummodò ultra annum imperaſſet, ab Heliogabalo admodum juvene & regno & vita privatus eſt. Atque ex his intelligitis, auditores cur tanquam peculiari, ut vocãt, epitheto, divini poëtæ appellentur, quòd calamum ſuum non terreſtri aliquo atramento, ſed cæleſti virtute tingant: quorũ etiam ſcripta non modò de præteritis ac de præſentibus loquantur, verùm etiam futurarum rerum arcanam ſcientiam complectantur. Ne quis enim ſolũ Homerum, à quo, ut ait ille:

——ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis,

tanquam Apollinem & oraculum ſuſcipiat: reliquis verò ejuſmodi divinitatem eſſe neget: idem de aliis judicatum, idem in aliis comprobatum, idem confirmatum eſſe, paucis ſi attenderitis, doce-

cebo. Quidenim Adrianus doctiſſimus ille imperator? cùm Trojani erga ſe animum & judicium ſcire averet, Virgilianum carmen conſuluiſſe legitur, cui illi ex lib. 6. Æn. verſiculi:

Quis procul ille autē ramis inſignis olivæ
Sacra ferens? noſce crines incanaq́ mēta
Reges Romani, primā qui legibus urbem
Fundavit Curibus parvis & paupere terra
Miſſus in Imperium magnum.

imperium ſcilicet carmina promiſerunt, imò in illud magnum imperium hominem miſerunt. Fuit idem noſter Poëta divinus Alexandro Severo Imperatori imperii ſuperſtitioſus quidem deſignator, verùs tamē aruſpex. Cùm enim ille ſortes ejus conſuluiſſet, parvulus etiam tum, incidiſſe in hunc verſiculum dicitur:

Te manet imperium cœli terræq́ mariſq́:

Ecquis hic non Pythium, non ſeptem illas Sybillas præ Mantuano illo oraculo contempſerit? Fecit hoc Cladius ille Imperator ſecundus laudatiſſimus qui non tantùm fidei lituò augurali, quam lituo Virgiliano habuit. Ille enim cùm de vita & regnò ſuò Poëtæ noſtri ſciſcitaretur vaticinium, ſortitò nactus eſt illum ex lib. 6. Æn. verſiculum:

Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas:

Quid quidem verè ipſi contigit: Triennale enim imperium non complevit. Quæſierat idem de fratre Quintillo, quē imperii conſortem habere deſiderabat; Sortiū loco ille ex 6. Ænid. prodiit:

Oſtendit terris hunc tantum fata:

Atqui hoc ut dictum, ita factum eſt: Decimo enim ſeptimo imperii die, cùm vix oſtenſus eſſet imperio, interemptus eſt. Poſſem ſexcenta alia ex ejuſdem noſtri Apollinus ſoliis ſimilia oracula afferre, poſſe Muſæũ aliosq́ꝫ Poëtas, quibus idē bonoris habitũ, in quibus eadem divinitas perſpecta quorumq́ꝫ carmina tanquã cœlitus, ut ancilia illa Romana delapſa in delubris religiosè obſervata, in templis culta, & pro oraculis habita ſunt. Poſſem, ſi opus ſit, pluribus argumentis divinos, aut, ut Ennius eos vocat, ſanctos eſſe Poëtas, aſſerere. Sed vereor ne abutar veſtra aura quā modò mihi cōceſſiſtis & auribus. Unum vero hoc omittere non poſſum, quod Poetas Deorum filios eſſe evidentiſſimè demonſtrabit, cùm deorum ſingularem protectionem, curam & amorem erga ſe ipſi percipiant, adeò, ut imminētibus periculis ſæpenumerò alii ſint erepti, alii ex mediis fluctibus non ſine miraculo liberati, alii ex præſent bus caſibus manu ipſius Dei extracti. Quid enim Simonidi Poetæ accidit? qui cum apud hoſpitem ſuum in Theſſalia cum multis aliis convivaretur, deorum monitu ſolus triclinii ruinam effugit. Arionis autem diſcrimen omnibus notum eſt, qui cùm partis ſtudio ſuo pecuniis Corinthum navigaſſet, & à naviculariis ſpoliatus, & in mare præcipitatus eſſet, à Delphino (Dei auriga fuit) exceptus & conſervatus eſt. Accedit hoc, quòd ipſi

etiam

etiam dii ultores exſtiterint injuriarum, ſi quæ Poetis, illata fuerint. A latronibus interfectus erat Heſiodus, cadaver ejus in mare projectum, Delphini illud revexiſſe feruntur: Occiſores verò fuga navali arepta, naufragio (Dei tempeſtas erat) perierunt. Ibyci vero grues quis ignorat, quæ juſſu Dei, Poetæ necem detexerunt & vindicarunt? His itaq; quæ dicta ſunt, rectè intellectis, neminem fore arbitror, qui tanquam ſomnium & deliramentum Poetarum conſuetudinem illam irrideat, cùm in operum ſuorum exordiis invocationem ad Muſas inſtituant, easq́ ex cœlo deſcendere jubeant. Scio eſſe quoſdam, qui in Chriſtianis vatibus hoc maximè reprehendant, qui, quamprimùm è cœlo vocari Muſam audierint, aures avertant, libros objiciant, & tanquam Sirenes fugiant, deniq; impietatis, ut illis videtur damnent. Qui homines, neſcio utrum ita illiterati ſint, ut Muſarum nomen nec intelligant, & ob id ferre nequeant? An verò adeò iniqui erga Muſas ut è cœlo deturbare eas velint. Gentile nomē eſſe clamitāt, & propterea Chriſtianorum & lingua & aure indignum. Removere igitur hoc argumento omnia omnium artium nomina, omnes ſcientiam tollite; omnes diſciplinas ejicite; à gentibus hæc omnia ſunt inventa, à gentibus primum exculta, à gentibus accepta. Quaſi verò nomen ullum profanum ſit, res cum ſit ſancta & glorioſa. An verò ob id Muſas obliterandas eſſe cenſes, quod tanquam Deæ pri-

ſcis habita & culta ſint? Noli verò illud Muſis, ſed moribus temporum aſcribere. Quamvis mihi nemo perſuadeat, divinos illos Poëtas adeò cæcos fuiſſe, ut quas ſciebant meditationes & inſtinctus eſſe, deos, & numina eſſe peculiaria crediderint. In parietibus templorum, in aulæis, in tabulis, in periſtromatis, in tapetis Fidem, Spem, Dilectionem, Temperantiam, & id genus virtutes virgineo habitu depictas tanquam Deas toleramus: quid ni Poetis, quibus eadem cum pictoribus poteſtas eſt, licentiã eam concedemus? Quis verò adeò vittas & pallas exhorret, quis virgineas formas adeò averſatur, ut Muſas noſtras eo cultu & vultu videre nolit? Quas ideò virgines illarum amatores fecerunt, quòd nihil impurum, nihil Feſcenninum, nihil fœdum, nihil Oſcum ex fonte Poëtarum manare voluerint; omnia ſint in carmine terſa: polita omnia: omnia compta & ſplendida. Quod ſi his igitur virginibus cœlo interdicere volueris, dic mihi, quæſo, quibus machinis alteram illam è cœlo deturbabis, quæ Solis hoſpita eſt, & inter duodecim ſigna cœleſtia collocatur, quæ præter ſpicam nulla arma habet, quibus reſiſtere ſibi poſſit? Leonem enim non facilè aggredieris, nec Tauro viam intercludes, nec Arieti occurres: nec Cancri chelas apprehendes: Piſcibus ſi cum Pythagora ſapis, manus abſtinebis, ne Ionæ periculum experiaris. Atqui & hæc omnia gentilia ſunt: ab Ethnicis nomina ſyderum cælo impoſita; quæ ſi Christiano cælo non admittimus:

& ſi Chriſtianis diebus Martis, Jovis, Mercurii, & Veneris nomina ac honores concedimus, ſi denique neque Orionis, neque Pleiadum, neque Pacis neque concordiæ, neque Eventus, aliaq; infinita deorum dearumq; gentilium nomina literarum ſacrarum divinitatem profanant, ſi neque ᾅδου vocabulum ſanctiſſimum Apoſtolorum ſymbolum contemerant: quæ ſuperſtitio, quæ invidia, quæ iniquitas, Muſarum nomina carminis uſu, in quo tanquam artis termini adhibentur, excludere, cœloq; omni interdicere? Vnde cùm originem habeant, eodem eas remitto, & in terram me recipio. Hic verò quos honores, quæ præmia quas dignitates, quæ munera oſtendam, quibus Poëtæ affecti & cumulati ſint? Vt enim hoc ſtudium antiquiſſimum: ita præſtantiſſimum à primordiis ſuis habitum eſt, utpote è cujus fontibus omnium cæterarum facultatum & diſciplinarum rivuli hauſti & deducti ſunt. Cùm enim omnia rudia, inculta, victuq; aſpera eſſent, nondum mœnia, non urbes, non domus, nondũ tuguria ulla ſtarent, nec leges, nec mores, jus aut fas ullum inter homines floreret; Muſæ ecce filius ille à matre informatus, cœlitus inſtinctus & edoctus, prodit, de quo hoc canit Horatius;

Sylveſtres homines ſacer interpreſq; Deorum,
Cædibus & victu fœdo, deterruit Orpheus,
Dictus ob id lenire tigres rabidoſq; leones.

Inde primum honores huic ſtudio haberi captum eſt, ſoliq; jam Poëtæ urbes concedebant: reſpubl.

publ.conſtituebant: leges proponebant: præmiis juſtos afficiebant: pœnas nocentibus infligebant: & aurea illa ſecula inſtituebant. Atque hoc eſt, quod idem Horatius cantat:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis.
Saxa movere ſono teſtudinis & prece blanda
Ducere quo vellet, &c.

Jamq́; in eam admirationem ſacra Poëſis venerat, ut reges & principes, ſummiq́; Heroes eam amplecterentur, & colerent, ſtudiumq́; ejus maximè promoverent. Iam Hercules Lino Poetæ erudiendus tradebatur: Iam Perſeus rex Mycænarum Poeticam ſcholam propè montem Parnaſſum condebat, & illum fontem omnium doctrinarum (de quo celeberrimus in fabulis ſermo eſt) aperiebat: Iam Ptolomæus Ægyptius in aulam Poetas recipiebat, ſeptemq́; illos (quos Pleiades Græcia vocarunt) ſibi familiariſſimos faciebat: Lycophronem Anagrammatiſmi inventorem magnis muneribus ornabat. Iam Æſchylus & Simonides apud Hieronem florebant: Iam Dionyſio poſteriori Philoxenus: Iam Antigono Macedonum regi: Antagoras Rhodius & Aratus familiares erant. Quid verò vobis Alexandrum illum Magnum producam? qui adeò delectatus fuit his ſtudiis, ut Homericam iliadem viaticum militiæ ſuæ dixerit: quam vigilans nunquam è ſinu deponebat: dormiens nunquam deſerebat, ſed ſub pulvino ſuo poſitam tanquam individuam comitem & ſociam vitæ habebat. Cui

bat. Cui cùm ex Darii Regis theſauris pretioſiſſimum ſcrinium offeretur, in quo uniones ac margarita aſſervabantur, dignum id eſſe ajebat, in quo præſtantiſſimi Poetæ ſcripta reponerentur. O dignũ tanto rege judicium, dignum quod omnium hominum memoria celebretur! Audiant hoc illi, audiant & erubeſcant Poetarum paginas contemnere, qui ad Indiam & Arabiam, ad Pharmacopolas, ad aromatum & piperis emptores carminum libros mittere malint, quàm eas legere. Similes profectò illi Æſopico, qui gemmam, qua uti neſcit, negligit, & granum frumenti præ hyacintho eligit. Sed quorſum me abripit hæc indignitas. Ad Alexandrum ſummum illum Poetarum patronum revertar, cujus lachrymas præterire nequeo, quas in tumulo Achyllis effudit, quem ob id felicem exclamabat, quòd Homerum virtutis ſuæ præconem nactus eſſet: at quid lacrymæ teſtes erant affectus & doloris quem ex deſiderio tanti ſcriptoris concipiebat. Hoc *enim omnibus animis generoſis & virtute præditis inditum eſt, ut tanquam ſibi affinẽ & cognatam hanc artem ament & venerentur, cum nominis ſui æternitatem, non tam in ſtatuis & coloſſis ac marmoribus conſiſtere poſſe, quàm carminis celebritate conſervari intelligant. Conſideravit hoc Hercules, qui cum Muſis pactum hoc iniiſſe dicitur, ut ille, quas armis defenderet, ſuoque patrocinio tueretur, res ſuas præclarè geſtas labo-*

resq;

resq; exantlatos æternæ ſcriptorum memoriæ commendarent. Adeò verum eſt illud quod dicitur:

Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Amarunt eam ob rem, ut à Græcis ad Latinos veniam, antiqui Imperatores Romani tantopere ſuos Poetas, ut eos perpetuos comites habuerint. Ennius itaque à latere Scipionis, dum vivebant uterque, nunquam diſceſſit: nec mortuus à mortuo, ſeparatus eſt, ſed uterque in idem monumentum collocati. Virgilius & Flaccus cum Auguſto cœnant: cum eodem peregrinantur & ambulant, imò verò univerſus pop. Roman. auditis Maronis verſibus, tanquam cœleſti aliqua tuba, aſſurrexit, præſentemq; Poetam, quaſi Auguſtum ipſum, in theatro veneratus eſt. Quod verò omnium maximum eſt, tantus Romæ honor Poetis habebatur, ut non aliter ac Imperatores: ſi qui Parthos & Perſas devicerant, ſi Volſcos ſuperarāt, ſi ſigna amiſſa retulerāt, ſi Romanos fines amplificarant: ita etiam Poeta, ſi quod opus memoria dignum ediderant, triumphali curru, laurea incincti, plauſu totius populi comitante in urbe circumveherentur, ſtatuæ iiſdem ponerentur, non quidem aliam ob cauſam, quàm quod res præclarè gerere, & res præclarè geſtas præclarè deſcribere, in eodem laboris & laudis momento priſci illi ſapientes reponerent. Atque tum quidem ſtudia hæc florebant, cùm Poëtarum collegia non niſi à potentiſſimis & illuſtriſſimis Principibus civitatis frequentarentur, cùm duo illa

ſumma

ſumma capita, Iulius & Auguſtus aſcribi in numerum Poetarum voluiſſent: Quorum ille non generis ſui claritatem, non potentiæ ſplendorem tanti fecit, quanti præſtantiam hujus ſtudii. Nec enim volebat ab Actio, quem meliorem ſeſe in carmine ſcribendo eſſe noverat, aſſurgendo ſibi honorem exhiberi. Exhibebat ipſe tum huic, tum aliis, quos ſuperiores ingenio & ſtudio illo animadverterat. Alter vero ipſo in publicis ſpectaculis artis Poeticæ ſpecimina illuſtria feciſſe legitur, cujus benevolentia & amor erga Maronem & Flaccum magis ferè ipſum, quàm purpura & faſcia imperialis nobilitavit. Longius foret catalogum inſtituere eorum principum, & regum ac imperatorũ, qui Poeticæ ſtudia non ſolùm amarunt, & eorum cultores ſummis præmiis & honoribus ornarunt, verùm etiam ipſi ea extractarunt, nomenq́; ac titulos ab iis ſibi compararunt. Theophanem mihi à Pompejo civitate donatum videte: Terentium juxta Scipionem in curru triumphali pileatum ſpectare: Oppianum planè aureum factum ab Alexandro Severo imperatore aſpicite: Veſpaſianũ maximis muneribus Poetas allicientem cognoſcite: Titum medias inter Muſas ſedentem, ſcribentem, meditantem intuemini: Claudium Imperatorem ad Cathedram Nonniani Poetæ properantem contemplamini. Sed quid veteribus exemplis immoror? Carolum Magnum inter armorum ſtrepitus, inter claſſica & equorũ fremitus,

Poeti-

Poëticis ſtudiis vacaſſe, carmina dictaſſe verſus ſcripſiſſe accepimus. Vivunt etiamnum ipſius lugubres næniæ, quibus Rolandi mortem perſecutus eſt. Vt autẽ alios præteream Carolum Quartũ, qua laude ſupra Pegaſum ipſum qui intra ſydera volare cernitur extollam? Hic enim eſt ille, hic eſt, qui cùm jacere hæc ſtudia, tenebris & barbarie Gothica oppreſſa animadverteret, nulla re alia inflãmari & in novum vigorem reduci artes poſſe intellexit, quàm ſi præmia & honores ipſarum cultoribus conſtituerentur. Artes enim, ut cum illo exclamem, honos alit, honos propagat, omnesq́; accẽduntur præmiis. Novas *igitur Carolus dignitates nova ornamẽta, privilegia, favores, præeminentias Poëtis propoſuit, quos ab ipſo Imperatore laurea coronari, annulo decorari, inſigniri & nobilitari voluit. O divinum erga divina ſtudia beneficium! quòd omnia illa Olympici Gymnaſii præmia & brabea ſuperat: omnes illas athletarum veterum coronas vincit: omnia illa Pompeiani theatri munera à tergo relinquit. Quis enim tum ferè ex tota Germania exulantes Muſas quaſi poſtliminio reduxit? Carolus. Quis humaniorum artium fontes muſco & ſqualore obſitos priſtinæ celebritati reſtituit? Carolus. Quis illum contra Gorgoneam barbariẽ gladium tum temporis ferè amiſſum, recoxit & expolivit? Carolus. Vos Germaniæ fluvii, vos colles & nemora, vos, inquam, teſtes hujus rei nomino, quibus ante hæc tempora, inaudita erant*

terſioris

endi lege amiſerat: heres, qui ſuccederet, nullus relictus erat: interierat omnis regius ſurculus: Regnum ſine capite ſtare diu non poterat: Comitia indicuntur, vota & ſuffragia audiuntur: Sententiæ diſtrahuntur favores diverſi & adverſi oriuntur. Id verò tandem omnibus placuit, ut qui regem demortuum honoribus omnium maximis afficeret in vacuum ejus ſolium & regnũ ſuccederet. Quam varia hic putatis eſſe honoris habendi ſuſcepta certamina? hic marmoreas ſtatuas ponit, ille immenſa magnitudinis coloſſos erigit, alii ex auro regis imaginem ſculpunt, alij monumenta & mauſolea ex lapide pretioſiſſimo ædificant. Unus autem, ecce, prodiit, qui cùm defuncti laudes carmine complexus eſſet, omnium ſententia, cæterorum operas, induſtrias, ſumptus & labores ſuperaſſe judicatus eſt: quandoquidem nihil in marmoreis ſtatuis foret diuturnum: nihil in coloſſis perpetuum: nihil in ſculpturis perenne: nihil in monumentis & Mauſoleis durabile, Carminis verò gloria ad omnem poſteritatis memoriam ſola perveniret. O dignam vel ipſo Catone ſententiam, dignos felicitate regni perpetua, qui illa eodem modo rectè intelligitis & judicatis. Atqui judicarunt de re eadem ſimiliter non ſine ſummæ prudẽtiæ ac virtutis laude veteres Argentinæ Eccleſiæ Antiſtes. Quid verò illi? Cùm Utho illuſtris ex Franconia comes, maximus literarũ bonarumq́; artium amator, librorũq́; qui etiãnum in

 urbe

imitatus Maximilianus I. quid verò ille? ut aboli-
tam, quemadmodum ipſe Imperator his verbis lo-
quitur, priſci ſeculi eloquentiam reſtitueret, more
veterum Imperatorum in Viennenſi Gymnaſio ſin-
gulare Poëtarum Collegium inſtituit, illudq; pri-
vilegiis maximis ac ornamentis condecoravit, hac
poteſtate Poëtices & Oratoriæ profeſſori Conrado
Celti, Collegii præſidi, ejusq; ſucceſſoribus conceſſa,
ut quos dignos divini ſtudii præmio judicaret, lau-
rea Imperiali coronaret. In manibus noſtris Cæſa-
rei privilegii pagina etiamnum verſatur, quæ Po-
ëticis ſtudium & exercitium non modò univerſitati
Viennenſi ſingularem acceſſionem allaturum; ſed
etiam univerſæ reip. Germanorum præcipuo decori
& ornamento futurum, Auguſtus veriſſimè teſta-
tur. Quorſum autem me prætereuntis hujus vela abri-
piunt? Græciam enavigavi: Poëtas cum regibus
ambulantes, cum principibus familiariter collo-
quentes, cum Imperatoribus convivantes offendi.
Italiam peragravi: Poetas ſedentes in ſoliis, in
ſenatu, in ſummis Cathedris Paparum aſpexi: ad
Danubium & Mœnum veni, Poetas ab ipſis Impe-
ratoribus coronatos & inſignitos percepi. Unum
mihi ſupereſt regnum, in quo, ubi ex Poetis olim
reges factos eſſe oſtendero, ad portum me conver-
tam. Quid enim de Dania vobis, auditores, lo-
quar? rem multis fortaſſe incredibilem, niſi ma-
gna magiſtra illa temporũ hiſtoria rem ſua aucto-
ritate teſtatur. Regem illa ſuum communi mori

tradi

endi lege amiſerat: heres, qui ſuccederet, nullus relictus erat: interierat omnis regius ſurculus: Regnum ſine capite ſtare diu non poterat: Comitia indicuntur, vota & ſuffragia audiuntur: Sententiæ diſtrahuntur favores diverſi & adverſi oriuntur. Id verò tandem omnibus placuit, ut qui regem demortuum honoribus omnium maximis afficeret in vacuum ejus ſolium & regnũ ſuccederet. Quam varia hic putatis eſſe honoris habendi ſuſcepta certamina? hic marmoreas ſtatuas ponit, ille immenſa magnitudinis coloſſos erigit, alii ex auro regis imaginem ſculpunt, alij monumenta & mauſolea ex lapide precioſiſſimo ædificant. Unus autem, ecce, prodiit, qui cùm defuncti laudes carmine complexus eſſet, omnium ſententia, cæterorum operas, induſtrias, ſumptus & labores ſuperaſſe judicatus eſt; quandoquidem nihil in marmoreis ſtatuis foret diuturnum: nihil in coloſſis perpetuum: nihil in ſculpturis perenne: nihil in monumentis & Mauſolæis durabile, Carminis verò gloria ad omnem poſteritatis memoriam ſola perveniret. O dignam vel ipſo Catone ſententiam, dignos felicitate regni perpetua, qui illa eodem modo rectè intelligitis & judicatis. Atqui judicarunt de re eadem ſimiliter non ſine ſummæ prudẽtia ac virtutis laude veteres Argentinæ Eccleſiæ Antiſtes. Quid verò illi? Cùm Utho illuſtris ex Franconia comes, maximus literarũ bonarumq; artium amator, librorũq; qui etiãnum in

urbe ſuperſtites ſunt, diligens collector, Epiſcopatum unà cum vita reliquiſſet, Erckembaldus vir doctus, & ut ea ætas ferebat, non inelegans poëta, ſucceſſor ejus deſignatus fuit; multiſq; aliis competitoribus prælatus, quod Epiſcoporum omnium antecesſorum ſuorum vitas carmine complexus eſſet, atq; idcirco meritis immortalibus cæteros anteiret. Sic me profectò delectant illi honores, qui Poëtis hactenus habiti ſunt, ut quod columbis accidere dicunt; idem mihi propemodum eveniat. Illa enim ubi in leguminis quoddam genus (craccam appellant) inciderunt, ſuavitate ejus captæ, pelli ex agro, in quo ſatum eſt, ægrè poſſunt: Et mihi jam dudum Cracchi fiſtula opus fuiſſet, quæ exſpatiantem licentius revocaſſet. Mitto ergo hæc, & ad ea quæ dicenda reſtant propero. Brevibus autem (juvate me veſtra gratia & benevolentia) reliquum curſum perficiam. Cùm enim nihil hactenus præter præmia, præter honores, præter dignitates, præter coronas Poëtarum audiveritis: Non ſatis id eſſe aliquis dixerit, niſi merita etiam illorum in medium attuleris. Poſſent vel quadrupedes coronari, poſſent in cathedras collocari, ſi in habendis honoribus nihil aliud quàm aures bruti ſpectaveris. Prodite, ubicunq; nunc eſtis, Muſæ prodite, & cauſam veſtram ipſæ agite. Audite verò unam ex omnibus de utilitate & ſuavitate Poetica in hunc modum loquentem: Quinam, inquit, inter homines adeò inhumanus & ferus eſt, quis tam dura,

tam

tam cyclopica & Batavæ auris, ut quæ universos mortales contulerimus commoda, quos omnia regna & imperia fructus & emolumenta à nobis acceperint, non audierit, dulcedinem noſtram non perceperit, delitias non deguſtarit, voluptates non ſenſerit? Atqui ſaxa, feræ & ſolitudines voce noſtra flexa ſunt: flumina cantu noſtro attonita ſteterunt: venti lyræ noſtræ ſilentium præbuerunt: Aquilo & Boreas conticuerunt: Ego enim illa ſum, quæ prima mœnia condidi: lapides coëgi, ſylvas loco ſuo movi: Ego illa ſum, quæ montes traxi, leones duxi, tigrides permulſi. Meæ erant illæ apiculæ, quæ Platonis, quæ Steſichori, quæ Pyndari, labiis inſederunt. Mea erant illa mella, mei ſucci, meæ medullæ, quas ille pueris ingeſſerunt. Mea, mea, inquam, erat illa buccina, quæ Spartanis contra Meſſenios victorias peperit: Mea erant, illa Tyrtæi ad exercitum hortamenta, mea conſilia, mea ſolatia. Mea erat illa tuba, quæ Alexandrum Magnum ad arma excitavit: meum erat illud viaticum, quo bellum ſuſtentabat, Cythera illa mea erat, quæ Achillis iram frangebat, dolorem leniebat, deſiderium molliebat. Ego Arioni meo illam teſtudinem dederam, quam Delphini admirati & ſecuti ſunt. Meus erat ille filius, de cujus patria ſeptem illæ urbes contenderunt, quem Colophonii ſuum, Smirnæi ſuum, Rhodii ſuum, Salamines ſuum eſſe clamarunt. Meus ille eſt, qui licet cæcus fuerit; lumen tamen ad rerum omnium cognitionem

præbuit. Atqui ille eſt, quem Imperator ille magnus in ſuis legibus parentem omnis virtutis appellavit. Mea erat illa Solonis cantio, quæ Athenienſibus Salaminem inſulam recuperavit. Ego Periclem & Sophoclem Poëtam ad Atticæ reipub. clavum collocavi. Ego eundem obeundis belli muniis præfeci. Ac ne Ethnica omnia loquar, exemplis ſacris non deſtituor. Ego enim illa ſum, quæ Jehovæ Opt. Max. Ægyptiis copiis mari ſubmerſis, epinicion illud amabile cecini? Ego ſum illa, quæ Davidi ſacrum illud plectrum de manu in manum porrexi. Ego ſum illa, cui Iſidorus Pſalmorum libros ad Pyndari metrum conſcriptos, acceptos refert. Ego ſum illa, quæ malos ſpiritus ago, pello, turbo, reprimo. Ego Salomoni tot millia carminum dictavi. Ego cum illo ad byſſinum usq; è pariete naſcentem diſputavi; Nec Dei magnum illud organon Paulus, Menandrum meum neglectui habuit, nec Epimenidem meum non legit. Meus eſt ille quem Auguſtinus in ſuam civitatem recepit, quem optimum & præſtantiſſimum omnium appellat: ille verò meus Virgilius eſt, quem idem graviſſimè aſſerit à teneris ebibendum eſſe annis, ne oblivione poſſit aboleri, ſecundum illud Horatii:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Quo igitur nomine eos apellem, qui utilitates, qui ſuavitates mei ſtudii non agnoſcunt? non terræ ſolùm ſed, etiam ponti inutilia pondera eſſe dicam.

Ipſa enim maria dulcedinem meam audiverunt: piſces eam ſequuti ſunt. Nemo adeò ferox, nemo tam barbarus extitit, quem non mea venuſtate emollierim. Ego Marium nulli ferè mortalium tolerabilem ita carmine meo flexi, ut Poëtam meum L. Plontium ſumma humanitate complexus ſit. Ego Polycratem tyrannum Samiorum ita temperavi, ut Anacreontem in deliciis & ſinu haberet: Neronē, qui beſtiis propior erat quam hominibus, mea ſuavitate eò pellexi, ut ſolo cultu & uſu mei ſtudii hominem ſe eſſe probaverit. Ac vide quanta mea virtus, quanta vis in hoſtibus etiam aſperrimus in gratiam reducendis ſit. Theodolphus Aurelienſis Epiſcopus conjurationis in Ludovicum Pium Imperatorem, reus, in carcerem conjectus erat: nulla ſpes viia, nedum liberationis erat. Quamvis Litæ cæleſtes pro illo interceſſiſſent, hominē non redemiſſent. Venerat Dies, quam Palmarum vocant: Solennem feſtivitatem eius feſti Imperator, obiit, carcerem, in quo Epiſcopus erat, præteriit. Ego tum illi carmen illud inſtillavi, quod in omnibus Eccleſiis celebre etiamnum eſt:

Gloria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte, redēptor,
Cui puerile decus promiſit Oſanna pium:
Iſrael es tu rex Davidis & unica proles,
Nomine qui Domini, rex benedicte, venis.

Ille hæc cecinerat: Imperator audita dulcedine pii carminis ita captus eſt, ut meum illum captum dimiſerit, & in gratiam receperit. Ecquis igitur

dubitabit adhuc de veritate ejus verbi, quod expreſſit meus Horatius:

Et prodeſſe volunt & delectare Poëtæ.

Satis de feciſſe vobis, auditores, Muſa noſtra arbitratus, nec fore quemquam, ſibi perſuaſum habee, qui ungues contra ſe armare, & alia tela acuere velit. Hoſtes enim quos habeat excogitare quidem non poteſt. Philoſophis ſe amori eſſe novit, utpote qui Muſarum fontibus quotidie utantur, Muſarum flores quotidie carpant, & in ſuas areolas transferant. A Poëtis enim Philoſophi didicerunt rerum arcanarum cauſas: varias mutationum vices obſervarunt: à Poëtis ventorum ortus, animum fluxus & refluxus, plantarum & planetarum ſitus, vires ortus & occaſus, omnia ſtellarum nomina à Philoſophi à Poetis habent. Quin & terrarum limites, regionum diſtantias, gentium mores & origines, diverſas animantium naturas, Poetæ primùm explorarunt, primi in Philoſophorum ſcholas deduxerunt. Philoſophi fatentur cum Horatio vera eſſe illa, quæ de Homero ex Horatio canuntur:

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non

Plenius, & melius, Chryſippo, & Crantore dicet? Fatentur Philoſophi cum Macrobio, Homerum omnium divinarum inventionum originem eſſe: predicant eundem cum Plinio, ingeniorum omnium fontem: cum Strabone Geographiæ, cujus ignaros

ignaros philoſophorum princeps Plato à foribus Academiæ arcebat, parentem nominant: A medicorum autem ſcapello tantum abeſt, ut ſibi quid Muſa metuat, ut potius, ſi quid vulneris ab aliorum in ſe conjectis telis acciperit, habeat eos ſolos, qui remedium opem & afferant. Si enim beneficiũ eſt lumen à lumine accendi, ut revera eſt, nunquã non erga Poëtas medici gratiſſimi reperiuntur, è quorum hortulis tot genera herbarum, è quorum ſcriniis tot pharmaca acceperunt. Vultis enim Homeri narthecia vobis aperiam? vultis vobis oſtendi nullam medicinæ partem ab illa non probè cognitam & tractatam? vultis peſtis & febris cauſas ex illo monſtrari? Apollinem, quem ſolem intelligimus jaculantem tela peſtifera cognoſcite, de canicula febres pariente hunc verſum intelligite: (τοῖσι καὶ τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι. *Sed & morbos chronicos & acutos apud eundem invenietis: ex eodem aſſam carnem ſalubriorem eſſe diſcetis: nimium ſomnum, noxium eſſe legeris: laborem in tuenda ſanitate cibos præcedere concubitum melancholicis prodeſſe, percipietis; taceo Moly, lotbum, crocum, hiacinthum, aſpodelon, ſalicem* ὠλεσίκαρπον, *idq́; genus plurimas herbas. Taceo Virgilij chaldam, dictamnum, Panacaam, Citbiſum, Cegrum & Galbanum. Eò autem vos æquiores, eò placatiores, medici, erga Poëtarum familiam præſtabitis, quò junctiores hæ duæ diſciplinæ, Medicina & poëſis fuerunt, quæ unum an-*

teſignanum, unum inventorem Apollinem habere finguntur. Numerate vobis vel ſexcentos poſſem, qui & Æſculpio & Muſis eadem opera inſervierint. Melampodem primum nominabo Poetam & Medicum vetutiſſimum, qui multa millia verſuum de Saturno, de raptu Proſerpinæ, de luctu Ceteris conſcripſit. Eò autem ille gratior medicæ familiæ eſt, quò pretioſiorem medendi artem reddidit. Non enim ille minas, non talenta, ſed maxima regna à regibus pro valetudine reſtituta popoſcit & obtinuit. Non omittam Aratum, non Alcaum, non Democritum, non Æmylium, non Macrum, non Petricium, non Silium Italicum prateribo, non Petronium, non Q. Serenum, non Fannium, non Auſonium, non Empedoclem, pluresq́; alios, qui utramque Apollinnis artẽ magna cum laude pertractarunt. Quid verò JCti, veſtra tribunalia, puto alia, curias, Roſtra, ſecures, & faſces Muſa metuant? Minimè verò puto, cum tanto honore Imperator veſter Poëtas afficiat, ut illorum parentem Homerum, parentem omnis virtute appellet, Virgilium verò modò optimum, modò praſtantiſſimum nuncupet: Homerum tanquam arbitratorem, judicem & cenſorem permutationibus & venditionibus adhibeat. Quæ verò neceſſitudo, quæ affinitas unquam inter ullos artiũ cultores, quam inter Poetas & ICtos major extitit? jubetis eorum Catalogum inſtitui, qui indiſſolubili quodam vinculo Muſas cum legibus connexerunt? Producam
ex

ex medio Poetarum agmine in forum Cottam veſtrum, de quo Naſonis illud eſt præconium:

Numen Pieridum præſidiumq́ fori.

Producam Modeſtinum? ubi verò virum inveniam? utrum inter arma viroſq́ Virgilij? an verò inter ipſos forenſes ſtrepitus, carmina hæc fundentem:

Legatus damni infecti promittere debet.

Producam Cæcilium Gallum? Producam Cajum? Atq́ hic ipſe, dum legem ſcribit, poëtico calamo ſcribit:

Fructus pendentes fundi pars eſſe videntur;
Et cum lege quis inteſtabilis eſſe jubetur:

Quid verò Ulpianus? annón dum regulas ſcribit, verſus ſcribit:

Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur.

Nunquid & Martianum audio?

Libertas, non privata ſed publica res eſt.

Prætercam nova illa lumina, Alciatum, Budæum, Ferretum, Turnebum? Prætercam illos, quos hodie in cancellis imperatoriis, in curiis electorum, in conſiliis principum à Muſis lauro coronatos video? ubi ergo illi ſunt, qui divortium inter hæc ſtudia facere velint? ubi ſunt, qui neſcio quod ex legibus telum nobis objiciant? Poëta inquiunt, nulla immunitatione gaudent. Quæ verò illa immunitas eſt? ne ob

torta

torto collo trahantur, ne ad judicem accerſantur: atqui hanc ſibi ipſi boni Poetæ immunitatem conſtituunt, ipſi dum ſibi leges ſunt, & virtutis cautione acquieſcunt. Nemo verò ex vobis eſt, JCti patroni Muſarum, qui illarum jugulum ab hoc noxâ expediat? Itàne immunitate, parentes omnium virtutum carebunt? Quid tu ad hæc Cujati? non, inquis, ita accipe, quaſi divini ſpiritus privilegium non mereantur, ſed quòd jus deſit: Nemo igitur illud alim petiit? nec nunc quidem petamus, cùm ex hiſtoriis conſtet, non Poëtas, ſed graſſatores illos, ut appellari quondam, teſte Agellio, ſunt, qui nomine tam ſancto abuſi, ſatyris & contumeliis certabant; Imperatorem Philippum immunitate privaſſe. Perinde tamen eſt, ſive illum ipſum Poëtam intelligas, de quo Horatius:

Ingenium cui ſit, cui mens divinior atq; os
Magna ſonaturum.

Intelligas ipſum Virgilium ut gloſſa hujus legis edocta eſt, ſive alium, Plautum aut Nævium, dummodò novis illis honoribus, novis immunitatibus à Carolo reliquisq; imperatoribus conceſſis perfruamur, tummodò tanti Poetarum nomen ac dignitas etiam à regibus æſtimetur, ut Naſonem noſtrum quoq; mortuum pluris feciſſe rex Alphonſus Hiſpaniæ prædicetur, quam univerſum Aprutii dominatum. Nec vos verò, Reverendi theologi, ſtudia noſtra templis & choris veſtris excluditis: hymnos eleganti Poëtica conditos canitis; Nec Menandri

nec

nec Epidemenidis verſus ex ſacro codice eiicitis: Davidis cytharam Poeticis numeris aptam, in ſinum geritis: Prudentii ſacra carmina ediſcitis; Nazianzeni poëmata legitis: Virgilium noſtrum cum Auguſtino recipitis. Cum Hieronymo puerorum manibus traditis, Ariſtophanem, ſi minus, quod Joannes Chryſoſtomus feci, pulvillo veſtro ſupponitis, è pulpitis tamen & plureis veſtris non detrudistis. Nec vero timetis, ne uſi puriore dicendi venuſtate, cum Hieronymo apud ſuperos vapuletis. Nec ab id etiam noſtras paginas ad flammas relegatis; quod exempla amorum, irarum, libidinum, ſtuprorum & adulteriorum contineant: continentur enim eadem literis ſacris. In noſtris fabulis gigantum contra Deos bella ſunt: Pelion imponitur Oſſæ. In veritate ſacra Babylonicæ turris architecti ſunt, qui cœlum digito tangere moliuntur. Apud poëtas Deucalionis diluvium eſt: ob ſcelera ſua genus humanum abſorbetur: Apud Moyſen Noæ arca eſt, iidem fluctus ſunt, & ob eandem cauſam mortalium omnium exitium. Hercules in noſtris libris amore conſumitur: in ſacris, Samſon & David eodem perit: Longius eſſet hanc convenientiam inſtituere: cogor itaq; hoc filum abrumpere, & ad finem properare. Sed qui poſſum, auditores, cùm Platonis civitatem nobis obſtare videam? hic portas clauſas invenio: In poſtibus ſcriptum animadverſo: I bis Homere foras. Quid autem parens ille omnis virtutis commiſit? Ergone & ipſa virtus filia ex-

ulabit? An verò ideò illum ejicis Plato, quod Poeta ſit? Vide quid egeris, ne ipſo hoc ſcripto te proſcripſeris, & ex tua civitate hoc nomine te ipſe eliminaveris. Carmina enim ſi crimina ſunt, quæ exilium tuæ Reip. *mereantur; eadem nobiſcum naue in exilium veheris: ipſe quoq; poeta es: carmina tua in luce ſunt: à Macrobio teſte conſtringeris. Sed callidè facis: intelligo aſtutiam; excludis Poetas ab ea civitate, quam cùm ubiq; eſſe cupias, nuſquam habere poſſis. Sed quid multis tecum contendo? Licet omnes domos patefacias, nemo tamen ex Poetarum numero fuerit, qui tuam civitatem ingrediatur. Licet Roma & omnibus Italiæ urbibusq exulet Archias, Platonicum domicilium non deſiderabit, in quo promiſcui concubitus more ferarum, ubi incerta conjuges, incerti liberi, incerti foci & coqui. Gratia igitur potiùs tibi habenda ſunt, quod ſanctum illud poetarum nomen ab illa belluina vita, quam ipſos correxiſſe primò noſti, exemptum eſſe volueris. Sed quis nobis, hoc obſtaculo remoto, Terentianum illum adoleſcentē Chæream objicit? qui corrupti actionē contra Poetas intendit: Nunquam enim, ait, animum ad ſtupra appuliſſem, nunquam meretriciis amoribus irretitus eſſem, niſi quo pacto Iovem Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium aureum imbrem, ex Poëtis didiciſſem. Egomet cum id ſpectare capi, & quod conſimilem luſerat, jam olim ille ludum, impendio magis animum gaudebat mihi, Deum ſeſe in hominem convertiſſe*

vertiſſe, atq; in alienas regiones veniſſe clanculum, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa ſumma ſonitu concutit, ego hoc homuncio non facerem? Ego vero illud feci ac lubens. Intelligitis quo modo poetæ perſtringantur. exemplis ſuis corrumpere mores, ſtupra, adulteria, cædes, & id genus flagitia proponunt. Verum huic nodo ſolvendo non opus eſt acutiore gladio. Si enim ob id iraſcemur poetis, quod Venerem cum Marte, Jovem cum Inachi filia concumbere fingant: iraſcamur etiam oportet ſacrarum literarum ſcriptoribus, qui Lothi filias, Uriæ uxorem, Salomonis pellices, & id genus turpia exempla ob oculos ponant: Nec enim Poetæ ut imiteris, ſed ut turpitudinem viſam execreris & fugias, ejuſmodi tradunt: Iraſcamur oportet omnibus hiſtoriis, quæ quaſi ſpeculum & ſpeculam eam rerum præbeant. Ut enim Lacedæmonii in ſervis ſuis ebrietatis fœditatem liberis ſuis oſtenderunt: ita poetica pictura ea vitiorum odium, & virtutis amorem exemplis accendit. Adſcenam igitur ſuam, unde prodiit, Chæream remitto: cumq; nihil nobis reſiſtere amplius videam, ad extremam orationis partem deſcendo. Reſtat enim hoc, ut dicatur, quomodo ad hodiernæ vitæ uſum & commodum Poetica ſtudia transferre poſſimus & debeamus. Breviſſimè autem & ſtrictim hanc coronidem attexam: cum ex illis quæ hactenus evoluta ſunt, illud ipſum maxima ex parte eluceſcere potuerit. Studeat igitur

Poeta

Poetá, ut commendationem & laudem, quæ Po-*tarum vexillifero Homero tribuitur, omni contentione, & omnibus numeris exprimat, virtutem tanquam patrimonium à Muſis acceptum ampleſtatur & excolat: ſit, ut uno verbo dicam, ad effigiem Tulliani Oratoris, vir bonus, qui plectrum ſuum poeticum ad Dei gloriam, ad Eccleſiæ propagationem, ad fructum, ad Reipub. ſalutem convertat. Ut enim in aliis melioribus exemplis, ita præcipuè in eo poëtas veteres imitetur, ut in cœlum, unde* Muſa *venerit, eandem remittat. Hunc enim pium & laudabilem à veteribus poetis morem accepimus, qui tanquam pii ſacerdotes, operam & artem ſuam præcipuè ad laudes* Deorum, *quos tum quidem communis ſuperſtitium colebat, converterunt. Nec ipſi verò ſolùm ſua* Muſæa *& tecta laudibus Dei complebant, bonitatem & clementiam ſuperûm decantabant: Verùm etiam aliis, inprimis verò Juventuti Precum & cantionum ſacrarum formulas præſcribebant. Unde Horatius:*

Caſtis cum pueris ignara puella mariti,
Diſceret unde preces, niſi vatem Muſa *dediſſet.*

Quid ergo Chriſtiani Poetæ faciamus, qui non ut Ethnici ignoramus, cujus Dei laudes, & cui canamus? Veteres illi luce ſacri verbi deſtituti, deorũ ſuorum tam colentes erant, ut nulla feſta, nullas Kalendas *ſacras ſine ſolenni aliqua carminũ dedicatione præterire paterentur. Suas habebant laudes Agenalia, habebant ſuas* Carmentalia, *Megale-*

celebrabantur Palilia, cantabantur Floralia, ornabantur Matronalia, colebantur Neptunalia, *Faunalia, Saturnalia. Turpe nobis imò turpiſſimum ſit, Paſcaa noſtrum non majore carminis bonore celebrari: turpe ſit angelis in aere Dei gloriam & pacem hominibus decantantibus, noſtra Muſam ad cunabula Chriſti tacere. Sed quid ad Etnicorũ filia Chriſtianam cytharam dirige?* Davidem *Poetam ſanctiſſimum habemus, hic pracinat. hic praeſultet. Salomonem habemus, qui, ut* Joſephus & *Hieronimus teſtantur, ſua cantica* Poeticis *numeris incluſit. Habemus Eſaiam, qui vaticinium ſuum metro ornavit. Spectemus Jeremiam, qui, Iſidoro teſte, pleraque ex ſuis operibus diverſo carmine conſcripſit. Proponamus nobis Damaſum & Ambroſium, ſequamur* Prudentium: *imò verè ſequamur, quem in omnium virtutum veſtigiis ſequi debemus, laudatiſsimi noſtri principis Mauritii exemplum, cujus elegantiſsima ſtudia ad* Dei *gloriam celebrandam converſa, cujus opera ſacris pſalmis impenſa, non ſine admiratione, in manibus habemus. Atque ille etiam, Typotio teſte, Suaciae & Polonia legato, in Oratione ad Imp. Rudolphũ* I I. *habita, Regem Poetarum Eobanum, verſu in gloria ſuperavit. Namq; ut Hebraeorum illud antiquum templum auleis & tapetis pretioſiſsimis ornatum fuit: ita Chriſtiani, Dei noſtro domum, pulcherrimis Muſarum floribus decoremus. Laudatur propterea â Cicerone Decius Brutus, ſum-*

mus ille vir & Imperator, quòd Attii Poeta amiciſſimi ſui carminibus templorum ac monumentorum ſuorum aditus exornarit. Quanto verò laudabiliùs ſit nobis, quibus religio & pietas perpetuò in oculis eſſe debet, omnes porticus omnes parietes, omnes poſtes noſtros piis carminibus illuſtrare? Ad Reipublica verò ſalutem ita noſtram chordam accommodabimus, ſi virtutem purpura & corona digna induemus, vitiorum verò ſordes & fuliginem detergemus, ſi, ut clariùs loquar, benè meritos honoribus æternis afficiemus, improbos ad melioris vitæ iter flectemus: Si Achilles, Hectores, & Æneas pro patria fortiter extrema quæq; perpeſſos carminis celebritates memoriam commendabimus, Illorumq; exemplis juvenes Aſtionactas & Aſcanios ad pietatis & virtutis amorem & ſtudium incitabimus, ſi defunctos laudabimus, ſuperſtites ad majorum veſtigia inflammabimus. Ita conſules & Senatores illi antiqui, M. Tullius, Aſinius Pollio, M. Meſſala Q. Hortenſius, M. Brutus, L. Sylla. Q. Catulus, Q. Scævola, S. Sulpitius Varro, Ruffus, ita inquam illi Poeſin diſcebant, & ad eum uſum transferebant. In legendis itaq; Poetarum ſcriptis ſimus apes, optima quæq; ex ſingulis ad mellificium noſtrum comportemus, memores illius dicti Pliniani: Nullum librum tam malum eſſe, quin boni aliquid contineat Imitemur in ea re Ulyſſem, ſi qua Sirenum eſca occurrat, animum quæ poſſet ille cebris ſuis trahere, tra-

re, tractumque enervare, aures cera & ſigillo ſapientiæ claudamus. In docendis Poetarum myſteriis ſequamur Poetam Epicharmum, cui diſcipuli hoc Epitaphium condiderunt:

χρήσιμα πᾶσι.

Vtilia juventutem docuit.

In canendis deniq; & pangendis carminibus ſimus luſciniæ, omnes delectemus, neminem offendamus: ſimus cygni, quo ſeniores, eò ſuaviores: Nec verò tanquam Thaidas publicas, ſanctas virgines proſtituamus, ſpurcis & fœdis famoſiſque carminibus polluamus: nec margaritas ad porcos abjiciamus. Quid enim hoc eſt, Pharmionum more, quemvis è mediis tonſtrinis & piſtrinis quaſi herū aliquem veterum ſacri carminis honore afficere, cœloq; tollere? Quid id aliud eſt, quàm de quo conqueritur Perſius:

——Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent;
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læ-
Rancidulum ſi quid balba de nare locutus (na eſt
Phillidas, Hypſipylas vatum & plorabile ſi quid
Eliquat; & tenero ſupplantat verba palato,
Aſſenſere viri: nunc non cinis ille Poetæ
Felix: non levior cippus nunc imprimat oſſa,
Laudant convivæ: nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo fortunatáq; favilla.
Naſcentur violæ, &c.

Sed volo mihi aliquam hic cenſoriā virgulam ſu-

mere; ne crabrones, juxta proverbium, irritem: tradam potius illos Marſyas Apollini excoriandos: Faciam quod illi, qui ex alto portum ſuum vident, vela contraham, & vota mea ſolvam. Percepiſtis, auditores, ſponſa mea ornamenta, quæ quidem ex mea exigua ſupellectile expoſui; audiſtis Muſarū noſtrarum divinitatem: intellexiſtis ſtudii po[illegible] præſtantiam, utilitatem ejus deguſtaſtis: ſua[illegible] tem hauſiſtis. Jure igitur & merito mec[illegible] Callimacho Poëta illud elegantiſſimum carm[illegible] Græco ita redditum cantabitis:

Aurea ſunt Muſæ geſtamina, & aurea veſtis;
Ex qua cunctarum fluit aurea copia rerum:
Deſtillant oleum fœcundantq; arida capili,
Felicem quamcunq; beant ſtillatibus urbem!
Omnia naturam capiunt cæleſtibus aptam

Nunc verò ad cæleſtem illum omnium doctrinarū fontem Jeſum Chriſtum mea vota converto, ut ſtudiorum lucem oleo ſuo æterno nutriat, clementiſſimos noſtros Principes Haſſiæ, Eccleſiæ & reip. parentes ac nutritices protegat, atq; defendat, patriam noſtram Haſſiam. & Academiam hanc tueatur ac amplificet, quæ præ cæteris nata eſt literis humanioribus & ingeniis Poëticis procreandis, & ipſo Parnaſſo & Helicone venuſtatem & amœnitatem majorem habet, in qua rex ille Poëtarū Eobanus, cujus oſſa apud nos jacent, floruit: Codrus ille celebris enituit: ex qua Lotichius veniam ſuam hauſit: in qua Paganus viguit; Aſclepius con-

ſenuit;

ſenuit; in qua tot clariſſimi viri etiam hodie (quos Deus nobis ſoſpitet) eluceſcunt. A vobis verò, Magnifici, illuſtres & generoſiſſimi domini, ac clariſſimi viri, reverenter & magnoperè peto, ut tenuem illum ingenioli mei fonticulum veſtris inexhauſtis donis irrigetis, ſtudia mea vobis commendata eſſe velitis, lychnum in me ſcintillantem gratia & benevolentia veſtra aura excitetis, augeatis & conſervetis. Quod ſi, ut minimè dubito, feliciter obtinuero, lætabundus hunc mihi ipſe quaſi triumphum cantabo:

Sunt Mæcenates, nec deſunt, Flacce, Marones.

VII.
ORATIO CONSOLATORIA, ad HERMANNUM VULTEJUM Juriſconſultum.

Habita Anno 1604.

CUM ſæpenumerò ex multis repentinis humanæ conditionis caſibus, & ex variis fatorum, communium eventibus, ac funerū, quæ nobis ante oculos quotidie efferuntur, deductionibus, de vita mortalis vanitate ac inconſtantia oborta animo meo profunda cogitatio: cùm nulla unquam mihi dies altiorem meditationem ejus ſẽtentiæ impreſsiſſe videtur, quæ non ſolùm literis ſacris, ſed & profanis ab auctoribus paſsim nobis

nobis inculcatur, ac fabulam noſtram vitam o-mnem eſſe, confirmat, quàm proximè elapſa Julij decima. quæ non ſolùm tibi tuæq; familiæ, HERMANNE VULTEI. JCte præſtantiſſime, amice, collega ac fautor omni officiorum genere mihi perpetuò proſequende, triſtiſſima; ſed etiam univerſæ noſtræ Academiæ, totique civitati valdè nubila & luctuoſa extitit, cùm dilectiſſimi filii tui primogeniti, JOHANNIS VULTEI. adoleſcentis tum propter aviti & paterni ingenij, quod in ipſo jam maximè eluceſcebat, exſpectationem, tum propter incredibilem maximarum virtutum indolem ac animi florem, qui in eo ſummopere eniteſcebat, bonis omnibus deſideratiſſimi, converſa tecum univerſa hujus urbis multitudine in mœrorem, admodum præmaturæ exſequiæ haberentur. Recordabar enim ex mœſtiſſimo funebris illius comitatus intuitu, eſſe olim triſtiſſimæ ejus diei, inter duos Græciæ doctores, qui inter ſeptem ſapientes uſurpantur, Solonem & Thaletem, præluſam quandam quaſi in fabulæ proſcœnio imaginem. Cùm enim alter ad alterum hoſpitii jure divertiſſet, Solonq; inter alia ex Thalete quæſiviſſet, quidnam cauſæ eſſet, quòd uxorem ducere in animum nunquam induxiſſet? Alter non ſe poſſe ex tempore, inquit, inſtituti ejus rationem reddere: Velle autem cogitatione altiore interjecta, ſequente die reſpondere. Quid fit? Subornat Mileſius interea, hominem quendam, qui viatoris ac nuncii perſona ſumpta,

ac ſi peregrè ex Attica veniſſet, literas præſente Atheinenſe afferret: Ex quo cùm Solon quid Athenis novi eſſet, percontaretur, ille nihil admodum, inquit, niſi quòd ea die, cùm exirem, maximus tota urbe luctus agitaretur. Quam ob rem verò, rogat Solon? Efferebatur, ait ille, doctiſſimi cujuſdam optimeque meriti viri natu filius maximus, in quo ſummam totius civitatis ſpem poſitam habebant, fore cum parentis ſui ſimilimum. Quo nuncio terrefieri illicò Philoſophus, & animo perturbari vehementiùs ſciſcitabaturq; ſollicitè, quod nomen adoleſcentis demortui parenti eſſet? Id ſe ignorare fabulator ait, audiſſe ſaltem, eſſe illum juris legumque virum conſultiſſimum, eſſe eum, qui civitatem optimis inſtitutis ſcitisq; fundaverit plurimis, abeſſe eundem jam dudum, & per Græciam hinc inde ad celebres doctrina famâ viros peregrinari. Solon ſe illius ex verbis magis magisque totum agnoſcere; cadere caput, capillos vellere, flere, infelicem ac modis omnibus miſerum ſe dicere, mortem ſuam pro filii vita paciſci & expedere. At tum Thales, detecto fabulæ velo: jam inquit, ex te ipſo, opinor, ſcire poteris, quamobrem cœlebs manere voluerim, ne ſcilicet unquam per amiſſiones eorum, qui nobis cari ſunt, dolores & ægritudines ſimiles illis tuis contraherem. Rediit autem ſapiens illicò ad ſeſe, quam primum & ſubornatam illam à Thalete fabulam, & ſuum etiamdum

videre filium intellexiſſet. Quod itaque ille cum amico & hoſpite ſuo luſerat, illud nobis triſtiſsima illa dies, veris lacbrymis & doloribus repræſentare videbatur. Efferebatur enim, proh dolor, tuus, ampliſsime Juriſconſulte, primogenitus filius, in quo non minor, quàm in illo Solonis tum patriæ, tum Academiæ ſita ſpes erat. Nec verò minor propter adoleſcentem illum dolor & luctus, non modò tuus, ſed omnium noſtrûm erat, quàm ille ob Solonis filium exſtinctum fuiſſe fingebat. At hoc unicum vellem ex illo Thaletis luſu poſſe nos omnes intelligere, cunctam videlicet hujus ævi vitam fabulæ ſimilimam eſſe, omnesque noſtros ob parentum ob conjugum, ob liberorum, ob amicorum diſceſſum conceptas ægritudines, omnes luctus & dolores non aliunde, quàm ex inani noſtri ſenſus perſuaſione, falſaq́ opinionis nube ac errore plus quàm gentili amanare ac proficiſci, quando penitùs ſublatos & exſtinctos eos eſſe exiſtimamus, qui tum maximè & verè vivi ac floridi, eos amiſſos, qui ad communem veræ vitæ portum per januam mortis præmiſsi, eos penitùs periiſſe, quos per naturæ legem obiiſſe videmus. Etſi autem Clariſsime VULTEI, in omnibus quæ homini accidere poſſunt, adverſitatibus moderatè perferundis, tua ſit adeò præmunita prudentia, perſpectaq́ gravitas & conſtantia, ut neque in his, quos propter dulciſsimi filii immaturũ obitũ concepiſti dolores graviſsimos, egeas ullius vel Thaletis

vel Sculpitij conſolationibus. ſed, quemadmodum noſtra Academia civitatisq; Solon conſultiſsimus meritò haberis, ita tibi ipſe in ejusmodi rerum humanarum viciſsitudinibus & Thales eſſe, teque ipſe conſolari dolorumq; morſiunculas ab animo tuâ ipſius medicinâ avertere poſsis: non moleſtè tamen feres, ſi tanquam cum Thalete ad te Salonem noſtrum ingreſſus, illud ipſum; quod tu per te intelligis rectiſsimè, te coram aliquantum clariùs oſtendero, ut & univerſa tua familia, mæſtiſsima uxor, ſuperſtitesq; liberi, amici ac propinqui omnes penitus cognoſcant, non amiſſum, ſed nobis omnibus præmiſſum, non peremptum, ſed per triumphalem mortis portam in æternæ vitæ gloriam ingreſſum, nec lacrymis & ſuſpiriis, ſed potius plauſibus ac gratulationibus propterea Johannem tuum cariſsimum filium proſequendum eſſe, haberique illum humanæ noſtræ opinionis errorem tanquam falſi ac inepti nuncii fabulam, qui per nubes ac tenebras rumoresq; inanes audita temerè viſaque referat, quòd cum Salone vera pro falſis credentes vivos tanquã mortuos defleamus. Nam, ſi (quod à nobis, qui in Chriſto perpetuùm vivimus, longiſsimè abſit) eam cum improbis Epicureorum ſectis opinionem aleremus, ut interire per mortis diſſolutionem hominis animam cum corpore arbitraremur, juſtiſsimâ certè & dolendi & lacrymandi nobis propter amiſſum hunc adoleſcentem, &

 adver-

adverſus fatorum iniquitatem expoſtulandi cauſa eſſet, quòd tantam indolis & ingenii jamjam matureſcentem gloriam patriæ, tantam ſpem parentibus, tantam fratribus ac propinquis, intra primas adoleſcentiæ metas, tanquam præcocem & immaturum floſculum eripuerint. Nam ſi nec facer illi Dei vates cucurbitæ ſuæ interitum, à qua contra ſolis fervorem umbras captabat, æquo animo pertolerare potuerit: ſiq; tam prudentiæ tum eloquentiæ, Romaniq; pectoris virum Hortenſium arefactam in agro ſuo boni generis plantam eluxiſſe audiamus: quid nos, Clamare VULTEI, non tecum meritò commoveamur, non triſtemur, non conqueramur, nobis ex hac Academia, & ex cultiſſimo Muſarum hortulo, amœniſſimum indolis ac bonitatis tuæ floſculum, qui maximorum fructuũ maturitatem, plurimorumq; proventuum ubertatem promittebat, eſſe præreptum? Cujus quidem calamitatis eò major æſtimatio, quò cumulatiora & aviti & paterni ingenii munera in illo eminebant, & quò ille adoleſcens tui ſimilior, quodq; ad naturam generis ſui accedere videbatur propius, Contigit enim hac tuo ſanguini divina quædam ingenii ac animi felicitas, ut VULTEIORUM nomen ad conſervationẽ literarum facultatumq; altiorum propagationem unicè natum eſſe videatur. Ex *quo factum, ut ex veſtra domo æquis quaſi paſſibus ad ſummos doctrinarum titulos, gradusq;, ut appellant, Doctorum feliciſſimè noſtra*

ſtra memoria fratres germani tres progreſſi ſitis. Quod cùm Juſtinianicis temporibus idem cuidam familiæ obtigiſſet, tanquam admirabile, maximè & ad poſteros memorabile monumentum, dignumq; quod æternitati hoſtiarum commendaretur, Procopius vir ſummi judicii eſſe exiſtimavit. Anatolium certè ex tertia ſtirpe laudabili Juriſperitum Imperator non ſemel in Digeſtorum ſuorum præfationibus, tanquam rem, ut eſt profectò, in primis notabilem, ſuoq; imperio glorioſam, maximoperè deprædicavit. At nos illum tuum ingenii egregii adoleſcentem, tanquam Anatolium alterum ex tertia ſtirpe in omni ſcientiarum genere ad patris & utriuſque avi exemplum philoſophantem videbamus: viſuri eramus propediem eundem, ſi longioris vitæ uſuram conceſſiſſet ei Deus, perfectum ad paternæ gloriæ imitationem Juriſconſultum. Rariſſima profectò ea eruditionis ſoliditeq; virtutis propagatio in omnibus familiis invenitur, quæ tertiam, nedum quartam aut ulteriorem generis ſeriem complectatur: Vix unam Catonum domum ex ampliſsima Quiritium urbe, quæ orbis inſtar habita, oſtendere poſsis, in qua ingenii prudentiæ gravitatisq; avitæ hæreditas ad nepotes uſque derivata perſeverarit. Quò enim Tullii noſtri nobiliſsima novitas, quò illa lux ingenii, quò eloquentiæ? cum ipſo ſimul exſpiravit, filium ejus non illuſtravit: Quo Antonii oratoris

ratoris Hortenſiiq́ʒ celebritas? ad nepotes & liberos non pervenit. Acerbiores itaq́ʒ non ſolum privatim, ſed & publicè luctus ii haberi ſolent, qui ob præmaturos illorū juvenum diſceſſus ſuſcipiuntur, quos per inſitam optimi generis indolem, feliciſſimumq́ʒ familiæ genium optimè meritorum parentum veſtigia ſecuturos eſſe judicamus, & in quibus imagines majorum reparari, virtutumq́ʒ ſimulacra referri videmus. Quapropter, cùm M. Catonis ſummo ingenio ſummaq́ʒ virtute filius interiret cumq́ʒ ſimiliter Q. Maximi filius, vir conſularis, maximisq́ʒ rebus geſtis clariſſimus occumberet, vehementer totam civitatem ingemuiſſe accepimus. Quid, cùm Germanicus juvenis oppeteret? ob admirationem virtutis ingeniique aviti expectationem nationes etiam exteras regesque indoluiſſe, Tacitus noſter ſcriptum reliquit. In funere ſiquidem ſupremisq́ʒ cujusq́ʒ honoribus animadvertitur in primis, qualis quisq́ʒ dum ætatem egit, fuerit, quemadmodum hæc ille ſapiens literis divinis teſtatum fecit. Atq́ʒ hoc in exſequiis optimi adoleſcentis filii tui cariſſimi, ampliſſime Juriſconſulte, clariſſimè videre fuit. Quantus enim multitudinis ad cohoneſtandum demortui tumulum concurſus? quanta effuſa Academicæ juventutis frequentia? meminiſſe equidem non poſſum majorem hominum comitatum pompamq́ʒ in ullo unquam funere hujus urbis eſſe viſam. Quanta præterea omnium & ſingulorum triſtitia? quæ vultuum nubes? qui gemitus

nitus & deſideria? quanta cùm funebris concio & elogium haberetur, attentio? quanta animorum concitatio? quanta cum elegantiſſimæ laruginis ille floſculus in communis noſtræ matris ſinum deponeretur, oculorum humectatio? quanta lacrymarum effuſio? Quot & quanta valvis templi ad Eliſabetha, in quo humabatur adoleſcens deſideratiſſimus, affixe virorum doctiſſimorum, juvenumq; quærela? quàm flebiles elegiæ? quot næniæ ſcriptæ? Hic ſibi dilectiſſimum diſcipulum ex amplexu ereptum; ille cariſſimum commilitonem, ſuaviſſimumque ſodalem à latere ſibi ſubductum; alius rariſſimi ingenii ſtudiorumque fragrantiſſimum florem amiſſum; alius adoleſcentiæ & juventutis ver in uno eſſe ſublatum; alius delitias Muſarum & Juriſprudentiæ ſpem alteram exſtinctam querebantur. Neq; certè ipſe mihi memini ex ullius unquam juvenis, amici familiaris obitu dolores majores obvenisse. Amavetam ferè puerum non modò ob eam cauſam, quòd tui ergà me amoris, colendiſſime VULTEI, quem inſtar parentis ſemper mihi ex eo tempore, quo primam notitiam habere tui cœpi, declaraſti, obligatio tanquam debitum flagitaret, ſed etiam, quòd ſingularis ingenii animiq; indolem, quæ firmiſſimum veri amoris illicium in ſe continet, argumenta plurima in eo contemplarer. Cùm enim nondum inſtiteps adoleſcentulus in privatam diſciplinam domeſticamque inſtitutionem clariſſimi & conſultiſſimi

viri

viri Bertholdi Schorei, popularis ac amici mei intimi, primarii nunc temporis in illuſtri Generoſiſſimorum Naſſoviæ Comitum ad Dillam Aula conſiliarii, traditus eſſet, quem, vir Conſultiſsime, ex omni Academiæ noſtræ juventute, propter ſummã illius tum eruditionem, tum induſtriam, tum virtutem & probitatem omnibus commendatiſſimam, præceptorem optimum, optimè educando filio tuo legeras; atque ego tùm familiaris conſervationis ſtudio quotidie ferè ad ipſum ventitarem, memoria teneo me explorandi ingenii gratia propoſitis quæſtiunculis ſcholaſticis adoleſcentulum aliquoties examinaſſe; exercitia ejus inſpectaſſe; Præceptoris repetitionibus interfuiſſe; dextreq; reſpondenti ſubinde gratulari & applaudere ſolitum. Præterea quod Rodolphus Agricola Friſius, Latinæ elegantiæ artiũq; inſtaurator, de Eraſmo Roterodamo adhuc puero, & in ſchola Daventienſi ſub Alexandri Hegii magiſterio bonis literis diligentẽ operam dante, cùm illius in utraq; lingua ſcholaſticos progreſſus pervidiſſet, vaticinatus eſſe fertur, idem ego tũ temporis, audiente clariſsimo Doctore Bertholdo, vaticinium de VULTEJO puero pronunciabam: Macte, inquam, puer avito, macte paterno ingenio, magnus olim eris. Agricolã vox ſua de Eraſmo non fefellit. Magnus profectò ille ſtudiorũ gloria evaſit, ut quod alii ſudore militari bellicisq; laboribus meruerãt, cùm Magni cognominarẽ-

tur;

r:id ille cognomē raritate eruditionis tanquā in-
nii tropbæum conſecutus fuerit, quod etiam in-
iptio & titulus, qui ad noſtram uſq; memoriam
Roterodamicæ domus foribus, in qua Eraſmus
lucem editus, boc verſiculo teſtatur:

Edibus hic parvis magnus prognatus Eraſmus.

ec ſanè meam unquam adoleſcens ille deſeruiſſet
ſe præclariſſimam opinionem, ſi per ulteriora æ-
tis incrementa, ceptam indolis ac animi magni-
dinem exaggerare licuiſſet. Quam celeres enim
u in omni ſtudiorum curriculo babebantur pro-
eſſus? quàm ille ad omnia, in quæcunque incide-
t, quod in Ariſtippo miratí fuiſſe dicuntur vete-
s, mirificè erat appoſitus? Audivi equidem, idem
ſe confirmavi de adoleſcente idem ſæpiſſimè prædi-
ri, quod olim Eraſmus de Melanchthone, qui
iam hujus tui filii ſanguinem & generis propin-
uitatem atringit, admodum, tum ætatis juvene
xiſſe fertur, fore, ut in quamcunque diſciplinam
ſtudium adoleſcens incumberet, in eâ ille artiſi-
s ac magiſtros facilè exſuperaturus eſſet celebèr-
mo omnes. Mira erat in adoleſcente Vulteio in-
nii applicatio & dexteritas, quam me mirari
emini, cùm in mea Coriolano nobilis Romani,
eri prætextati Papyrii perſonam agendam ſuſ-
piſſet, quam tanta venuſtate, tanta pronunciati-
onis geſtuſque dignitate exhibeat, ut ſi in ocu-
s & aures publicas, quemadmodum
nobis

nobis conſtitutum erat; ſi non luis interventu contagioſæ dilabi cœtus noſtri coacti fuiſſent, dedicata ſcena eſſet, certo affirmare auſim. Idem eleganti ſſimo adoleſcentulo ex feliciſſima illius perſonæ actione eveniſſe, quod Jacobo Mycilio, Oratori & Poëtæ ſuperioris ætatis clariſſimo, ex eodem ſtudio & induſtria actionis Comicæ puero accidiſſe accepimus. At quid illud? Cùm in celeberrimo illo ad Mœnum emporio in quadam de Gallo Luciani comœdia, Mycillum herum ſomniantem, galli quo moleſto cantu expergefactum, ob eamq; cauſam ſtomachantem vehementer, & adverſus alitem frementem ageret, tanta ejus in iſta actione elegantia, tanta venuſtas & ingenii dexteritas illuxit, ut ille Mycilli cognomen, tanquam ſummæ induſtriæ ac ingenii teſtimonium ex illa ſcena meruerit, quod illi cognominis, obliterato familiæ priore, per omnem ætatem, & etiamnum per clariſſimam poſteritatem manſit. Interfuerat illi actioni Johannes Lonicerus, clariſſimus hujus Academiæ quondam Profeſſor, ex quo ſe eam Mycillorum *originem audiſſe Johannes Hagius in vita Lotbichii teſtatur. Atq; ad eum modo honeſtiſſimum ac nobiliſſimum Papirii nomen per actionem perſonæ, morumq; convenientiam potuiſſet noſtro adoleſcenti feliciter comparari. Quemadmodum ego illum poſtea non alio quam honorifico Papyrii nomine obvium ſalutabam. Habent etenim omnia præclara ingenia eam in ſeſe vim poſitam, ut neq; ſeminæ*

& vi-

& vires ſuas occultare in minimarum rerum tra- ctationibus, inſibusq; poſſint. Cujus quidem rei egia illi Cyra indoles documentum clariſſimum rabet, qua inter puerilis arundinis equitationem itiare non potuit, inq; noſtri adoleſcentis primis rocinilis pædagogicisq; ſtudiis idem haud obſcurè pparebat: ultra ætatem illuceſcebat judicium & aptus illicò annos literarum ſcientia antevenie- at. Qua enim ætate alii felices ſuos eſſe exiſti- iant, ſi rudimentorum tantummodo aliquem gu- um conſecuti fuerint; ea noſter jam longè a tra- pia, quod dicitur, egreſſus, ad faſtigia majora pro- erabat. Nondum enim ille Nervæ filii lanuginem deptus erat, quem quod ſeptendecim annorum, ut paulò majore ætate publicè de jure reſponſita- it, Romanorum civitas omnisq; poſteritas vehe- nenter admirata fuit, cùm primùm præſidio & nagiſterio clariſſimi Philoſophi Rudolfi Gocleuii, ubtiliſſimas Philoſophiæ quæſtiones in publica di- ſputandi acie ventilaret: applauſum tum & acutè eſpondenti, & fortiter ac feliciter ſententias al- as defendendi, ab omnibus: exſtat ad ipſam meà tiam cum aliorum acclamationibus gratulatio. Deinde paulò poſt anno 99. ductu & moderamine lariſſimi viri Nicolai Chesnecophori Sueci, qui tū Mathematicæ Profeſſionis vices obtinebat, J. U. Doctoris, & nunc temporis Regii in Suecia Cancel- lari, totum, ut inſcriptus diſputationis titulus eſt, Philoſophicum Oceanum enavigabat, tam felicibus

velis & ventis, ut quemadmodum mihi ipſe poſteà noſter GOCLENIUS, philoſophantium omnium Caſtor & Pollux, qui interfuerat auditionibus retulit, nemo unquam in Philoſophorum gymnaſiis, qui id ætatis eſſet, majori, quod ſciat, cum laude volutatus fuerit. Aurei Velleris navigationi navigationem illam Vultejanam præferendam eſſe jure clamitabant omnes, cùm nihil tam abſtruſum, tam abditum & reconditum, nihil in phyſicis, in geometricis, in arithmeticis, in aſtronomicis, in opticis, in mechanicis, cæterisq; Philoſophiæ partibus, quod non erutum, non evolutum, non excuſſum, non demonſtratum, non explicatum & illuſtratum egregiè eſſet. Eſt ille in manibus noſtris Oceanus, ad quem reſpicere velim omnes, qui feliciter in civilis ſtudii pelago velificari expetant. Hæc enim ſunt futuro Juriſconſulto fundamenta artium ad altioris facultatis cognitionem omninò neceſſaria: hæc remigia atq; alæ, ſine quibus ad majora illa ſcientiarum cacumina evolare perquam difficile erit. Iſtam verò ingredientdorum ſuorum ſtudiorum viam ac rationem longè optimam, & maximè ad legum ſtudia compendiariam à patre inſtituendi ordinis peritiſſimo filius acceperat. Neq; verò minorem fructum diligentiſſimus filius, ſi fata annuiſſent, quàm pater ampliſſimi nominis Juriſconſultus ex inſtituto illo ſtudiorum curſu percepiſſet. Cùm enim ab illa Philoſophica per omnes omnium artium circulos habita navigatione, in vaſtiſſi-

aſtiſſimũ Juriſprudentiæ fretum, & ad paterna, bidq; quaſi hereditaria ſtudia animum appuliſſet, ncredibile profectò dictu eſt, quàm feliciter & quã velociter inſtitum illud iter ipſi ſucceſſerit. quem vix ora ſolviſſe prima putaſſes, breviſſimo temporis ntervallo jam advadum & portum contendiſſe ſpectares, quem vix è carceribus emiſſum, non procul à meta abeſſe videres. Et quid mirum? Imitatus erat diligentiſſimus juvenis divini ingenii & memoriæ felicitate adjutus, eos curſores, qui diplomate uſi, quemadmodum Venulejus Juriſconſultus loquitur, diebus ac noctibus, & omni tempeſtate contempta, iter continuant, cùm nullam unquam temporis partem ſine ducta linea præterlabi pateretur, Pliniani illius verbi perpetuò memor: Perire omne tempus, quod non impendatur ſtudiis. Hac itaq; navitate & induſtria illud facilimè perfecit, ut, cùm jam juſtum quinquennium, cujus ſpatiis juris addiſcendi tramitem concluſum habebimus, ſeſe plurimùm in arena tum publicâ tum privatâ velitando exurciſſet, bonamq; ſtudiorum ſuorum fiduciam habere cœpiſſet, prodire ipſe in medium diſputatorum cœtum & collegium ſuis auſpiciis & præſidiis inſtruere, neque ſolùm amplius diſcere, ſed & alios docere, progreſſusq; ſui ſtudij probatos aliis facere, quin & judicium examinationis publicæ ſubire, pro honoribus & præmiis labori exantlato debitis contendere conſtituerit.

Ac jam omnia ad hunc finem multò antè

domi præparata, omnia inſtructa habebat. Jamq́ tibi certum erat, clariſſime Juriſconſulte, ſi ita ille omnia, uti inſtituerat, ex ſententia animi confeciſſet, ſi pro dignitate & gradu Doctorali, more majorum, diſputaſſet, ſi examinationis cenſuram ſuſtinuiſſet, morũ & linguarũ apud exteros colendarum gratia, primùm in Galliam, inde in Italiam poſt in alias regiones, in quibus ipſe etiam olim juvenis maximo cum fructu & emolumento verſatus fueras, firmiorem & ætate & judicio ſtudiisq́ maturum emittere. Cumq́ ille hanc tui conſilii rationem haud obſcurè animadvertiſſet, quò citius & facilius peregrinationis veniam, quam ſummoperè in votis habebat, à te conſequeretur, eam ob cauſam ipſe ſuorum ſtudiorum curſum metamq́ vehementiſſimè urgere ſolebat, ne fortè ſibi ipſe moræ & impedimento eſſet. Præclariſſima benè inſtituendæ juventutis ratio, utriq́ egregii ad Reipub. ſpem educandi via longè optima. Sed ô ſpes ſeculi fallaces! inanes conſiliorum & votorum omnium informationes! Corruit inter manus inſtitutum ſaluberrimum: A ſcopo præclariſſimarum exſpectationum quàm repentino impetu repellimur? O fruſtra ſuſcepti labores! ſuſcepta fruſtra ſtudia! effuſa tot & tanta impendia: vigilatæ, tot fruſtra noctes: conſumpti tot meditationibus dies: fatigatus fruſtra tot rerum inveſtigationibus animus: exhauſtæ lucubrationibus vires, fruſtra detrita & fracta ætatula! Miſerrima mortalium conditio: cervix &

ornicibus in immenſum patere annorum curſus: 'uvenı ne horam quidem, nedum veſperum vita ertum haberi? Nos te præclariſſimæ ſpei Juvenis, am per Philoſophiæ omnes ſeceſſus egreſſum, per omnes jurisprudentiæ partes ſeniſum, ex propoſitis xterarum gentium perluſtrationibus feliciter re- erſum, lætiſſimarum gratulationum voce excipe- e, ſertis ac coronis inducere, dignitatibus ac hono- ibus ampliſſimis ornare, matrimonio & affinita- ibus honorificis collocupletare, tuiſq; ornamentis ingenii dotibus totam patriam fortunare deſi- erabamus: At tu nondum viginti & duorum an- orum florentiſſimam juventutem ingreſſus, quor- um ex dulciſſimorum parentum complexu abripe- is? quàm citò ſpes, vota & deſideria omnium in- rito relinquis?

Ergò te tantum voluêre oſtendere terris *ata? quod de Marcello itidem juvene Maro meus acrymabundis conqueritur, cujus triſtiſſimam de- literare querimoniam jure poſſum.

Heu miſerande puer, ſi qua fata aſpera rumpas, Tu Vultejus eras.

Sed quid facio, & quorſum à me ipſe digredior? ône ipſe orationem meam ſenſim abire patiar, ut uod refutare initio inſtituerim, ſenſus communis rrore abductus, ipſemet opinari, & cum falſo illo Solonis nuncio vivum, mortuum dicere videar. Re- eat ad ſeſe meus noſtra, & ad eam oratio. Vivis, PP 3 clariſſ-

clariſſime VULTEI, vivit tuus primogenitus, & quidem vivit vitam beatiſſimam, quæ ne conferenda in minimis ſui partibus cum illa, quam abs te vitam acceperat, quæ non tam vita, quàm vitæ miſeria appellanda. Quid enim quæſo hæc inanis ævi fabula, ex qua tuus filius æquiſſimo animo egreſſus, quid habet, quod verò vita nomine dignū cenſeri poſſet? Fumus ſanè & funus ſunt rerum mortalium omnia, neq; digna, quæ à generoſi & cœleſtis ſpiritus animo ſuſcipiantur, nedum expetantur. Vani hujus vitæ honores omnes: vanæ dignitates: fana ſtudia: à quibus quò quis citiùs expeditur, & tanquam ab ergaſtulis ac vinculis liberatur, eò ille felicior & Deo acceptior eſſe meritò exiſtimatur. Quod etiam gentium profanarum oracula conſultores ſuos celare non potuerūt, quemadmodum ea de re contra ſtolidam Crœſi regis inſolentiam prudentiſſimus Solon egregiè multa diſputavit, ut Herodotus teſtatum reliquit, cùm Cleobis & Bitonis duorum adoleſcentum celerem & præmaturum exitum, quem tanquam rem omnium beatiſſimam à Diis pietatiſq; præmium conſecuti erant, omnibus Crœſeis divitiis & regnis longiſſimè præferret. Sed quid à gentibus veri DEI ignaris teſtimonia beatitudinis veræ arceſſo? Quin potiùs divinas literas audiamus: Quid illæ? Fidelium obitum, non interitum, ſed tranſitum ad Deum, & ad æternam tranquillitatem, ad amœniſſimi paradiſi tempe demigrationem appellant: De-

m illa noſtrum, Deum viventium, non autem mortuorum prædicant: illa beatos dicunt omnes, qui in Domino oppetant, quorum in Dei manu animulæ conſiſtant, ab omnibus dolorum & anxietatum ſtimulis immunes. Sed ô nullis humani eloquii viribus, neque cogitationum ſpatiis complectendam cœleſtis regni gloriam, ab omni æternitate electorum cœtui paratam, quam neque illius oculi acies penetravit, neq; ulla auris percepit, neq; ullius animi unquam magnitudo comprehendit! Quæritis chariſſimi Vulcejani ſuperſtites liberi. Quæritis parvuli, ubinam locorum nunc cariſſimus, veſter frater JOHANNES agat, quorſum ex conſpectu veſtro abierit, quò peregrinatus diſceſſerit! Ad illam, ſuaviſſima progenies, ad illam, quam modò nominavimus, beatiſſimam cœleſtis patris domum: ibi ille ſedem, ibi domicilium, ibi patriam & regnum ſibi perpetuum fixit: huc ille à teneris omnes cogitationes, omnia ſtudia, omnia ſua vota converſa habebat: huc illius erga DEUM pietas, huc cultus & religio, huc erga parentes & præceptores obedientia, huc vitæ integritas, morumque caſtitas, huc fides & dilectio, huc preces & ſuſpiria, huc diligentiſſimæ verbi divini auditiones & meditationes quotidianæ ejus bant, huc omnia ipſius ſtudia & labores, huc illa, quam ſymboli loco uſurpabat, Spes non confundens, ſpectabat: huc illa incredibilis, quam in lenta illa febris & tabis decoctione oſtende-

 bat,

bat, tolerantia ſeſe referebat: huc ille ſuos ex ultimo illo lectulo oculos, huc præcordia & animum in extremis halitibus dirigebat. Vidiſtis enim ipſi, Vultejanæ deliciæ, vidiſtis placidiſſimè veſtrum dilectiſſimum fratrem ex hoc terreni corporis hoſpitio emigrare: valedictioni ultimæ interfuiſtis ea veſpera, cùm inter ſuaviſſimas illas cœleſtis gratiæ ac benedictionis pluvias, quas jam longo ante tempore omnibus agris ſitientibus, votis plurimis deſideraveramus, quasq; ipſe ex lectulo æger multoties ſiccitati minuendæ optaverat, tanquam inter divini nectaris & dulciſſimæ ambroſiæ effuſiones, ſecundiſſimis fluminibus, velut in ſpiritus ſancti vehiculo, æternæ ſalutis fonti illaberetur. O diſceſſum omnium auſpicatiſſimum! Anima, quæ ſalutaris aquæ aſperſione mundata in mundū hunc primùm venerat, eadem inter cœleſtes aquas mundo iterū enabat. Quamprimùm enim tabernaculum corporis ſpiritus divinus reliquerat, pluviæ tanquam ad hoc miniſterium ſolùm, ut cœlo animā ſubveherent dimiſſæ eſſent, illicò ceſſarunt. Quod ſi, parvuli, ampliùs quæretis: Illum ad Patres ſuos ut ipſe Deus in ſacris loquitur, & ad majores veſtros, ad proavos, ad avos, ad patruos, ad amitas, & ad præmiſſos jam ante fratres, & ſorores veſtras, profectum eſſe dicam. Hic enim ille ſibi cognominem paternum veſtrum proavum JOHANNEM reperit, virum ſenatoria dignitate, integritate ac prudentia inter Wetteranos olim maximè ſpectabilem,

quem

quem ex curia terreſtri Deus Opt. Max. qui quos adamat, citius avocare ad ſe ſolet, XXIIX. natum annos, ad cœleſtem civitatem morte itidem immaturatranſtulit. Reperit ibidem, cujus aſpectus ſecundum Dei lucem ipſi optatiſſimus, laudatiſſimum veſtrum avum JUSTUM VULTEJUM, *cujus ut in terris immortalem famam, nominisque æternam ob admirandas animi dotes cultumque ingenii incredibilem, ob eruditionem incomparabilem, virtutisque ſtudia indefeſſa, prædicationem audiit, ita hic gloriam ejus cœleſtem coronamque ſempiternam, qua pii optimeque meriti* Doctores, *ſecundum Danielis verbum condecorantur, ſummâ cum voluptate & lætitia animi contemplatur. Intuetur ibidem patruum ſuum* JOHANNEM, *virum olim in hujus civitatis ordine ſenatorium magnum, virum tum literarum, tum virtutis nomine rerumque plurimarum experientia commendatiſſimum, cujus in Auſtria apud magnates etiamnum egregia memoria, quemque Gallia, cùm in a viveret, plurimum ſuſpexit & amavit: nec illum ultra trigeſimum tertium annum inter mortales verſari amor Dei paſſus eſt. Videt ibidem maternum ſuum avum* WIGANDUM HAPPELIUM, J. U. *Doctorem, & in hac Academia cùm ſanctâ & omnium primâ linguâ, tum Codicis Juſtinianei Profeſſorem eximium: quem cum antiquiſſima Hebræorum gente, tum Patriarchis, cum Moſe, & cum prima mortalis generis ſtirpe*

colloquentem demirandis Dei operibus admiratur. Videt, quem quatuordecim abhinc annis hac civitas poſtremo vidit, patruum veſtrum, JOHANNEM fratrem tuum, Clariſſime HERMANNE, longè doctiſſimum, qui abhinc quadriennio ad ſuperos conceſſit. Atqui erat vir ille digniſſimus, qui non modò annoſi Galeni, cujus artes & doctrinas exactiſſimè callebat, ſed & longævi illius Neſtoris, cujus facundiam & gravitatem animiq; magnitudinem æquabat, tria ſecula exuperaſſet. Illum enim omnes totius Italiæ tum Philoſophi tum Medici tantoperè admirati ſunt, inprimis verò præſtantiſſimus omnium, Archangelus Mercenarius, quo familiariſſimè uſus eſt, ut ſæpè dicere ſolitus fuerit neminem ſeſe unquam ex gente Germanorū majoris ingenii, majoris judicii virum cognoviſſe. Sed & illuſtriſſimi Principes Haſſiæ ad Patriam Academiam illuſtrandam clementiſſimè eum accerſebant. Verùm ita illum favor ac benevolentia exterorum, potiſſimùm verò Auſtriacorum, procerum, Stiriæq; magnatum, & Comitis Serinii gratia captum & devinctum habebant, ut actis Illuſtriſſimorum Principum clementiæ, de tam honorifico de ſe judicio gratiis foris maluerit, quàm domi ætatem omnem traſmittere. Vir profectò non modò per omnes vitæ partes laudatiſſimus, ſed etiam in ea re ipſo Medicorum Principe Galeno ſuperior, multoque illuſtrior; quòd & majoris & fortioris animi eſſet, neq; ſolùm herbas, ſed & militares

haſtas

ſtas bellicosè tractare eadem manu didiciſſet. 'am quod Galenus rogatus olim ab Imperatore ommodo, cujus archiater erat, ut ſeſe in expedi- onem Germanicam comitaretur, meticulosè de- ectaſſe dicitur: hoc ille ſuperioribus annis, ma ac animo intrepido, ſereniſſimo Archiduci MA- IMILIANO copias in Croatiam adverſus Tur- m ducenti, ſponte ſua præſtabat; cùm non ſolùm optimum in caſtris medicum, ſed etiam fortiſſi- um militem exercitui probaret. Quod quidem m acceptum gratumq́; Archiduci fuiſſe ferunt, eum magno ſtipendio archiatrum aulicum, ſibi iquoties popoſcerit. Verùm ille cùm ſuus eſſe poſ- t, ſingulari quandam paterni animi magnitudi- ſubnixus, ſecundum prudentum conſilium, al- rius eſſe nolebat. Sed illum Dei benignitas ne ſſerrimo Stiriæ ſtatui ſupereſſet, ac ne calamita- m occupata Caniſa, à qua ille non longè aberat, rcicamq́; tyrannidem ante mœnia & fores ex- ltantem videret, anno ætatis quatrageſimo ſe- ndo abſtulit; quem alioquin tum ſumma vitæ galitas & continentia, tum medicamentorum nium perfectiſſima cognitio, uſusq́; faciendæ edicinæ feliciſsimus, ad longiſſima avi tempora nſervare potuiſſet. Quid verò nuper digreſſo no- o adoleſcenti, fratri veſtro, Vultejani amo- , jucundius, quid ſuavius eſſe poſſit, quam in illo ſolatiſſimarum voluptatum, lætitiarumq́; cœ- ium theatro, inter dulciſſimos amplexus & o- ſcula

ſcala majorum, gentisq́; ac ſanguinis ſui colloquia & amabiles intuitus verſari? Incredibile certe dictu eſt, quantum animus noſter delectationis ex antiquis majorum imaginibus, ex ceris & mutis ſtatuis, quantum voluptatis oculi percipiant: At quâ illum ſuavitate perfundi cogitabimus, cùm clariſſimos iſtos patrum ſuorum vultus, ad Solis imaginem, radiantes intueatur? cùm optimam illam ſuam ex antiquiſſima Fertiorum familia ortâ aviam, matrem tuam, clariſſime HERMANNE, *dilectiſsimam, quæ trienniali paſſu nepotem ſuum præceſſit, quam ille jam diu luctu inani proſequutus erat, iterum receperit, cùm præterea proaviam, ſtirpem & matrem generis, magnamq́; tanquam Cybalen clariſsimam omnium eorum, qui nunc hinc inde auctoritate, doctrina, opibus ac fortunis maximè florent, Pincierorum generis agnoſcat: Cùm denique aviam maternam* CATHARINAM, *ex honeſtiſsima Scuicbſiorum familia in Palatinatu Bretta oriundam, magni illius Philippi Melanchtonis ex ſorore neptem contemplatur? Quid verò amabilius, quid acceptius, quàm rediiſſe ad fratres & ſorores, quos pridem amiſſos morte putabas? Rediit nempe ille ad fratrem veſtrũ,* JOHANNEM HERMANNUM *venuſtatis ac indolis puerum incomparabilis: rediit ad fratrem* HERMANNUM LUDOVICUM: *rediit ad* JOHANNEM HERMANNUM *alterum, quos olim quidem minimos in terris, nunc verò ſervatoris in-*

invitationem ac amplexum ſecutos, factosq; in gno Chriſti, quod pueris promiſſum eſt, maximo mirantur. Redit ad binas veſtras ſorores, CATHARINAM JUSTINAM: & CHATHARIAM alteram, quæ vix annicula ex cunis in cœle Patris ſinum avocata. Deum immortale! quas exoptatiſſima illa cunjunctione caritates, quæ udia, quas æterna illa ſocietate, ſummiq; boni fruitione ſuavitates, quamq; incredibiles voluptates eſſe dicamus? Ex quibus ſi eum dulciſſima ria, ſi cariſſimi parentes, ſi dilectiſſimi fratres, ſorores, ſi neceſſarii & propinqui excitare velitis, omnes mundi opes ac divitias, omnes honores dignitates oſtendatis, an non putabitis hoc vobis ltiſſimo cœlo beatiſſimum adoleſcentem clariſſima voce reſponſurum? Nolite me, inquit, nolite ſempiterna hac luce in tenebras, ex libertate perpetuâ in ſervitutem & ergaſtula, ex regno in carcerem, ex vita in mortem revocare. Rerum terreſtrium nihil eſt, quo capi animus poſſit. Vidi equidem, terris dum agebam, omnia quæ homini jucundiſſima eſſe poſſunt: Vidi te meum parentem cariſſimum, propter ſumma virtutis & eruditionis gloriam apud omnes bonos ſumma exiſtimatione honoreq; celebritatione florere: Vidi te Regibus, vidi Principibus, omnibusq; paſſim magnatibus placere: Vidi domeſtica fortuna ſucceſſus divina benedictione augeri: Vidi omnium hominum favores ac gratiam patrios ad lares confluere: Vidi generis

nostri

*noſtri honores per affinitatem ampliſſimi viri JO-
HANNIS ANTRECHTI Juriſconſulti*, Pro-
cancellarii Haſsiæ, *perq; progeniem ejus creſcere
plurimùm: Vidi Clariſſimum virum CHRI-
STOPHORUM* DEICHMANNUM *Juriſcon-
ſultum familiæ noſtræ perdilectiſſimæ ſororis
CHRISTIANÆ matrimonium feliciſſimis omi-
nibus inſeri. quem meum in locum gaudeo poſſe
ſubſtitui. Vidi patruum* CHRISTOPHORUM,
*conſultiſſimum Juriſconſultum, conſiliis Regiis
in* Holſatia *præfici: Vidi noſtri generis Pincieros
honoribus & dignitatibus maximis perfungi. Sed
quid vidiſſe hæc omnia proficit? Vana, caduca &
fluxa, ſunt omnia, quæcunque terrena aliquem
felicitatis vultum ac radium præ ſe ferant: Hic
domus & ſedes inter beatos æterna: hic patria fir-
miſſima: hic lætitiarum ac voluptatum fons pe-
rennis: honorum ac dignitatum apex immortalis:
hic & regnorum vigor perpetuus. Filium, mœſtiſ-
ſimi parentes, fratrem fratres ac ſorores, Vulte-
jana domus lepidiſſimi ſurculi, vobiſcum colloquen-
tem audiſtis ipſi, verba & mentē agnoſcitis, quam
præclarum ille à vobis iter fecerit, quò migrârit,
ubi domum non quidem mutabilem conduxerit,
ſed ubi æternam ſedem fixerit, intelligitis. O feli-
ciſſimam permutationem: mortalitatem cum im-
mortalitate, morbos ac mortem cum æterna ſalu-
te ac vita, lachrimas ac fletus cum ſempiternis læ-
titiis & triumphis, curas & moleſtias cū perenni a-*

nimi

ni tranquillitate commutavit: pro Pontificia ...lia, æterni ſacerdotis regnum: pro Iiligera Gal... ,paradiſum cæleſtem, coronamq́; immortalis vi... pro Angelorum regno, caſtiſſimam Angelorum ...itatem, beatiſſimamq́; cœlitum provinciam in... ...vit. Optemus itaq;, omiſſis deſideriis & dolori..., cum rege, qui eandem liberorum orbitatem ...ſus eſt, Davide, non ut ille ad nos revertatur, ſed nos ad illum, fatali quiſq; ſuo termino, ſocietatis ...rna participes futuri, tranſeamus. Quod qui... ...n beatiſſimi adoleſcentis manes etiam per tumu... ...apidem nobiſcum loquentem, poſcere & flagita... ...bis verbis intelliguntur: Avete & valete paren... cariſſimi, vosq́; fratres ſuaviſſimi, & ſorores ...lectiſſimæ, ego in cælis exſulto, terræ oblitus, vos ...pectans.

ORATIO IIX.

Habita 4. Iun. Anno 1613.

...ncipem literatum in electione imperii præferen- dum eſſe illiterato.

Quod precati ſumus à Deo Opt. Max. eo tempore, cùm ſuperioris anni menſe Junio, cœli gravioris inclementia cedere, clauſis... ...e Academiæ porticibus, ex urbe contagiis in... ...minata emigrare cogeremur, ut divina clemen... ſeminarium hoc literarum ad Eccleſiæ ac rei...

publica

publicā ſalutem conſervaret, cœtumq́; miſeris m-
dis diſſipatum in hæc domicilia ſedesq́; cum ex-
ptatiſſima incolumitate reduceret, ejus nos felic-
ſimæ petitionis votiq́; divino beneficio participes eſ-
factos, ingratiſſimi profecto eſſemus, ſi non omnes
& ſinguli in publicis hiſce denuò inſtitutis celebri-
tatibus quàm maximè lætaremur. Nam illu
amabili quadam naturæ viciſſitudine & ſingular
ejus quaſi condimento ita comparatum eſt, ut ſ
quæ præteritas nubes atque triſtitias excipiat hi-
laritate inſperata ſerenitas, multò majore volu-
ptate animos afficere ſoleat, quàm ea, quam nulla
tempeſtates, nulli imbres, procella nulla anteceſſe-
runt. Tantò itaq; hodiernus dies nobis & jucun-
dior & acceptior eſſe debet, quantò eundem ſuperio-
ore anno turbulentiorem & triſtiorem fuiſſe recor-
damur. Pridie enim nonis Junias, niſi memoria
fallor: fiebat, cùm vi peſtilentis contagii in dies ſu-
perante, de loco mutando conſilium mœſtiſſimum
publicis Academiæ literis ſignificaretur, ex quo
quidem die, quid hi parietes, quid ſuggeſta, quid
hæc ſubſellia, quid hi clariſsimi conventus, qui hæc
loci amplitudo ſuavitatis haberet, carendo aliquā-
diu magis, quàm antea quotidie fruendo intellexi-
mus. Iam verò claritas, honos, locus, ordo, con-
ſeſſus, ſtudium, celebritas quanquam antea ſemper
ſplendidiſsima viſa ſunt, tamen ea nunc reſtituta,
& quaſi renovata multò illuſtriora videntur, quā
cùm antea in eodem curſu ſine interpellatione, ſine
offen-

*ſenſione verſarentur, ipſa verò urbis dignitas, do-
us, focus, lares, hortus, ager, amicitia, conſuetu-
nes, vicinia, Deum immortalem! vix dici poteſt
tantum charitatis, quantum voluptatis habeant
Qua quidem nunc omnia, quod aliquo temporis
tervallo deſiderata ſint, multò magis, quàm aſ-
duè percepta delectare videntur. Quorſum verò
ec commemoratio? quorſum? ut intelligere poſſi-
us, quantum divini beneficii in hodierna hujus
e celebritate oculis noſtris ſubjiciatur, cùm inco-
mi univerſo hoc ordine, pulcherrima juventutis
orem recolligi, ſtudiorum fructus uberrimè rurſ
rcipi, baccas & laureas honorificè renaſci videa-
us. Sempiternus honos atq; gloria immortalis
ivino conſervatori eſto, quem propterea precibus
aximis rogamus, ut ab omni adverſitate Univer-
tatem hanc deinceps tueatur, ejusq; ſalutem &
crementum perpetuò curet, idem verò præſenti
uic negotio & ſolennitati præſit, ſanctiſſimiq; ſui
laminis gubernatione actiones noſtras regat, ut
um dicta tum facta omnia divina gloria, & Ec-
leſiæ ac reip. maximo compendio cedant. Quos
ütem in conſpectu veſtro conſtitutos ſedecim phi-
oſophiæ optimarumq; artium candidos cernitis,
eos petitos honores, quibus digniſſimi judicati
unt, conferre hodie, benevolente & adjuvante
Deo, conſtituimus. Priuſquam autem coronarum
mpoſitioni manum admoveam, ſentio orationem
liquam ſecundum morem & conſuetudinem à*

 me

me exſpectari. Cogitanti itaq; mihi quidnā potiſſimū, quod tū loco tū tempori accommodatum eſſet, dicerem, viſum eſt de ea re argumentum ſum ere, quæ nunc in omnium hominum frequentiſſimo ſermone, atque in ſumma totius Chriſtiani orbis exſpectatione verſatur; veterémque illum philoſophū imitari, qui, civitate ſua negotiis maximis occupatiſſima, dolium ſuum verſare cepit. Nam cum in candidatoria diſputatione de Sylvi quodam conſilio materiam diſquirendi ſubjeciſſem, quod ille olim Romani imperii Septemviris tanquam reip. Germanorum maximè præſtabili, perſuaſiſſimum eſſe optavit, cùm vaferrimo aſtu aſſeveraret, literarum rudem artiumque liberalium ignarum principem reip. Chriſtianæ gubernaculo longè utiliorē quàm ſi doctrinis & diſciplinis præditum legerent, futurum, arbitratus ſum illud tum ad præſentia tempora, tum ad hunc locum perquam commodè pertinere, ſi ad orationis ſtylum controverſia revocata, divini Platonis ſententiam, quam jure quaſi noſtro in Academiis omnibus & ſcholis tueri atque defendere debemus, non modo barbaræ iſti opinioni opponerem, verum etiam exemplis clariſſimis declaratam quàm maximè comprobarem. Neminem autem fore arbitror, qui, ſi vel à limine ſaltem Academiam ſalutaverit, inter alia ſapientiſſimi philoſophi inſtituta hoc tanquam oraculū civile non cognoverit, qui tum demum felicem beatamque remp. fore prædicavit, ſi ejus gubernatores

regesque

geròq; ipſi docti & eruditi, atq; adeo ſi philoſophi
iſterent. Quam quidem volem et ſi non ignarus
n eam ab inimicis literarum tanquam à rerum
ilium imperito philoſopho profectam, rejici &
ideri ab omnibus, tamen prudentia ſumma præ
tis hominibus, imo ab ipſis regibus, publicaque
miniſtrationis peritiſſimis ſemper divina judi-
ta eſt. Ne autem in philoſophi vocabulo, ut fieri
let, tanquam in ſcirpo, quod dicitur, nodus quæ-
tur, quem per philoſophi nomen Plato velit, quē
tellìgat, primum omnium explicandum nobis e-
t; Objiciunt enim nobis illico ſententiæ hujus irā
ſores, eos homines, qui ſibi ipſi dum vivebant
ortui eſſe videbantur; qui, ut Abderitæ de De-
ocrito ſuo loquebantur, nimia ſapientia tanquā
ritudine aliqua laborabant, qui cùm in animi
lius domicilio univerſas vitæ ſuæ rationes conſti-
tas haberent, nihil omnino earum rerum ad per-
nere exiſtimabant, quæ extra eiuſdem fines ha-
rentur. Objiciunt ex hoc agmine nobis Carhea-
em, qui ſtudii meditatione, tanquam ſepulchro
brutus, neque ſe ipſe ſatis foris agnoſcebat, neque
bos oppoſitos animadvertebat, neque ſitis aut fa-
is ſedandæ memoriam tenebat, quem propterea
epia ſuſtuliſſet, niſi ancillulæ opera, quæ pultem
nquam ori pueri inſerebat, ſervatus fuiſſet. O-
endunt nobis ex alia parte in ſole apricandem &
lexandri pompam regnumque ſuſque deque ha-
entem, Diogenem: Proferunt è domuncula ja-

QQ 2 nua

nudcarente Epicteum: Monſtrant in pulvere circulos ducentem, inque Cylindri ſtudio temere morientem Archimedem. Totam deniq; palliatorum hominum familiam producunt, qui cum Domitio illo philoſopho: quem Gellius habet, furere & inſanire magis, quam ſapere videantur. Atque hic egregios, inquiunt, ſpectare in Platonis veſtri civitate gubernatores: hi ſcilicet illius reges, hi duces, hi magiſtratus ſunt, qui ad Antyciras potius, quã ad faſces & ad faſcias regnorum mittendi. Quid quaſo, philoſophia candidati, de philoſophis hic audimus? Quis ipſum Thaletem, ut Comicus jocatur, talento minore emerit, ſi nihil aliud gloriæ nomine exſpectandum? Dixeris profecto ipſi Platoni cerebrum in calce fuiſſe, ſi rempu. eo hominum genere fortunare voluerit, qui etiam inter homines dumerant, eſſe deſierant. Appage cum aſſiduo ſui Democriti riſu: cum fletu & lacrymis Heracliti appage. Vos vero, boni viri, mallem antea quod Carneades ſedulò feciſſe legitur, cum ad diſputandum deſcenderet, helloboro ſenſum purgaſſetis, quam Platonem tam inepte derep. ſenſiſſe putaretis. Quem enim ille? Eundem profecto, quem omnes Græciæ civitates philoſophum rectè intellexerunt, quem omnis rerum clavis & gubernaculis præficiendum eſſe non modo verbis, ſed re ipſa docuerunt. Nec enim vetus Græcia ab aliis, quam à Sophis ſuis quam optime adminiſtrata. Quid enim illi qui, ſeptem celebrantur ſapientes? præter unum

m omnes rempub. in patria quiſque ſua rexiſſe à
utarcho celebrantur. At quomodo illi philoſophi
An ex eorum genere, de quibus ille cum vulgo a-
d Athenaeum in hac verba exclamat: Heu mihi
loſophaeris atqui philoſophi ſermone ſolo ſunt ſa-
entes, caeteris in rebus eſſe novi ego ſtultiſſimos!
i in nimiis philoſopiae ſtudiis ſtudio ejus uti neſ-
unt, qui ut Hippol. ſcripſit, ſapientes: ſunt pra-
rquam in iis rebus inquibus ſapientes eſſe debent.
ut ex eorum numero, qui in meris ideis & ſpecu-
tionibus univerſum ſtudium collocarunt, & ab
nni civili gubernatione tanquam à Gorgone qua-
am abhorrent? Minimè! Sed de philoſophia, cui
lato in prora & puppi ſummum reip. locum aſſi-
navit, cui clavum dedit, audiatur Plinius ſecun-
us. Quid ille? Nulla laudabilior, *inquit, philo-*
phiae pars eſt, quam agere negotium publicum,
gnoſcere, judicare, promere & exercere juſti-
am, atque ea quae philoſophi docent, in uſu ha-
ere. Atqui de eodem hoc ſtudio Ulpianus loquitur
um jurisprudentiam veram philoſophiam eſſe af-
rmaverit. Quod ipſi quoque Auguſti confirma-
unt, qui, cum leges condant, cum jura interpre-
entur, cum aequitate & juſtitia populus moderen-
ur, tum rectiſſime philoſophari ſeſe praedicarunt.
Quanquam enim imperatoriae artes ſint, ex inti-
na tamen philoſophia petendas eſſe, Romanorum
rator idemque conſul prudentiſſimè judicavit.
Hoc ſtudio Solon Athenas, cum philoſophus eſſet,

quàm optimè gubernavit, hoc Periander, hoc Cleobulus, hoc Bias cùm philoſophi eſſent, civitates quiſq; ſuas moribus & legibus inſtructas prudentiſſimè adminiſtrarunt. Illa enim philoſophiæ pars eſt, quæ quid honeſtum, quid turpe, quid extremum bonorum, quid malorum, melius, ut Horatius ait, Chryſippo & Crantore, docet, illa quæ ratione domus regẽda, quæ ſi patris, quæ mariti, quæ heri poteſtas, quo pacto res familiaris tuenda, quo amplificãda, illa quot imperiorũ genera, qui olim reipub. ſtatus, qui adminiſtrationũ modi, & ut uno verbo dicã, quomodo tũ pacis tũ belli tempora moderãda cuiq; ſint, præſcribit. Hæc profectò illa eſt, quam Tullius vitæ ducem eſſe exclamavit, hæc eſt, cui ſceptrum & imperium omnium nationum & gentium Plato juſtiſſimè tribuit: hæc eſt, quæ ut ex Theologorum ſchola Chryſoſtomus pulcherimè loquitur, artem imperandi, quæ omnium artium maxima habetur feliciſſimam tradit. Cognoſcitis, puto Platonis philoſophum, quem an non principem & regem fore cũ eodem omnes optabimus, qui felicem rempub. eſſe velimus? Cui enim ſapientia iſta, uti Vegetius prudentiſſimè ſcripſit, magis conveniat, quam principi, cujus doctrinam omnibus ſubditis prodeſſe oportet, quandoquidem, Cicerone teſte, nihil tam regale exiſtimetur, quam ſapere & judicare, quod verè philoſophari eſſe ipſi, ut audiſtis, reges & imperatores agnoverunt. Quod quidem maxima cum imperii ſui felicitate rectiſſimè intellexiſſe

Perſæ

Perſæ veteres prædicantur, cùm quemadmodum Xenophon teſtatum reliquit, ne quidem è regum liberis quenquam in ſolium ſuſciperent, niſi à pueritia cum philoſophis, quos Magos appellabant, in optimarum diſciplinarum ſtudiis verſati eſſent. quandoquidem qui hominem frenare velit, ſapientiſſimum eum eſſe oportere veriſſimè cum eodem auctore cenſebant. Quæ quidem aurea regii præceptoris ſententia, digniſſima quæ in omnium imperiorum regnorumque curiis, in aulis & atriis omnium principum, & in campis, atque adeò in ipſis urnis ſuffragiorum ſcripta habeatur, digniſſima quæ ante oculos & in conſpectu atque in memoria omnium electorum aſſiduo verſetur. Neſcio enim qua perverſa ratione fiat, ut plerumque ad vulgi judicium, opinionum noſtrarum propenſio proclivior, quam ad prudentiæ & veritatis cenſuram haberi ſoleat. Adeò difficile intellectu illud eſſe videtur, quod Magni illius, non modò Bucephali, ſed orbis terrarum domitoris præceptorem dicere ſolitum fuiſſe Laertius prodidit. Quid verò illud? Quemadmodum, inquit, à circumfuſo aëre lumen aſpectus, ita in imperiis gubernandis mens à doctrina accipit. Quod profectò barbara quadā caligine circumfuſi veteres noſtri Gothi perſpicere non potuerunt. Quid enim illi? Quod pium Secūdum, minimè certe ergà literas & remp. Chriſtianā pium, minimè ſecundum; ſuffragatoribus imperiis

perii Romani perſuadere voluit, illi inſtitutis & moribus avitis perſuaſiſſimum habebant. Cùm enim, uti Procopius rem iſtam memoria tradidit, Amalaſuentha, egregia fœmina, & ultra calanticam mulieremq; indolem ſapiens, Atalaricum filium ſuum, qui ad imperii ſpem adoleſcebat, liberaliter inſtitui docerique eas artes curarit, ſine quibus ne hominem quidem, nedum principem appellari poſſe, Bohemorum rex Udalislaus prudentiſſime, teſte Conſinio, reſponſiſſe fertur: quid tam ſi? Gothorum proceres concurrunt, adoleſcentulum regium è matris gremio abripiunt, tabulas & libros è manibus pueri excutiunt; rem indigniſſimā regio ingenio committi clamitant: non in chartis, ſed in haſtis, non in legibus, ſed in legionibus imperatoriam juventutem, eſſe exercendam, non magiſtris, non doctoribus, ſed majoribus eidem ſuis utendum, Reluctabatur graviſſimis rationibus prudentiſſima mater: ſed fruſtra. Ad equos & canes præſtantiſſima indoles abducitur, à ſapientia ſtudiis, ad venationes & aucupia, à Muſarum ſoliis. ad cupas & dolia transfertur, ſed ô incredibile reip. natum ex eo detrimentum! infeliciſſimum Gothicæ inſtitutionis exitum! quem equidem miror non perhorreſcere eos, qui neque hodie in regnis & principum aulis, perbibende Caſtellane, Gothicis ejuſmodi conſiliis heroica & divina magnatum ingenia abducere à literis ceſſant. Quid enim hodie illi? Ad homines de ſchola, vociferantur,

r, eosque qui ad orium nati, qui ad res gerun-
s inidonei & inepti exiſtant, pluteos & codices
mittendos, principum liberis libros eſſe indignos
is frameas, calcaria, frena, nitrum & ſulphur
ctare, illis accipitres alere, cervos & apros age-
,aliaque id genus equeſtria & heroica exercitia
nvenire. De quaquidem diſciplina, ejusque ra-
one etiam vetuſtis temporibus iſtum, quem ſuprà
endimus, Carneadem conqueſtrum eſſe legimus,
m dolendum eſſe diceret, regum filios, præter e-
itandi ſtudium, nihil doceri. Conqueſti ipſi re-
s & principes quàm plurimi, cùm maturiore
ate cognoviſſent, ſibi nulla re alia difficilimam
ubernationem eſſe, quàm quod literarum ſubſidio
erudition is adminiculo carerent. Nota ex im-
rii principibus Ludovici, Bavariæ Ducis, Comi-
isq; Palatini querimonia eſt, nota ejusdem optimi
rincipis induſtria & ſtudium, nota diligentia,
uam etiam literis addiſcendis inextrema ſenectu-
adhibuiſſe prædicatur. Nota noſtra memoria
iligentia Auguſti Ducis Saxoniæ, & Septemviri
mperialis, quam Latinæ linguæ addiſcendæ inter
raviſſimas gubernationis occupationes jam ætate
naturiore adhibuerit. Notiſſimum nobis ex hac
luſtri provincia exemplum domeſticum illuſtriſſi-
i principis Ludovici, cognomento Mitis qui, quod
doleſcentia ipſius, tutorum culpa, neglecta in li-
rarum cultu eſſet, ad ſupremum usque diem do-
uiſſe dicitur, etſi eo naturali acumine & ſagacita-

te ingenij ſenſuſq; communis acrimonia eſſet, ut omnes ferè prudentia id ætatis reges & principes anteiret. Atque de eo etiam exteri ſcriptores teſtatur, cùm juſtitiæ & æquitatis ſtudioſiſſimus eſſet, ut cauſas ipſe cognoſcere, & ex tribunali jus dicere poſſet, primum auctorem in his provinciis libelli & actionis vernacula in judicio fuiſſe, neque unquam ſecus, quàm jus & æquitas poſtulabat, naturali mentis lumine judicaſſe. Ex patribus noſtris audivimus, quàm ſæpe ſibi ipſe Carolus noſter Quintus diſplicuerit, quòd, etſi mediocriter literas ab Hadriano ſuo didiceſſet, immaturius tamen ab iis abductus eſſet, minusque percepiſſet, quàm principem & imperatorem ſcire oporteret. Quod noſtra memoria iniquiſſimo animo in ſe ipſe ferebat Fridericus Secundus, rex Daniæ, qui ſi ad ſua tempora ſuperfuiſſent adulatores iſti, quorum ſuaſu & obſequio à literis, tanquam à pretioſiſſima regii animi poſſeſſione abſtractus eſſet, velle ſe ajebat exemplum in eos digniſſimum conſtituere, quod aliis corruptoribus terrori, regum verò & principum liberis maximo fructui & emolumento impoſterum foret. Erat quidem ille princeps tam heroica auctoritate, totiusq; corporis atque oris dignitate præditus, ut quod de Hierone prædicatum legimus, ad imperium à natura fictus & factus eſſe videretur, in quo nihil omninò præter literarum ornamenta, quod ipſi moleſtiſſimum erat, deſiderabatur. Quod quidem ex te, ampl. Procancell.

Herm. *Vultej.* *audiremus libentius propterea, quôd cum à b Illuſtriſſimo principe Wilbelmo, auguſta recordationis, eò legatus miſſus ab hinc triginta propè annis eſſes, cùm eodem rege plurima collocutus fueris, ſplendidiſſimūq; ab eodẽ muneribus honoratus redieris, Uti autem potentiſſimi hujus regis exemplo idcirco hoc loco volui, ut cùm & ipſe Gothorum regnator fuerit, Gothicam iſtam quam audiſtis ſententiam luculentiſſimo ejus teſtimonio refellerem, qui quidem ſi venum exponi, pretioq; comparari eruditio artiumq; ſcientia potuiſſet, non dubito, quin eandem vocem, qua Alphonſum Neapolitanorum regem ſapientiſſimum uſum eſſe legimus, ad omnem poſteritatem emiſiſſet, ſerioq; animo confirmaſſet, malle ſe pretioſiſſimis gemmis & theſauris, malle regnorum aliquot ditionibus, quàm literarum ornamentis carere. Eſt autem jucundiſſima tanti regis ſententia, qua Platonicum noſtrum philoſophum validiſſimis fundamentis munit. Clariſſimum præterea ejusdem Alphonſi verbum eſt, cùm neſcio à quo Hiſpaniarum principe, irrideri in rege literas, easq; tanquam magnatibus indecoras improbari audiſſet. Quid verò ille? Bovis, inquit, iſta vox, non hominis eſt. Deum immortalem! quid gravius, à graviſſimo rege, quid prudentius, à prudentiſſimo orationi inſigniſſima reponi potuiſſet? Quod quidem plurimùm miror Ænea, te cùm in Germaniam*

noſtram

noſtram, barbaram tuam ſententiam, litterbque & earum de te divinis meritis indigniſſimum conſililium emitteres, non conſideraſſe, nec cogitaſſe itidem tibi reſponderi poſſe. Erat quandoquidem tibi illud regium Alphonſi reſponſum non obſcurum, legeras non modo omnia ejus dicta & facta à Panormitano conſcripta, verum etiam plurimis tuis exemplis & idoctriois eadem illuſtratas. Quin ipſe etiam cum rege |diu| multumque verſatus, multo plura & graviora in eandem ſententiã ex eodem audieras, ipſe audita tuis ſuffragiis & draconiis confirmaveras. Sed ita profecto eſt tui conſilii te ipſum occæcaverat ratio; Quorſum enim ſententia iſta ſpectabat? quid vafrities animi tui petebat? quid caliditas ſenſus qui quærebat? An non eam ob cauſam literas hac indignitate affectas volebas, cum illiteratum principem literato & docto præſtabilorem fore imperio conſuleres, ut per Germani a ejusque imperatorum contemptum ſolii pontificii auctoritatem amplificares, ber Cæſarea poteſtatis ruinam, Romanam ſedem locupletares: ſcilicet in erudito principi facilius imponi poſſe, quam ſcientia lumine prædito ſciebas: Sciebas à b artium ignaro obtineri & impetrari jura omnia & privilegia facilius poſſe, qui quantum momenti in eis ſitum eſſet ad imperii dignitatem redinendam, non intelligeret. Sciebas ab indoctis olim imperatoribus ea ultrò donata & vendita Romana Eccleſia eſſe, quæ doctiſſimi Friderici maximis armorum contentionibus ab Italia

epetitum eſſent. Sciebas ab imprudentiorib,
uod fieri barbaris debere olim imperatore
ripſerunt, ſubtili ingenio, opes facultates a
acilius abſtrahi & auferri poſſe; Sciebas à l
um ſcientia nudos & inopes ſecundum Co
erbum, etiam in lapide ſtantes ita vendi ut
e ſe venditos quidem eſſe ſentiant. Hu o
nnes tuas rationes, hæc conſilia, huc ſente tua
s omnes rediiſſe, ad hanc metam omne gnitio
es & ſenſus tuos fuiſſe converſos, non oratio
ibus tuis, quas in diverſis principum entibus
abuiſti, perſpicuum eſſe poteſt. Nec ve na bina
iones iſta tua tam occulta atq; obſcu iſſe potue
unt, quò minus à prudentioribus no llis id a
is hominibus perſpecta & detecta fu nt. Quid e
im? annòn futum pontificium, Ita ſumum
Cl. vir Martinus Mejerus, amicus us, Moguati
i Antiſtitis id temporis Cancellar odoratus eſſe
videtur? In manibus eſt viri patr amantiſſimi e
iſtola, quam tu ideò amaram a ellaſti quòdque
more & affectu Italicæ Eccleſ ſtud. eſſimi erga
mperium Germaniæ libertateiſſetis. admodum
lle perſpicuè declaravit. Sed qu ego pluribus cum
mortuo contendam? Prodeat, ſi vobis ita videa
ur, in medium ipſa litera, tamq; ipſarum cau
am contra tam iniquiam ſetentiam agant. Quid
verò illa? Hoccine, inquit, de te, Sylvi, optima
rtes & facultates meriti ſumus, cùm nudam &
genam adoleſcentiam tuam primùm in tan rellos

Scribarum numerum, deinde ad imperatoriam gratiam & favorem noſtris humeris ſuſtulerimus, cùm procul à Mœni littore capiti tuo carminis elegia promeritam lauream Cæſaris manu impoſuimus, cùm te in Imperiale ſcrinium, & arcaniorum conſilij ſenatum collocaverimus, cùm ſplendidiſsimi legati dignitate exornatum per exteras nationes & gentes comitati fuerimus, cùm deniq; ad ſacra ſacerdotij infulas, & ad purpuram trabeamq; ſupremi in Eccleſia ordinis, poſtremò cùm ad faſtigium ipſum Romanæ ſedis evexerimus, hoccine noſtrum beneficium commeruit, ut quæ noſtra dignitas & gloria in orbe terrarum ſumma eſt, ea privare nos quantum in te fuit, volueris: quid enim nobis maiori honori, quid laudi, quid voluptati, quid lætitiæ majori eſſe poſſit, quam artes & literas cum mundi capite in ſupremo regni ſolio collucere; cum imperatoribus ſceptrum temperare, cũ regibus diadema geſtare; orbis imperio præeſſe, conſilium omnium nationum & gentium moderati? At tu ruditatem ſcientiæ, ignorantiam cognitioni, inſcitiam peritiæ, hebetudinem intelligentiæ, caliginem denig; luci antepoſitam voluiſti. Literarum principem minori cum reip. commodo, quàm illiterarum regnaturum aſſeruiſti. Quid itaque de ipſo Julio, à quo omnium Cæſarum nomen & ſucceſsio, quid de Auguſto ejus herede, à quo prima Auguſtorum dignitas: quid de Adriano, de Antonino, quem à ſtudio Φιλοσοφώτατον,

quid

uid de Zenone, ejus æmulo, quid de Tacito, quid
e Numeriano, qui imperatoris nomini poetam
& oratorem aſcripſit, quid de Conſtantino, impe-
ij inſtauratore feliciſſimo, quid de aliis doctiſſimis
ius ſucceſſoribus tibi videtur? Numquid in feli-
ius, quàm barbari & indocti Maximini, rudes
Decii, imperiti Valeriani, ſtolidi Gallieni, inepti
icinij imperaſſe dicentur, ſive fortè hunc ſolius
Germaniæ genium eſſe exiſtimes, ut inſcitia, quàm
ruditioni ferundæ accommodatior haberi poſſit.
Quid igitur de Carolo noſtro primo dices, qui oc-
identem novi imperii luce princeps illuſtravit,
ninusnè eum commodè remp. gubernaſſe dices,
ui literis & linguis pluribus excultiſſimus fuiſſe
icitur? Quid de Ottonibus Primo & Secundo,
uid de Fridericis, quid de duobus fratribus, Ca-
olo & Sigiſmundo, quorum fundamentis ad hæc
ſq; tempora illabefacta hæc moles ſtetit, quid de
Maximiliano primo, qui feliciſſima manu per tot
milie ſua ſereniſſima lumina ad hunc uſque di-
m imperii ſplendorem propagavit? Putabimus ve-
tam diu in potentiſſima iſta domo altitudinem
quilæ conſiſtere potuiſſe, ſi ex tuo conſilio rudita-
m potius, quàm ſcientiæ fulgorem patrio & avi-
inſtituto ſequi ad imperium nata poſteritas vo-
iſſet? Tacito imperatori, Romæ cùm ille deſigna-
tur, acclamatum eſſe meminimus: Quis melius
ctin imperabit? Meminimus idem verbum
in

in proximè defunctè Imperatoris Rudolphi, qui ſeptem linguis locutus, in auguratione publicè auditum? Quin dum hæc loquimur, dum contra barbaram ſententiam pugnamus, dum lietras & artes imperatore digniſſimas eſſe contendimus; videmur hoc ipſo momento eandem vocem & applauſū cum gratulatione concordiq; omnium procerum, conſenſu, totiusq; Germaniæ exultantis lætia in novi Cæſaris Matthiæ, feliciſſima renunciatione audire: Hæc litera; quarum vocibus nihil aliud addam, quàm ut extremam orationis partem de feliciſſima novi imperatoris deſignatione, quam ratā veramq; eſſe optamus, communi noſtrûm omnium voto & deſiderio quàm lætiſſimè concludam. Faxit ſummus imperiorum omnium arbiter & moderator Deus, ut hodiernus dies, quem nos ſedecim novis Magiſtris creandis felicem fauſtumq; habemus, longè feliciſſimus in exoptatiſſima ſummi Capitis electione exiſtat, totumq; orbem Romanum concordia, tranquillitate, pace, gaudio, ſerenitate, lætitia, plauſu, perpetuoq; omnium optimarum rerum ſucceſſu complectatur.

FINIS.